

DE SACRA POESI HEBRÆORUM.

PRÆLECTIONES ACADEMICÆ

OXONII HABITÆ

A ROBERTO LOWTH A. M.

COLLEGII NOVI NUPER SOCIO,

ET POETICÆ PUBLICO PRÆLECTORE.

S U B J I C I T U R

METRICÆ HARIANÆ BREVIS CONFUTATIO:

E T

O R A T I O C R E W I A N A .

E D I T I O A L T E R A , E M E N D A T I O R .

O X O N I I ,

E T Y P O G R A P H E O C L A R E N D O N I A N O .

M D C C L X I I I .

Imprimatur,

J. B R O W N E,

V I C E - C A N . O X O N .

Feb. 1. 1753.

HONORATISSIMO VIRO

6

H E N R I C O L E G G E,

R E I N A V A L I S B R I T A N N I C A E T H E S A U R A R I O ,

R E G I A E M A J E S T A T I A S E C R E T I O R I B U S C O N S I L I I S ,

R O B E R T U S L O W T H ,

Q U O D S E A B I N E U N T E A E T A T E P E R P E T U A A -
M I C I T I A C O M P L E X U S F U E R I T ; D O M I F O R I S -
Q U E , I N O T I O , I N N E G O T I O , I N O P T I M A R U M
L I T E R A R U M S T U D I I S , C O M I T E M , P A R T I C I -
P E M , S O C I U M , A D H I B U E R I T ; J U C U N D I S S I M A Q U E
C O N S U E T U D I N E , S I N G U L A R I C A R I T A T E , M A X I -
M I S B E N E F I C I I S , D E V I N X E R I T ;

S U A S H A S C E P R A E L E C T I O N E S ,

I N S U M M I A M O R I S

A N I M I Q U E G R A T I S S I M I T E S T I M O N I U M ,

L U B E N S , M E R I T O , D A T , D I C A T , D E D I C A

,

P R Æ F A T I O.

QUID huic Secundæ Editioni accessit,
paucis exponam.

Totum opus recensui; nonnulla ad-
didi, plura emendavi; in Notis potissi-
mum. Castigationibus non omnino necessariis con-
fulto abstinui. Si multa, quæ corrigi poterant, ad-
huc restare videbuntur, utpote minus certa et ex-
plorata; sciat Lector, mihi satis esse in rebus obscu-
ris probabilia proponere; meque multo plura et vo-
luisse et potuisse corrigerem, si incerta pro æque in-
certis mutare esset correctio.

Verum aliunde non exigua huic Editioni orna-
menta accesserunt. Primum, Variationes Codicum
MSS. Veteris Testamenti Hebræi in aliquot loca,
quæ citaveram, amicissime mecum communicavit
Vir Doctissimus BENJAMINUS KENNICOTT,
Criticæ Sacræ veræ et genuinæ Instaurator; qui fe-
liciter progredivit in magno Opere suscepto Codices
MSS. Bibliorum Hebraicorum conferendi, quod in
Sacrarum

P R A E F A T I O.

Sacrarum Literarum et universæ Ecclesiæ Christianæ insigne emolumentum redundaturum auguror. Ejus Notas uncinulis ad marginem appositis, et subjuncta litera K, distinxii. Numerantur autem MSS. secundum Catalogum Alteri Viri Doctissimi Dissertationi, *De Statu præsenti Textus Hebræi*, subiectum.

Porro, aliquas observationes Viri Doctissimi THOMÆ HUNT, Linguarum Hebrææ et Arabicæ Professoris Celeberrimi, meo rogatu mecum benignissime communicatas, et ad verbum fere Latine redditas, ipsius permisso adjeci. Eas eodem modo uncinulis distinxii, litera H subjuncta.

Cum autem Editionem paraveram, jamque prelo commissurus eram, commodum ad me perlata est Editio Goettingensis, quam in publicum emiserat Vir Clarissimus JOHANNES DAVID MICHAELIS, PHILOS. PROFESS. ORD. ET SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM GOETTINGENSIS COLLEGA, multum a se auctam et ornatam. Accesserunt enim Epimeta et Notæ Doctissimi Editoris, quibus defectus meos supplet, errores corrigit. Ea omnia cum Præfationibus integra, cumque uno atque altero ad Notas additamento ab Auctore ad me missō, (qui plura meditatus, ingruentibus in otio

P R Æ F A T I O.

otio publico negotiis Academicis, non potuit perficere) denuo edenda curavi; ne Lectores mei doctissimarum commentationum fructu careant: sed separatim, atque alio Volumine; ut, qui primam Editionem possident, æquis conditionibus ejusdem emolumenti participes esse possint. In his si quæ sunt, quæ mihi minus persuasit Vir Clarissimus, ea malui hoc modo libero Lectorum nostrorum iudicio permittere, quam in disceptationem et controversiam, injucundam, et fortasse infructuosam, vocare.

ORATIO INAUGURALIS;

SIVE

PRÆLECTIO PRIMA:

DE POETICÆ FINE ET UTILITATE.

OCCASIONEM hanc, ultro jam, quanquam paulo maturius, se præbentem, libenter tamen amplector, Academici, qua vobis testari possim me ad suscipiendum hoc quicquid est, sive impositi oneris, sive muneric delati, si nihil aliud, studium saltem, et industriam, et promptissimam voluntatem attulisse. Etenim desiderari in me ingenii celeritatem et facultatem orationis facile patior; ægre ferrem vel minus diligens haberi in eo officio exercendo, quod auctoritate vestra mihi demandatum es-
set, vel parum gratus in accipiendo beneficio, quod quantumcunque est, cum a Vobis in me confertur, est certe magnum. Nam hujusmodi beneficia hoc modo recte æstimari arbitror, si cum ipsius muneric, tum illorum qui id conferunt, tum etiam ejus in quem conferunt, habeatur ratio. Cum igitur reproto eam mihi provinciam administrandam dari, quam Viri ingenio et doctrina ornatissimi antehac illustrarunt; cum Vos re-

A

spicio

spicio, quorum ex favore vel amplissimis dignitas accederet; cum denique meipsum cogito, qui publicam aliquam vestræ voluntatis significationem promereret posse nunquam speraverim; profecto hoc quicquid est officii adeo mihi honorificum contigisse existimo, ut nulla me unquam observantiae assiduitate aut laboris diligentia parem vobis relaturum gratiam putem. Hanc certe officii mei partem, utcunque exiliter, lubentissime tamen et nunc exequor, et in posterum exequi studebo: nihil enim animo vere grato potest esse jucundius, quam vel referre gratiam, vel etiam habere; nec tam oneri mihi erit, quam stimulo, beneficii memoria. Cætera autem sane me haud mediocriter solicitum et commotum habent, hæc vehementer perturbat cogitatio; id mihi munus suscipiendum esse, quod studio vestro et frequentia semper ornavistis; eam materiam tractandam, quam cum auribus vestris et hujuscæ Academiæ luce dignam judicavistis, tum pro sua dignitate ornatam audistis: quod si in posterum neglectui et solitudini relinquatur, vereor ut dissimulare possim, id meo, non ipsius disciplinæ aut institutionis vitio obtigisse.

Verum enimvero, utcunque nostri conatus cedebint, ecquid magis ipsarum literarum interfuit, vel hujus Academiæ institutis erat accommodatius, quam ut ea tandem Ars inter cæteras hic locum haberet, cuius opera et auxilio reliquæ omnes semper libentissime utebentur? qua ut nulla antiquior, ita nulla jucundior; cum homini quodammodo insita sit et ingenita, secumque afferat gratissimam naturæ ipsius commendationem: quæ apud rudes, doctos, remissos, graves, gratiam, amorem, admirationem, semper consecuta est. Quid porro vel homine ingenuo vel eruditio dignius, quam

quam ut in ea Arte, cuius recondita quædam est venustas, sentiat, quid rectum sit, quid secus, quid conveniat, quid deceat, et in quo positum sit id, quod pulchrum est et decorum; quæ denique a vulgari sensu sunt remotiora, ea ut perspiciat et intelligat? Neque vero existimandum est, eu:n qui in hac elegantiarum subtilitate explicanda judicium suum aliquando exercitatum habuit et exultum, non inde aliquid adjumenti aut acuminis ad severiores etiam literas illustrandas allaturum. Atque hoc quidem vel maxime in animo habuisse arbitror Virum ornatissimum,¹ cuius munificentiæ debetur, quod in cæterarum Scientiarum chorūm hic loci jamdudum recepta sit Poetica. Hic enim cum ipse animum suum non modo utilissimarum rerum cognitione optimisque disciplinis instruxisset, sed et artibus elegantissimis omniq[ue] literarum humanitate ornavisset; atque in iis etiam Ædibus institutus esset, in quibus maxime semper viguerunt, et etiamnum vigent, gravissimarum rerum et sanctissimarum studia, omni politioris doctrinæ suavitate condita et commendata; vidi profecto et expertus est, quam vim haberet ad illam severiorem eruditionem vel adjuvandam vel illustrandam harum elegantiarum ratio; quam arcta inter Philosophiam et Poesim cognatio intercederet.

Admonet me igitur, Academici, cùm ipsius auctoris consilium, qui hanc nobis disciplinæ rationem instituit, tum hujuscemodi orationis consuetudo, ut quæ de Poeticæ Fine et Utilitate verissime dici posse existimo, quanquam vobis notissima, paucis exponam.

¹ Instituta erat Lectio Poetica ab HENRICO BIRKHEAD L. L. D. Collegii OMNIUM ANIMARUM olim Socio.

Poeticæ itaque propositum aut duplex, aut ex duobus alterum, vulgo statuitur; nimirum aut Prodeesse, aut Delectare, aut etiam Utrumque. Mallem equidem Utilitatem solummodo, quasi ultimum ejus finem, statuissent; Delectationem vero, quasi rationem et viam, per quam ad istum finem unice perveniret: ita ut judicaretur Prodeesse Delectando. Hoc enim maxime videtur interesse inter Philosophum et Poetam, quod cum utriusque idem sit consilium, alia tamen alii id quod velit consequendi sit ratio. Uterque Docentis personam sustinet; quam quidem alter ita optime tueri censetur, si clare doceat, si subtiliter, si enucleate; alter, si jucunde, ornate, suaviter, eleganter. Ille ab Affectibus ad Rationem unice provocat; hic ita Rationem appellat, ut Affectus etiam in suas partes studeat pertrahere. Ille ad Virtutem et Veritatem proxima et compendiaria semita utitur; hic per itinerum flexiones quasdam et diverticula, sed amoeniore via, eodem dicit. Illius denique est utramque ita exponere et nudare, ut necessario eas agnoscamus; hujus ita easdem ornare et vestire, ut amemus ultro et amplectamur.

Poeticam igitur eo præcipue utilem esse statuo, quod sit jucunda: et dabunt mihi veniam, ut spero, philosophi, homini fortasse suis, ut fit, nimirum tribuenti, si addidero, tanto nonnunquam utiliora esse Poetæ quam Philosophi scripta, quanto jucundiora. Nam, ut exemplis quibusdam in hac parte notissimis utar, quis est, qui existimet doctiores Romanos, cum disciplinæ Epicureæ impense dediti essent, non magis in deliciis, in manibus etiam, et in quotidiano usu, habuisse Lucretii luculentissimum poema, quam aut Catium, aut Amanarium, aut Epicuri demum ipsius commentarios? Quis credat

credat vel rudiores etiam homines aut doctissimi Varro-nis, aut (ut priscum illum Catonem omittam) Colu-mellæ satis elegantis auctoris, scripta de Rebus Rusticis pari diligentia et studio evolvisse, ac Virgilii pulcherri-mum et absolutissimum opus? præfertim qui gravissi-mos scriptores auctoritatis pondere æquaret, ¹ cum in-credibili carminis suavitate elegantissimis longe antecel-leret. Contra vero si Manilius, quem scriptoribus qui sub Augusto floruerunt, et vere quidem, si ipsi creden-dum est, annumerant; si is pulcherrimum de Astrorum Scientia argumentum adeo exiliter et inornate versibus tractet, ut Julius Firmicus, sequioris ævi scriptor, rem eandem soluta oratione explicans haud multo minorem legentibus afferat delectationem; næ illum, et si Philo-sopho et Astronomo suas laudes concederem, Poetam tamen omnino esse negarem. Quid enim quæso est Poeta expers suavitatis, expers gratiæ, omnibus illece-bris, omni voluptatis instrumento destitutus? vel quis reliquus est utilitati vel documento locus, ex eo scriptore hauriendis, quem ne legere quidem quisquam omnino

¹ Elevat Virgilii auctoritatem in Georgicis SENECA: "Virgi-
"lius noster, qui non quid verissime, sed quid decentissime dicere
"tur, aspergit; nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare."

EPIST. LXXXVI. Verum longe aliter de eo opere sentire videtur COLUMELLA, harum rerum multo magis idoneus æstimator; Geor-gica perpetuo citat, cum reprehensione ne semel quidem, sæpiissime multa cum laude: "Hæc autem consequemur, si verissimo Vati ve-

"lut oraculo crediderimus, dicenti, *Ventos et varium.* —" Lib. I. 4.

"Ut amurque sæpius auctoritate divini carminis. —" Lib. VII. 3.

Qua autem in re sola Virgilium reprehendit Seneca, de tempore fationis Milii, in ea, qui videre velit, quam imperite Philosophus Poetam calumnietur, adeat COLUMELL. II. 9. PLIN. N. H. XVIII. 7.

PALLAD. III. 3.

fustineat? Quod itaque studeat Poesis lætiori quadam amœnitate orationem suam perfundere,

“ Et quasi Musæo dulci contingere melle,
hoc plane ejus est consilium, hæc ratio, ut talibus con-
dimentis doctrinæ suæ gratiam conciliet: quod etiam
medicis usu venit, qui medicamentis insuavioribus leni-
menta quædam excogitant,

“ Ut puerorum ætas improvida ludificetur

“ Labrorum tenuis, interea perpotet amarum

“ Absinthi laticem, deceptaque non capiatur;
prout eleganter illustrat Lucretius non sui magis ipsius,
quam universæ Poeticæ institutum.

Hoc autem si patet in iis scriptoribus, qui se Docere
et Prodeesse palam profitentur, ut qui delectent magis ii
melius et efficacius præcipiant, idem multo etiam appa-
rebit manifestius, in iis, qui dissimulato monendi consi-
lio delectationis lenocinium unice ostentant; qui cum
de rebus agant gravissimis, omnemque vitæ rationem,
omnes virtutum atque officiorum locos tractent, deposita
tamen magisterii severitate, omnia simul elegantiarum
ornamenta et jucunditatis illecebras adhibent; qui ho-
minum actiones, mores, studia, affectus, quasi tabula
depictos oculis subjiciunt; et imitatione et fabula, nu-
merorum dulcedine et imaginum gratia et varietate, lec-
toris animum capiunt, et ad omnem honestatem vel
inscium vel etiam invitum deducunt? Quid enim aliud
agit Poesis Epica? quid nobis usu venit Homerum le-
gentibus? Quis est tam iners, tam inhumanus, quem
non incredibili voluptate perfundat, quem non moveat
et percellat, suoque veluti afflatum instinctu secum ab-
ripiat divinum illud ingenium? Quis tam excors, qui
non videat atque animadvertiscat, non percipiat etiam, at-
que

que in animo inscribi sibi et quasi inuri sentiat, vitæ morumque pulcherrima documenta? Possis a Philosophia frigida virtutis præcepta petere; possis in Historia exsanguia ac demortua quædam morum exempla inspicere: vivas hic Virtutis voces audimus, vivam effigiem cernimus. Præcepta non rationi solum commendat Poësis, sed infundit et admiscet affectibus: exempla non ostendit modo, sed mentibus imprimit; ceteram suo calore emolliens simul, et fingenti facilem et sequacem reddens. Illud itaque verissimum ac justissimum sane præconium Poetæ tribuit Horatius;

“Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile,
quid non,

“Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit: Plenius, qui non partitionum ac definitionum formulas jejune explicet, sed morum atque affectuum humanorum imaginem, vitæque communis et civilis universam rationem, tot tamque variis in omni genere exemplis tam accurate perfecteque exprimat, ut, qui ex Philosophorum scholis ad illius acroamata se conferat, sentiat sese ex implicatissimis angustiis in amplissimi cujusdam et florentissimi campi spatia delatum: Melius, qui non monitis solum et præceptionibus et nudis sententiis doceat, sed suavitate carminis, pulchritudine imaginum, fabulæ artificio, veritate imitationis, lectoris animum alliciat, penetret, delectet, percellat, ad omnem virtutis habitum formet, atque ipsius honesti spiritu quodam imbuat.

Quod si ab Epopœia ad Tragœdiam transeamus, cui primas tribuit Aristoteles¹ propter imitationem veram et præcipue efficacem, adhuc facilius obtinebimus, Poësin

¹ Poet. cap. ult.

Philosophiæ utilitate antecedere, eo quod jucunditate præstet. Quid enimvero aliud est Tragœdia quam Philosophia in scenam producta, quæ sua sunt et propria retinens, nec de gravitate quicquam remittens, sed alienis insuper aucta atque ornata adjumentis? Quem enim Moralis disciplinæ locum intactum aut inornatum reliquerunt Tragœdiæ Græcæ scriptores? Quod vitæ officium, quæ pars politici muneris, quæ ratio temperatio que perturbationum, quæ virtutum commendatio, quam non illi varie, copiose, erudite tractaverunt? Quid Æschylus, non Poeta modo, sed et Pythagoreus? quid Sophocles, quid Euripides, uterque sapientiæ laude clarus; hic quidem Anaxagoræ et Socratis auditor, et apud suos Philosophi Scenici cognomento notus? Adeo in his viris accessio quædam Philosophiæ erat Poetica facultas: neque fane quisquam adhuc Poesin ad fastigium suum ac culmen evexit, nisi qui prius in intima Philosophia artis suæ fundamenta jecerit.

Quod si quis objiciat, nonnullos in hoc ipso Poeseos genere excelluisse, qui nunquam habiti sunt Philosophi, ac ne literis quidem præter cæteros imbuti; sciat is, me rem ipsam quærere, non de vulgari opinione, aut de verbo laborare: qui autem tantum ingenio consecutus est, ut naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus aut incitatur mentis impetus aut retunditur, penitus perspectas habeat, ejusque omnes motus oratione non modo explicet, sed effingat planeque oculis subjiciat; sed excitet, regat, commoveat, moderetur; eum, etsi disciplinarum instrumento minus adjutum, eximie tamen esse Philosophum arbitrari. Quo in genere affectum Zelotypiæ, ejusque causas, ad juncta

juncta, progressiones, effectus, in una Shakespearii nostri fabula, copiosius, subtilius, accuratius etiam veriusque pertractari existimo, quam ab omnibus omnium Philosophorum scholis in simili argumento est unquam disputatum.

Quod si autem Tragœdia sit ipsa φιλοσοφωτική, et ad omnem sapientiae vim ac gravitatem sua quædam ornamenta adjiciat, et proprias venustates conciliet, carminis dulcedinem, fabulæ condimentum, imitationis evidentiam, actionis veritatem; utrum dicemus, Philosophiam Poesi utilitate victam concedere, an potius maximo ejus beneficio obstrictam teneri, cujus opera et commendatione ad propositum utilitatis finem consequendum summo cum fructu suo utatur?

Si vero tanta fit Imitationis et Fabulæ vis, major videti possit ipsius Veritatis auctoritas; adeoque Historia demum potius quam Poesi magistra ac duce utendum. Quod tamen multo aliter se habet: etenim nimium angustis finibus continetur Historia, nimium severas habet operis sui leges. Res gestas tradit, eventorum vestigiis insistit; quod contigit, non quod contigisse potuit aut oportuit, narrandum; nec quo documenti opportunitas, vel probabilitatis ratio vocat, sed quo facti necessitas cogit, eundum. Historia res et personas certas et constitutas tractat, infinitas et universales Poësis: altera rerum causas incertis conjecturis consecutatur; altera evidenter certeque demonstrat: altera fortuito elucentem Veritatis imaginem captat; altera simplicem ejus formam intuetur: illa præscriptum iter certa via conficit; hæc liberis naturæ spatiis fruitur: illa demum argumento suo inservit; hæc dominatur. Quocirca

circa Aristoteles¹ Poesin Historia et gravius quiddam et Philosophiæ proprius esse affirmat: nec aliter sensit Aristotele non minor Baconus noster. Et res ipsa, et summa Viri auctoritas, postulat, ut sententiam ejus ipsius verbis integrum vobis exponam.² “Cum mundus sensibilis (inquit ille) sit anima rationali dignitate inferior, videtur Poesis hæc humanæ naturæ largiri, quæ Historia denegat; atque animo umbris rerum utcunque satisfacere, cum solida haberri non possint. Si quis enim rem acutius introspiciat, firmum ex Poesi sumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illustrem, ordinem magis perfectum, et varietatem magis pulchram, animæ humanæ complacere, quam in natura ipsa post lapsum reperire ullo modo possit. Quapropter cum res gestæ et eventus, qui veræ Historiæ subjiciuntur, non sint ejus amplitudinis in qua anima humana sibi satisfaciat, præsto est Poesis, quæ facta magis heroica configat. Cum Historia vera successus rerum minime pro meritis virtutum et scelerum narret, corrigit eam Poesis, et exitus et fortunas secundum merita et ex lege Nemeseos exhibet. Cum Historia vera obvia rerum satietate et similitudine animæ humanæ fastidio sit, reficit eam Poesis, inexpectata et varia et vicissitudinem plena canens. Adeo ut Poesis ista non solum ad delectationem, sed etiam ad animi magnitudinem et ad mores, conferat. Quare et merito etiam divinitatis cuiuspiam particeps videri possit, quia animum erigit et in

¹ Καὶ ΦΙΛΟΣΟΦΩΤΕΡΟΝ καὶ πεδαιολέγου ΠΟΙΗΣΙΣ ισχέας εστιν. ARIST. Poet. cap. 9.

² De Augm. Scient. Lib. II. 13.

“ sublime rapit ; rerum simulachra ad animi desideria
 “ accommodando, non animum rebus (quod Ratio facit
 “ et Historia) submittendo.”

Nec tamen ea spiritus elatio et quasi participatio di-
 vinitatis, neque ea profecto in moribus conformandis
 utilitas, ita est propria Epopœiæ, (de qua solummodo
 isthic agit Vir Magnus) ut cæteræ omnes Poeticæ spe-
 cies harum virtutum expertes esse censendæ sint : ad-
 sunt aliæ nonnullæ, quæ in hujus laudis societatem cu-
 piunt venire. Instat imprimis Ode,

“ Ingentes animos angusto in pectore versans ;
 quæ etsi cætera inferior, vi tamen, impetu, ardore, gra-
 vitate etiam interdum et severitate, nulli profecto ce-
 dit. Alia quidem alii agendi est ratio ; par fortasse ef-
 fectus. Epopœia lentius, cautius, consideratius, ideo-
 quæ forsan et certius, finem suum consequitur ; sensim
 fœse insinuat, penetrat, movet, deleat, nunc impetum
 faciens, nunc deinde recedens ; et per jucundas rerum
 ambages lectorem circumducens, animo lenem quan-
 dam vim adhibet, et cum pondere suo, tum potissimum
 mora imprimitur : Ode contra ferit continuo et percel-
 lit, ipsamque affectuum arcem protinus expugnat. Al-
 tera flammæ similis, quæ vento adjuta undequaque
 paulatim serpit, et cuncta demum incendio corripit :
 altera instar fulminis, quod subito erupit,

“ magnamque cadens, magnamque revertens
 “ Dat stragem late, sparfosque recolligit ignes.

Quam autem vim habeat hoc genus Poëtos in vita
 civili tuenda, et in formandis moribus ; præcipue au-
 tem in generosa illa animi ac sensum elatione, qua
 maxime virtus continetur, excitanda atque alenda quan-
 tum valeat, intelligemus, si Græcorum monumenta re-
 vocemus

vocemus in memoriam. Ut Pindari carmina spectemus, quæ et si neutiquam in hoc genere prima, tamen nescio quomodo prope sola jam supersunt: quem Græco homini saepe ea canenti, passim cantitata audienti, nam hujusmodi omnia non solum doctis et delicatioribus jucunda erant, sed usū populi quotidiano trita et pervulgata; quem, inquam, sensum fuisse credamus? An cum Deos suos, cum Heroas, cum majores in Deorum numerum relatos, cum loca, regiones, urbes, et cujusque populi primordia, tantis honoribus tantaque gloria celebrari toties sentiret, non flagrassè ejus peccatus laudis studio, virorum excellentium æmulatione, amore patriæ etiam immodico fortasse, sed nec inhonesto nec inutili; adeoque ut fit, utque fieri expedit, ea animi elatione dicam, an superbia atque insolentia inflatum fuisse, ut præ se suisque barbaros omnes nihili putaret, summeque despiceret? Quid quod Ludis Sacris, quibus non minimum Græcorum virtus bellica sustentabatur,¹ ex poetarum carminibus haud exigua accessit dignitas et pretium: neque ampliorem victoriæ mercedem certantibus ostendebat Corona Olympica, quam Pindari aut Stesichori Encomium. Utinam profecto Stesichorum non invidisset nobis vetustas, cuius gravitatem et magnificantiam omnes prædicant; quem præ cæteris laudat Dionysius,² quod et argumenta fumeret grandia impensis et splendida, et in iis tractandis mores et personarum dignitatem egregie servaret. Alcæo autem præcipue τὸν πολιτικὸν περγματῶν ἡδον idem tribuit:³ at cui

¹ Consule Viri Doctissimi GILBERTI WEST *Dissertationem de Ludis Olympicis.* Sect. XVI.

² DION. HALICAR. Tom. II. p. 123. edit. Hudson.

³ Ibid.

viro? quam strenuo civi? quam animoso reipublicæ et legum propugnatori? quam acri tyrannorum infectatori et vindici? qui gladium suum pariter et lyram Patriæ et Libertati consecraverat; cujus minaces Camœnæ per ora populi volitantes et præsenti et perpetuo erant, non modo suæ civitati, sed et universæ Græciæ, contra malorum civium conatus præsidio. Evidem tam vehementis tamque animosum Poeseos genus, a tali ingenio tractatum, permultum habuisse momenti necessè est, in hominum mentibus cum ad omnem honestatem erigendis, tum a scelere absterrendis; maxime vero in foundo et sustentando illo vigore animi, atque generosa *αξιωση*, quæ Libertatis et alumna est eadem et custos. Num verendum erat ne quis tyrannidem Pisistratidarum Athenis instaurare auderet, ubi in omnibus conviviis, et æque ab infima plebe in compitis, quotidie cantaretur *Σκολιον* illud Callistrati nescio cuius, sed ingeniösi certe poetæ, et valde boni civis? ¹

I A T H E N A E U S. L I B. XV. *Σκολιον* hoc nonnulli Alcæo tribuerunt: quod temporum ratio non fert. Floruit enim Alcæus annis circiter octoginta ante Hipparchi necem. Sed et Auctoris nomen ab interitu vindicavit HESYCHIUS: Αρμόδιον μελος το επι Αρμόδιῳ ποιήσας σκολιον ὑπο Καλλιστράτου σύντοις ελεγεν. Erat autem hoc *Σκολιον* Athenis ita celebre, ut in omnibus conviviis cantari solitum esset.

A R I S T O P H A N E S, *Αχαρ.* 977.

Οὐδεποτέ εἴω πολεμον οἰκισθήσομαι,

Οὐδὲ πᾶς ἔμοι ποτε τοι Αρμόδιον φεσταί

Συνηγγάλινεις, ὃν παροντος αὔγη εφύ.

“Nunquam apud me Harmodium canet:” hoc est, nunquam apud me conviva erit. Ubi SCHOLIASTES: εν ταῖς ταν ποτέντι οἰκοδοσίαις π μελος Αρμόδιος καλεγμόν τοι αρχή, Φιλότε Αρμόδιος, επ πα τεύχας. Item ibid. 1092. inter cætera in apparatu cœnæ numerantur,

Οεχητερέδες, τη φιλέσθ' Αρμόδιος, καλαί.

Huc etiam allusum *Λυσι.* 633.

Καὶ φορητον το ἔφος το λοιπον εν μυρτε κλαδι,

Αρμόδιον τ εν τοις ὄπλοις εὗης Αριστογείου.

Li-

Ἐν μυρτὶ κλαδὶ τὸ ξίφος Φορῆσω,
Ωστέρ Αρμόδιος καὶ Αερισγειτῶν,
Οτε τὸν τυραννὸν κτανεῖτι.
Ισονομᾶς τὸν Αἴγυνας εποιησάτι.

Φιλόθεος Αρμόδιος, επει πά τε θυμός,
Νησοῖς δὲ εὐ μακάρων σε Φασιν εναψ,
Ινα περ ποδώκης Αχιλλεύς,
Τιδειδήν τε Φασιν Διομηδέα.

Ἐν μυρτὶ κλαδὶ τὸ ξίφος Φορῆσω,
Ωστέρ Αρμόδιος καὶ Αερισγειτῶν,
Οτε τὸν τυραννὸν κτανεῖτι.
Αὐδρὰ τυραννὸν Ιππορχὸν εκανεῖτι.

Αει σφῶν κλεος εορτεται κατ' αἰαν,
Φιλόθεος Αρμόδιος καὶ Αερισγειτον,
Οτε τὸν τυραννὸν κτανεῖτο,
Ισονομᾶς τὸν Αἴγυνας εποιησάτο.

Liquet autem ex ipso Σηκλιῳ, conjuratos, cum Hipparchum adorarentur, pugiones suos abdidisse in illis myrti ramis, quos, opinor, solenne erat gestari ab omnibus qui Sacrificio Panathenaico interessent: quod etiam diserte testatur Aristophanis Scholiafest ad locum proxime citatum, ὅτι ταῦς γαρ (Αρμόδιος καὶ Αερισγειτῶν) απὸ μυρτιῶν κλαδῶν τὰ ξίφη αναστάσαντες τὸν τυραννὸν κατέβαλον. Hinc fortasse ductus est mos, ut qui in convivio Σηκλιον aliquod cantaret, semper manu teneret myrti ramum, (vide PLUTARCH. I. Symp. Quæst. I.) quod in hoc Σηκλιῳ ex re initium habuisse videtur. Cæterum Σηκλιον hoc celeberrimum in versiculos suos distinxi; metroque consuli, legendo, Tetraasticho 2do, pro οὐπι, οὐπι που, cum Scholiafest Aristophanis, (sunt qui legunt ουπι πω;) pro Αχιλλεύς, Αχιλλεύς; et omittendo otiosum epithetum τὸν εὐθλον ante Διομηδέα. Porro autem suaserunt rationes Grammaticæ legendum, Tetraasticho 4to, Αερισγειτον pro Αερισγειτῶν; et κτανεῖτο, εποιησάτο, πρὸ κτανεῖτη, εποιησάτη.

Quod

Quod si post Idus illas Martias e Tyrannoctonis quispiam tale aliquod carmen plebi tradidisset, inque Suburram, et fori circulos, et in ora vulgi intulisset, actum profecto fuisset de partibus deque dominatione Cæsarum: plus mehercule valuisset unum *Ἄριστος μέλος*, quam Ciceronis Philippicæ omnes.

Sunt et aliæ Poëseos species, quæ quanquam nobis cum comiter plerumque et familiariter versantur, gravorem tamen personam nonnunquam induunt. Talis est Elegia; non hanc levem dico et amatoriam, sed antiquam illam, sapientem, sanctam, severam; ducem vitæ, magistrum morum, civitatum administratricem, virtutis antistitem. Ne plures Auætores nominem, quorum nullæ jam supersunt reliquæ de quibus judicare possimus, ecce vobis Solon, vir sanctissimus, legum lator sapientissimus, poeta optimus: qui, si quid in reip. administratione ardui objiceretur, ad poeticam facultatem semper configiebat.¹ Num vindicandæ sunt leges suæ, castiganda civium vel licentia vel segnities, concitandi eorum animi et ad libertatis desiderium erendi? Continuo carmen aliquod populo impingitur, acre, severum, fervidum, et in illa gravitate censoria tamen elegans:

Ἐκ νεφελῆς πελεταῖ χνονος μενος ηδὲ χαλαζῆς,
Βροτη δὲ εκ λαμπενος γυμνεται αεροπης.
Ανδρων δὲ εκ μεγαλων πολισ ολλυται· εις δὲ μοναρχα
Δημος αιδρειη δουλοσωμην επεσε.

Notum est Athenienses Salamina ex hostibus receptam Solonis carminibus unice debuisse, etiam invito atque ingratitiis: cum multis cladibus acceptis in summam de-

¹ Vide PLUTARCH. et DIOG. LAERT. in *Solone*.

sperationem incidissent, adeo ut capitale esset, si quis de bello instaurando deque vindicanda insula ferret; tantam profecto vim habuit Carmen illud, Ιομεν εις Σαλαμίνα — quasi a vaticinante sub furoris specie pronuntiatum, ut populus, veluti aliquo numinis afflatus instinctus, ad arma concurreret, bellum flagitaret, aciem posceret, et impetu facto, cæsis hostibus, victoriam exoptatissimam reportaret.

Habemus etiam aliquas Tyrtæi illius reliquias, qui

“ mares animos in martia bella

“ Versibus exacuit;

omnes de bellica fortitudine, de amore patriæ, de immortalis gloria virorum in acie strenue occubentium; quæ timidis etiam audaciam addere possent: quibus ipsis hortationibus Lacedæmonios, debilitatos jamdudum et fractos animo, ad certam spem victoriæ erexit. Nota res est, multorumque auctorum testimonio celebrata: quod ni ita esset, nonnullis isthæc omnia fabulosa forsitan haberi possent; mihi quidem videntur non magis historiæ fide, quam rei ipsius ratione comprobari. Nonne enim credibile est summo animi ardore, summa firmitate atque pertinacia virtutis, ab iis hominibus fuisse dimicatum, qui in acie stantes, gradientes, manum jam cum hoste conserentes, perpetuo canebant ad tibiam istiusmodi carmina?

Θυμῷ γης ἀεὶ τῆσδε μαχαμέδα, καὶ τερπνὰ παιδῶν

Οὐποκωμεν, Ψυχῶν μηκετὶ Φειδομύνοι,

Ω νεοι· αλλα μαχεότε πάρ' αλληλοῖσι μενοντες,

Μηδὲ Φυγῆς αἰχρας αρχετε, μηδὲ φόβοι.

Αλλα τις ευ Δλαβας μεντω τοσιν αιφοτεροισι

Στηριχθεις επι γης, χειλος οδοσι δακων.

Δεξιτερη

Δεξιτερῃ δι' ενι χειρι τινασσετω οδριμον εγχος,

Κινειτω δε λοφον δεινον υπερ κεφαλης.

Και ποδα παρ ποδι θεις, και επ' ασπιδος ασπιδ' ερεισας;

Εν δε λοφον τε λοφω, και κινειν κινει,

Και σερνον σερνω τεπιλημενος ανδρι μασχεσθω;

Η ξιφεος κωπην, η δορυ μακρον έλαν.

Ουδεποτε κλεος εαθλον απολλυται, ρδ' ονομ' αυτο;

Αλλ', υπο γης περ εων, γρυνεται αθενατος,

Ουτιν' αριστευοντα, μενονται, μαρναμενοντε

Γης αερι και παιδων, Θύρος Αρης ολεση.

Leviiores Poeticæ species ne omnino prætermittamus; iis profecto satis superque tribuisse multis videbimus, si illarum utilitatem in ipsa quam afferunt delectatione positam statuamus. Verum ne hanc quidem contemnendam fortasse judicabis, Academici, si cogitatis hos lusus, hanc ipsam levitatem, præbere vobis ubi respiret animus operosa veritatis indagatione defessus; unde ingenia a vehementi contentione relaxentur, attrita reparentur, debilitata reficiantur, et vel ipsa studiorum vicissitudine et varietate recreentur. Qua quidem in re uti possitis gravissimorum virorum exemplo atque auctoritate; inter Græcos, Solonis, Platonis, Aristotelis; inter Romanos, Scipionis et Lælii, Julii et Augusti Cæsarum, M. Varronis, M. Bruti; qui maximis negotiis studiisque severissimis hanc poeticæ facultatis suavitatem et hilaritatem crebro ac libenter asperserunt. Evidem præclare nobis consuluisse videtur natura, quæ cum nos ad veri cognitionem longe a nobis remotam, nec sine magnis laboribus assequendam, vehementer impelleret, haec nobis invenit et paravit oblectamenta, ut haberet mens nostra, quo defatigata identidem con-

fugeret; ubi conquiesceret, omnemque illum languorem et molestiam deponeret.

Nec vero illud quoque in his studiis prætereundum est, Academici, quod ut vestrorum laborum solatia quædam ibi reposita habetis, ita ex eisdem multa literarum ornamenta depromere possitis. Primum equidem est, res ipsas earumque rationes clare animo concipere et cogitatione complecti; tum huic proximum, animi sensus non modo dilucide, sed et ornate, oratione explicare. In hoc enim omnes aliquantulum delicati fumus, ut nuda et jejuna etiam gravissimarum rerum expositione parum simus contenti: assumenda sunt artis aliqua condimenta, quæ fastidium illud vincant; adhibendus flos quidam orationis, aliqua sententiarum lumina; etiam aurium voluptati modis quibusdam et numeris consulendum. Quibus omnibus quanquam Poetæ longe aliter ac cæteri scriptores utuntur, nihilominus qui in eorum scriptis et legendis et imitandis aliquid temporis et operæ collocaverit, id ei usu venturum arbitror, ut sentiat, hac quasi palaestra excoli et formari sibi ingenium, vires animi et celeritatem augeri, orationem etiam suam hac consuetudine atque commercio similem quendam habitum et colorem assumere. Cujusmodi quiddam iis accidere videmus, qui saltationi aliquando operam dederunt; nam et si gestum et incessum ad certos motus minime componant, subest tamen aliquid ex hac exercitatione, unde eos non id agentes decor ille furtim prosequitur. Neque vero incredibile est, ad sumnam oratoriæ eloquentiæ laudem perficiendam nonnihil ex poetica facultate adjumenti attulisse tum C. Cæsarem, tum M. Tullium; ¹ alterum Romanorum

¹ “Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit: — ideoque

“mibi

disertissimum, alterum eloquentissimum; utrumque et legendis carminibus deditum, et in scribendis exercitatum. Hoc in Platonis scriptis ita apparet, ut non modo de re ipsa male ac perverse judicavisse, sed et hominis ingrati crimen in se admisisse videatur, cum Poesin ex commentitia sua civitate ejecerit, cui ipse ingenii sui nitorem et cultum deberet, cujus ex fontibus dulcem illam orationis ubertatem et flumen eloquentiae derivasset.

Sed ut ad majora illa redeamus; hoc certe præcipue inter cæteras disciplinas eminet Poetica, quod excelsum quiddam ac pene divinum sapiat; quod animum non modo defessum recreet, turbatum leniat, oppressum erigat; sed ad pulchra, decora, ardua, evehat atque accendat; nec tantum optima vitæ præcepta ita tradat, ut reddat etiam jucundissima, sed ipsum etiam Honestum menti quodammodo inferat atque infundat. Præterea cum ea laudis ac gloriæ cupiditas animis nostris innata sit, quæ nos ad præclara et excelsa acerriime stimulet; id sedulo agit Poesis, ut hoc naturæ consilium plene exequatur, ut hos virtutum igniculos foveat nutritaque. Cumque id imprimis sui muneris esse semper duxit, ut res bene, præclare, fortiterque gestas celebraret; ut egregia maximorum virorum exempla posteris traderet, eorumque immortalem memoriam suis consecraret monumentis: hæ certe Poesi debentur gratiae, quod non solum animum ad virtutem præceptis informet, exemplis dirigat, et vi quadam insita atque sua concitet atque incendat, verum etiam quod ipsi

“ mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit.” QUINCTIL. Lib. x. 5.

virtuti amplissimam et jucundissimam suorum laborum mercedem persolvat.

Verum de Poetica adhuc levius omnino et humilius, quam ejus dignitas postulat, existimabimus, nisi eo demum convertamus animos, unde ejus magnitudo maxime elucet; nisi eam in sacris versantem, et Religioni ministrantem contemplemur. Hoc primum ei negotium datum est; hoc ita feliciter exequitur, ut in cæteris rebus impositam quandam personam gerere videatur, hic solummodo suam; alibi enim ad artis subsidia semper confugere, hic propria vi niti, aut potius spiritu vere divino sustentari. Quid enim habet universa Poësis, quid concipere potest mens humana grandius, excelsius, ardentius; quid etiam venustius et elegantius, quam quæ in sacris Hebræorum Vatum scriptis occurunt? qui magnitudinem rerum fere ineffabilem verborum pondere et carminis majestate exæquant; quorum cum nonnulli vel ipsis Græcorum poetarum fabulis sunt antiquiores, ita omnes tantum eos sublimitate exsuperant, quantum vetustate antiquissimi antecedunt. Quod si ipsius Poëeos ultima origo quæratur, ad Religionem omnino videtur referenda. Nam cum sit facultas a natura profecta, præceptis et legibus non nisi fero conformata, non ætatis alicujus aut gentis propria, sed universi humani generis; vehementioribus humanæ mentis Affectibus necessario tribuenda est: quorum ea est natura, ut se se efferant vocibus elatis, ardentibus, maximeque a vulgari sermonis usu abhorrentibus; nec minus æquabilem illum continuæ locutionis tenorem impetu suo dirumpunt et distinguunt intervallis; sententias acres, incitatas, vibrantes, crebris veluti iæstibus contorquent; et orationem pro motu et habitu animi

varie

varie intercidunt, et quodammodo modulantur. Hoc in Admiratione et Gaudio vel maxime locum habet; et quid erat quod hominis jam tum creati mentem, opinionum vanitate nondum depravatam, adeo vehementer potuit percellere, ac, quæ tum ei plane obversata est, Dei Optimi Maximi bonitas, sapientia, et magnitudo? quid verisimilius, quam primum inconditi carminis conatum in Creatoris laudes ipso exardescētis animi impetu erupisse? Id certe minime dubium est, eisdem in sacris enutritam fuisse Poeticam, in quibus nata videatur: obire templa, adesse altaribus, prima ei et propria quædam occupatio fuit: et cum religiones in variis gentibus atque ætatibus diversissimæ obtinuerint, in hoc tamen omnes confensissæ accepimus, ut hymnis et carminibus celebrarentur.¹ Hujuscce originis non obscura indicia etiamnum præ se fert Poesis, eo quod sacram et cælestem materiam veluti parentem suam et educatricem ardentissimo affectu semper amplectatur; huic veluti ad germanam patriam amet recurrere, ibique et lubentissime versetur, et maxime vigeat.

¹ Antiquissimum secundum PLATONEM Musicæ sive Pœseos genus erant εὐχαὶ τῷ θεῷ οὐραὶ δὲ ὑμνοὶ επενθελούντο. *De Leg.* Lib. IIII. Rem ipsam eleganter illustrat S U E T O N I U S; in Nominis etymologia infelicior, ut accidit nonnunquam veteribus Grammaticis. “Cum primum homines exuta feritate rationem vitæ habere cœpissent, seque ac Deos suos nosse, cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religioneum Deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut tempora illis domibus pulchriora, et simulachra corporibus ampliora faciebant; ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putaverunt, laudesque eorum et verbis illustrioribus et jucundioribus numeris extulerunt. Id genus, quia forma quædam efficeretur, quæ ποιῶν dicitur, Poema vocatum est, ejusque factores Poetæ.” Ex opere deperdito *De Poetis* citatum ab ISIDORO, *Orig.* Lib. VIII, cap. 7.

Verum isthæc attigisse solummodo et quasi prælibasse jam sufficiat, plenius forsan aliquando discutienda. Quod autem sit in posterum instituti mei consilium, quæ positæ materiæ forma, veniam mihi ut spero facile concedetis, Academici, si nondum ausim in medium proferre. Effet sane hominis et vestrum de se judicium parum reverentis, et suo plurimum tribuentis, quæ apud animum suum paululum agitata haberet, nec satis ad liquidum cogitatione perducta, coram vobis protinus effutire. Ego vero sic mecum statuo, nihil huc subitum, nihil nisi mea qualicunque industria elaboratum afferri oportere; id mihi sedulo enitendum, ut ingenium, eruditio, copiam, cæteraque quæ mihi sentio deesse omnia, ea quantum possim cura, diligentia, labore compensem. Hæc si præstem, altera illa ut mihi remittatis et condonetis, rogo, Academici; ut quem studio vestro et favore ornavistis, eundem porro humanitate et indulgentia prosequamini.

DE SACRA POESI HEBRÆORUM.

PRÆLECTIO SECUNDA:

ARGUMENTI PROPOSITIO ET DISTRIBUTIO:

SOCRATES, ut apud Platonem¹ legimus, cum sæpius per insomnium esset admonitus, ut Musicæ operam daret, officio quasi divinitus sibi delato satisfaciendum ratus, primo quidem carmen in Apollinis laudes composuit, ac postea aliquas sumpfit fabellas Æsopi versibus illustrandas: id, credo, secum reputans, primitias Poeticæ, quam ille præcipuam quandam Musicæ partem² esse existimabat, Diis immortalibus consecrari debere; nec sibi, homini in his studiis minime exercitato, nisi ea se religione prius exsolvisset, ad leviorum materiam suoque forsan ingenio accommodatiorem licere descendere. Sequar, Academici, gravissimi Philosophi auctoritatem; et cum hoc mihi ab Academia munus demandatum est, ut Poeticæ

¹ In *Phædone* sub init.

² Τις οὐν ἡ παιδεία; — εἴτι δὲ πον ἡ επι σωμάτω, μυεκτική ἡ ὅθε επι νύχη, μυετική. PLAT. *De Rep.* Lib. II.

naturam et rationem vobis exponam, id ex ea potissimum parte ingrediar, unde ille ad ejusdem Artis studiū et exercitationē accedendū sibi pūtavit. Statui enim in primis quādam de Sacra Poesi differere, ea nimirum quæ a veteribus Hebræis exculta est, et in rebus vere divinis unice occupata; ut si materiae arduae ac diffīcili parum satisfecero, ad minora saltem quasi auspicio possim transire. Ego vero hoc negotium ea mente suscipio, ut non solum pro ratione officii diligenter, sed et pro mandantis amplitudine honorifice exequendum existimem; nec mihi videndum modo esse, quid hujuscē instituti propositum et studiosæ juventutis utilitas, sed et quid hujus Academiæ dignitas requirat. Quandoquidem autem ipsa etiam Academia, cum hanc nobis disciplinam decreto suo confirmaret, Poeticæ studium eo præcipue nomine commendavit, “quod ad “severioris literaturæ, tam Sacræ quam Humanæ, in-“crementum conducat;” nihil sane occurrebat, quod tractari posset, vel utilius, vel ad hujus institutionis consilium et Academiæ nostræ mentem etiam accommodatius, quam ea Poeticæ species, quæ cum Sacrarum literarum magnam partem conficit, tūm cæteris omnibus et rerum dignitate et magnificentia spiritus longe antecellit.

Enimvero quid est cur Homeri, Pindari, Horatii scriptis celebrandis omniq[ue] laude cumulandis toties immoramus, Mosem interea, Davidem, Isaiam, silentio præterimus? An rem ipsam censebimus ab his scholis abhorrire? in quibus tamen hæ literæ semper primas obtinuerunt: an ab hoc florentissimorum juvēnum cœtu

alienam esse? quorum tamen plurimi his ipsis studiis operam suam et labores consecraverunt. An id tandem statuendum est, eorum quidem hominum scripta, qui tantum modo effecerunt, quantum ingenio et facultate consequi potuerunt, ratione et via tractari oportere, et ad artis præscriptum et normam exigi: quæ vero altioræ habent originem, et Divini Spiritus afflatui vere tribuuntur, eorum vim quidem ac venustatem suo lumine quodammodo elucere; sed nec doctrinæ institutis constare, neque Artis finibus circumscribi posse? Verissimum quidem est, Poesin sacram, si ejus originem spectamus, humanam et artem et naturam longe superare: nihilo tamen minus, si ejus sublimitatem cæterasque virtutes recte æstimare velimus, hoc est, quantum in concitandis animi humani affectibus valeat, intelligere; ad utramque est recurrendum: videndum enim, quænam sint istæ mentis affectiones, et quibus potissimum modis excitandæ. Præterea cum, ut in cæteris disciplinis, ita in Poetica, Ars omnis sit cognitio quædam ex natura deprompta, rerum observatione percepta, usu confirmata; cum in iis homines docti deprehenderent, quid decorum esset, quid conveniens, et ad instituti operis finem consequendum recte comparatum; eaque sparsim notata, lateque diffusa, ratione quadam inter se constringerent, et ad certum ordinem certasque leges revocarent: patet Artem ex ingeniorum excellentium monumentis suam originem ducere, non excelluisse ingenia eo quod artis subsidiis essent instructa; recteque adhiberi ejus præcepta in illustrandis etiam illorum scriptis, qui ea vel nescirent, vel non attenderent. Cumque Poëeos Sacræ consilium sit, mentem humānam ad omnem veræ

veræ virtutis et pietatis habitum formare, et vehementiores animi affectus ita concitare, ut eos ad proprium finem usumque legitimum dirigere possit; si quis instrumenta illa, et quasi machinas, quibus institutum suum absolvit, perspexerit, is profecto haud exiguum ipsi Arti subsidium est collaturus. Quamvis igitur ad occultos hujuscce Nili cælestis fontes haud fas sit penetrare, licet tamen sancti fluminis cursum et flexiones sequi, aquarum auctus et recessus notare, ac rivos etiam quosdam tanquam in subjacentes campos deducere.

Primum certe in hac disciplina locum merito sibi vendicant Sacra Poemata, cum ex iis et ipsius Artis origo repetenda est, et ejusdem dignitas verissime æstimanda. Cæterarum artium initia, utcunque rudia et imperfecta, et circa res tenues et minutas occupata, juvat tamen plerumque eruere et contemplari: hic Poesin in ipsius primordiis intueri licet, non tam humano ingenio excogitatum, quam e cœlo delapsam; non parvis incrementis paulatim crescentem, sed ab ipso ortu plenam quandam habentem et decoris et roboris maturitatem; non nugis ancillantem et vanitati sua præbentem lenocinia, sed divinæ veritatis ministram, inter Deum atque homines quandam internuntiam. Hoc enim primum et præcipuum habet munus, ut et hominum vota actionesque gratiarum Deo commendet, ejusque laudes celebret; utque ex altera parte hominibus divinorum confiliorum mysteria patefaciat, et prænuntiet futura: quod quidem officium Poesis imprimis sibi honorificum et illustre dicit contigisse. Illud enimvero haud perfunctorie attendi velim, quod ex universa sacrorum voluminum serie constare arbitror; eventuum futurorum significationes semper

per fere versu et numeris enuntiari; et ejusdem fuisse Spiritus rerum præfensionem suo inflatu impertire, iisque magnificos poeseos sensus et carminis ornatum inducere; ut cum rebus ipsis longe humanos conceptus superantibus quædam etiam eloquii divinitas consentiret. Quid autem est ex iis omnibus, quæ in honorem Poeticæ fautores ejus studiosissimi vel ediderunt unquam, vel conceperunt, vel etiam finxerunt, quod non infra hanc laudem, infraque ejus merita reique veritatem constat? Quid ex omnibus, quæ in eandem acerrimi ejus obtrectatores unquam conjecerunt, opprobriis, quod non Hebrææ Poeseos exemplo penitus refutetur atque obruiatur? Desinant itaque ex quorundam hominum vitio, qui rebus optimis pessime abutuntur, honestissimæ facultati invidiam conflare: desinant eam artem ut in se levem futilemque contemnere, ut profanam atque etiam impiam criminari, quam in sanctissimos usus Dei ipsius munere hominibus concessam fuisse videmus, Deique ipsius auctoritate atque exemplo augustissimis ministeriis consecratam.

Utrum Poesin suam Græci ex naturæ primum fontibus ipsi hauserint, an aliunde ex remotiore aliqua origine derivatam acceperint, nec magni momenti videtur, nec exitum habitura disputatio: hoc certe constat, eam semper apud Græcos invaluisse de Poeticæ natura et origine opinionem, quæ, si ipsorum tantum Poesin spectamus, esset vanissima; cum Hebræorum vero Poesi re et veritate congrueret. Etenim Poesin sanctum et cælestè quidam existimabant, neque artis aut facultatis esse humanae, sed divini omnino muneris: apud eos itaque sancti habiti Yates et deorum interpretes, ut quibus consuetudo

et

et commercium quoddam cum cœlo intercederet; cæremoniæ, et religiones, deorumque laudes carminibus celebratæ; et quod habet eorum Poesis antiquissimum, oracula semper versibus edita, quo et augustiora et credibilia populo viderentur; quippe qui existimabat, æque divini cujusdam instinctus esse, res et præsentire, et versibus protinus exprimere. Retinuisse itaque videntur consignata quondam in animis hominum antiquæ et veræ Poeticæ notionem aliquam et formam, posteaquam rem ipsam amisissent; cum vanissimis commentis sese invicem corrupissent Religio et Poesis.

Cum igitur unicas primævæ et germanæ Poëeos reliquias nobis Sacri Codices servârunt, ipsa vetustate venerandas, divinitate etiam adorandas, de iis mihi in primis quærendum existimavi; quantum nimur patitur hujuscce disciplinæ ratio: ut meminerim me, non Theologiæ studiosis divinæ veritatis oracula exponere, sed juventuti in politiori doctrina et literarum elegantiis exercitatæ commendare lectissima Poemata. Debuit fortasse me ab hoc incepto omnino dehortari rei ipsius difficultas: verum hanc, ut spero, apud vos, Academici, excusationem habebit meum audacius forsitan consilium, ut me existimetis eam potissimum materiam tractandam suscepisse, quam maxime et per se egregiam et huic instituto accommodatam judicarem; atque id faltem vidisse, quid hoc loco dignum esset, si parum considerate expenderim, quid meæ vires possent sustinere.

Eam autem in hac disquisitione viam insistam, quam ultro videtur ostendere rei ipsius ratio. Tria enim sunt in omni poemate præcipue advertenda: primum quidem res ipsa, ejusque tractandæ ratio; quæ dispositio, quis

quis ordo, quæ pro vario poematis genere totius forma : tum elocutio sive stylus ; in quo continentur sensus elati atque ardentes, sententiarum lumina, figurarum atque imaginum pulchritudo et varietas, verborum denique vis, pondus, elegantia : postremo carminis suavitas, numerique, non solum ad aurium delectationem compositi, sed ad res ipsas exprimendas, omnemque animi motum concitandum efficaces. Videndum itaque quid in harum partium singulis præstari possit, et quousque in Hebraica Poesi discutienda et tuto et cum fructu aliquo versari liceat.

Quod ad Versuum rationem attinet, ut de posteriore prius dicam ; vereor ne is locus pene sit omittendus, cum pateat non modo ex irritis doctissimorum virorum conatibus, sed ex rei ipsius natura, omnem fere carminis Hebraici cognitionem intercidisse : nisi forte operæ pretium sit hac in parte certa, si quæ sunt, ab incertis conjecturis fecernere, et hoc ipsum ostendere, quantillum id sit, quod sciamus. Et profecto, quanquam abjicenda quidem fuerit omnis de Metrorum ratione disquisitionis, cum tamen aliqua appareant carminis vestigia, erunt fortasse nonnulla quæ de universa ejus natura breviter primo animadverti poterunt, et, prout occasio fert, particulatum etiam postea notari.

Verum fatis uberem disquisitioni nostræ materiam præbebit ea pars quæ de Stylo Hebrææ Poeseos agit ; qui cum præcipuas habet virtutes, quæ in Poetica sunt communes ac veluti publici juris, tum multas possidet tanquam proprias et suas.

In altera illa parte, quæ natura et dignitate prior ultimo restabit tractanda, diligenter ut in re perquam difficili erit versandum, et caute simul, ut semper, insistentem ;

dum; ne, si in spatiis Poeticis nimis licenter vagamur, in Theologiæ sacraria imprudentes irruamus; quod ne unquam temere fiat, sedulo mihi cavendum statui. Hujus vero loci erit, Poemata Hebræa in certas classes secundum varias eorum Species, quantum commode fieri poterit, distribuere; quid in singulis maxime advertendum sit videre; fortasse etiam cum Græcis ac Latinis comparare, si quæ ejusdem generis esse videantur.

P A R S P R I M A,

מִזְמֹר

S I V E D E M E T R I S H E B R Ā E I S.

P R A E L E C T I O T E R T I A:

POESIN HEBRÆAM METRICAM ESSE.

IN G R E D I E N T I mihi propositam de Sacra Hebræorum Poesi disputationem in ipso aditu occurrit difficilis ac perobscura quæstio de Natura Carminis Hebraici; quam sane libenter defugissem, si per instituti rationem licuisset. Sed cum omni Poesi hæc sit veluti propria quædam lex et necessaria conditio constituta, a qua si discedat, non solum præcipuam elegantiam desiderabit et suavitatem, sed ne nomen quidem suum obtinebit; nimirum ut sit numeris adstricta, atque aliquo constet metrorum genere: idcirco qui Poesin Hebraicam tractat, ei hujuscæ disquisitionis quædam imposita est necessitas, ut ostendat saltem isthæc Hebræorum scripta, siquidem Poemata sunt, esse Metrica; utque porro inquirat, numquid certi de hujuscæ carminis ratione definiri possit. Hunc itaque locum ita aggredior, non ut rem ipsam multum illustraturum me sperem, sed

ut

ut quæram pōtiūs, quatenus omnino possit illustrari; atque id ipsum breviter cauteque, ut qui hujus argumenti, veluti freti cujusdam doctorum naufragiis infamis, extremam tantum oram ausim legere.

Ac primum quidem Hebræorum scripta quædam non modo spiritu poetico animata esse, sed numeris etiam et metro aliquo adstricta, quanquam in contrariam sententiani abierint eruditorum nonnulli, satis tamen clare opinor constabit, si ea vel paulo attentius advertimus. Nam ubique fere apparent eæ saltem reliquiæ et quasi vestigia carminis, quæ vix potuissent in ulla alia lingua superesse, cuius, ita ut nunc Hebrææ, sonus ac pronuntiatio propter varios casus, quos tafta fert vetustas, penitus obsolevisset.

Erat apud Hebræos Vates usu carminis quoddam genus memoriæ præcipue juvandæ causa, ut videtur, inventum, quo res aut sententias, aliquantum dissipatas plerumque, nec satis ipsa naturæ et dispositionis necessitate inter se connexas, ita exprimerent, ut singuli vel versus vel strophæ literis primoribus Alphabeti ordinem repræsentarent. Cujus rei multa etiamnum inter sacra Poemata exempla extant.¹ Hic itaque prodeunt, ac veluti ultro fæse nobis offerunt, versiculi certis quibusdam notis signati, suisque limitibus circumscripti; quod in membris tantum orationis omnino solutæ fieri unquam potuisse plane incredibile est: præsertim, si hos ipsos versus animadvertisimus, interque se comparamus, æqualibus plerumque spatiorum intervallis decurrentes, atque ita veluti in quadrum redactos, ut sæpe vocibus

I P.S. xxv. xxxiv. xxxvii. cxi. cxii. cxix. cxlv. PROV. xxxi, a Comitate decimo ad finem. JEREMIÆ THRENÍ per totum, excepto ultimo Capite.

voces adnumeratae, ac pene syllabis syllabæ pares respondent. Quæ cum ita se habeant, quamvis aurium judicio in hac re vix uti licet, ipso tamen prope aspectu agnoscemus, omnia non modo numeris poeticis esse distincta, sed etiam accuratam aliquam in iis dimetiendis adhibitam fuisse diligentiam.

Habet etiam aliud Poësis Hebræa quod metricæ orationis omnino est proprium. Iis enim solummodo scriptoribus, qui certa quadam numerorum ac pedum moderatione sunt adstricti, ea licentia conceditur, ut vocibus utantur a communi loquendi usu ac lege discedentibus, et a linguae analogia paulum detortis; utque eas non-nunquam vel detractis quibusdam syllabis diminuant, vel adjectis augeant. Quæ res eam vim habet, non tam ut in promptu sint quædam numerorum complementa, quam ut sonorum varietas fatigati occurrat, utque universæ elocutioni proprius quidam color inducatur, et sua constet tanquam a plebe semota dignitas. Hujusmodi igitur artificio aliquo pro vario cujusque lingue ingenio semper utitur Poësis. Cernitur autem id duobus potissimum: primo Glossarum, sive peregrini sermonis, usu; tum vocum receptarum Anomaliis quibusdam, sive formis insolentioribus.¹ Notum est quantum in hoc genere sibi permiserunt Poëtæ Græci; quorum lingua præ cæteris omnibus, propter Dialectorum, quæ in diversis Græciæ Rebus publicis obtinuerunt, varietatem et copiam, hujusmodi licentiis erat maxime opportuna. Secundum illos nulli fortasse eas liberius admiserunt quam Hebræi; qui cum Glossis, tum vocum Anomaliis, maxi-

¹ Vide ARISTOT. POET. Cap. 22.

me autem Particulis¹ quibusdam orationi metricæ propriis, et in fine vocum identidem additis, stylum distinxerunt, et Dialectum quandam Poeticam sibi conferunt.

1 Particulæ Poeticæ, quas fere Paragogicas vocant Grammatici:
1 Nominibus additum: NUM. XXIV. 3. PS. L. IO. LXXIX. 2.
CIV. 8. CIV. II, 20. ISAS. LVI. 9, bis. ZEPH. II, 14.

“NUM. XXIV. 3. uti et חִתּוֹן נָבָן p. s. L. IO. &c. videtur esse
“Pleonasmus Syriacus. Ita enim loquuntur Syri; בֶּרֶה דָּדוּד, filius
“ejus Davidis: MAT. I. I. נֵיָה, Os ejus Domini: ISAI. I. 20.
“לְמַעֲנָה p. s. CXIV. 8. olim legebatur לְמַעֲנִי, ut patet ex versione
“LXX. λιμνας ῥεων.” H.

, additum Nominibus, Adverbii, Præpositionibus, in Poeticis passim: item Participiis Benon. Sing. Masc. et Fœm. GEN. XLIX.
II. PS. CI. 5. PROV. XXVIII. 16. JER. XXII. 23. XLIX. 16. LI.
13. EZECH. XXVII. 3. hoc autem Masoretæ aliquoties perperam expunxerunt.

De , addito Verbis secundæ Perf. Fœm. Sing. Præt. mendum sit necne nonnihil dubito: Masoretæ certe semper expungendum censuerunt. Vide JER. XIII. 21. XXII. 23. XXXI. 21. et EZECH. XVI, ubi decies reperitur. Non est verisimile in uno Capite eodem modo toties potuisse errari. “In his decem locis deest , MS. “Nº. 1.” K. Potest etiam esse Glossa Syriaca, quæ LUD. CAPPELLI sententia est; Crit. Sacr. Lib. III. Cap. XIII. 8. Quanquam est locus ubi eadem forma effertur eadem Perf. Masculina: “Quoniam dixisti” — PS. LXXXIX 3. ita sane acceperunt Interpretes omnes præter Paraphrastem Chaldæum; et recte quidem, si aut sententiæ, aut locorum parallelorum habenda est ratio. Verum hoc mendum potius esse existimo, quanquam Masoretæ non notarunt.

“Verba secundæ Perf. Fœm. Sing. Præt. sequuntur formam Syriacam et Arabicam.” H.

נ pro מ, vel מְנֻ, in Poeticis passim; PS. II. 3, 4, 5, quinque: nonnunquam singulariter pro . vide ISAI. XLIV. 15. LIII. 8. JOB. XX. 23. XXII. 2. XXVII. 23. PS. XI. 7. Et Paragogicum saepe. נְנֻ simplex videtur omnino Poeticum, (quod occurrit NE-

Hoc igitur opinor satis tuto affirmare possumus, Poësia Hebræam Metricam esse. Ipsorum porro versuum proprietatem unam aut alteram lieeat adnotare, quas uti quivis deprehendat in iis carminibus, quorum versiculi per

HEM. IX. 11. sumptum est ex Cantico Mosis EXOD. XV. 5.) cum Præfixis aut Suffixis non item.

"Is. LIII. 8. לְמַן. Habent hic LXX; וְיָמֵן εἰς ιανέτον: quod, ut "solet, sequitur Arabs. Legerunt תְּמַלֵּל." H.

Harum Particularum, quas Poeticas voco, occurserunt in scriptis Prosaicis exempla perpaucā, in sequentibus locis, ac nescio an alias ulla: 1, GEN. I. 24. sed pro חִתּוֹ אֶרְצָה Codex SAMARITANUS habet הָרָצָה, uti exprimitur etiam in Hebræo in commate proxime sequente. 2, GEN. XXXI. 39, bis: sed deest item in Codice Samaritano: quanquam hoc potest etiam esse Pronomen Affixum. Item RUTH. III. 3. bis: sed deest, utrobique in nonnullis MSS. Vide KENNICOTT. *Dissert. I. De Textu Hebreo*, p. 447. et HOUBIGANT. in loc. Et II REG. IV. 23. sed deest item, in iv MSS. HOUBIGANT. נְזָהָתָם denique EXOD. XXIII. 31. sed pro גָּרְשָׁתָם LXX. VULO. legerunt נְגָרְשִׁתִּים; et huic lectioni favet loci sententia.

Huc forte referri possunt ה et ג Paragogica; et ש Relativum, quæ in Poeticis frequentius quam alibi occurserunt.

Hæc sunt plerumque si non omnium Anomaliarum exempla, quibus præcipue constat Dialectus Poetica. Quam libere autem iis utantur Sacri Vates, ut melius appareat, apponam earundem specimen, quod ex uno loco collectum, nimirum ex Cantico Mosis EXOD. XV, exhibet ABBARANEL: "Vides, inquit, in isto Cantico mensuræ causa quandoque contrahi *voces*, quandoque extendi et protrahi per additionem quarundam literarum, ad justam faciem mensuram et modulationem; prout aliquando etiam una et altera, hujus rei causa, deficit. Literæ quæ in præsenti Cantico sunt superadditæ sunt istæ: duo Vau et Jod in voce יְכִימָנוּ, suffecisset enim נְסָבָת: Jod item in נְאָדָרִי: Vau in יְאָלָמָן · Vau in תְּבָלָעָמוּ: Vau in כְּסָמָן: Vau in תְּחֻזָּנוּ: Thau in אֲחֹזָנוּ: (sane mihi videtur hæc nominum forma esse omnino Poetica; multa ejus exempla profert GLASSIUS Phil. Sacr. pag.

literas initiales certo definiuntur, ita ad reliqua inde transferri conjectura saltem possunt. Primum quidem, versus eo inter se dissimiles esse, quod alii aliis multo sunt productiores; brevissimos sex aut septem fere syllabis

269, ex libris autem Poeticis et Propheticis omnia:) “Vau in “זְמָרָת יְהִי תְּטוּמוֹ: Vau in תְּטוּמוֹ. Deficientes sunt Jod in in: sic “in הַלְּתוֹ מִהְסָּת pro תְּמָלָא: Vau in נַהֲלָת pro נַהֲלָת: sic etiam “deficit vox in versu לְבֵב כְּנֻעַן כָּל יְשָׁבֵי. Non enim existit “mandum Principem Prophetarum errasse circa accuratam litera-“rum rationem, et ordinem scriptionis illarum: verum Carminis “ratio et melodiae necessitas sic postulârunt.” A B A R B. in *Mantissa Dissertationum ad Libr. cosri a buxtorffio* edit. Bafil. 1660. pag. 412. Quibus exemplis addere potuisset ex eodem *Cantico*, מִן בְּמַנְחָה אֶרְמָמָנָה Epentheticum in bis, Paragogicum in יְרָגָן.

De Glossis autem, sive de vocibus peregrinis, quæ in Hebræorum Poesi occurunt, in hac linguae Hebrææ vetustate atque angustiis, vicinarumque Dialectorum quæ una vigebant pene ruina, haud licet nimis fidenter pronuntiare: cum fieri possit, ut quæ pro Chaldaicis (puta) vulgo habentur, fuerint fortasse utriusque linguæ communes; contra, ex iis quæ rarius usurpantur, quarumque origo ignoratur, aliquæ a vicinis Dialectis fuerint mutuatæ. Cum vero sint voces nonnullæ, quæ saepius occurunt in eorum monumentis Poeticis, nec alibi, nisi apud Chaldæos; de his probabiliter judicare possumus, eas vel a vicinis Dialectis adscitas fuisse in Hebream, vel faltem, postquam in vulgari sermone penitus obsolevissent, in usum revocatas: cujusmodi sunt, quæ sequuntur. בָּר filius, טְשָׁק veritas, חַבָּק occidit, חַנָּש crevit, חַדָּש laudavit, יְקָר erexit, יְעָקָב (quod Hebraice effertur יְקָב) arctavit: &c. Ecce autem Moses ipse in exordio supremæ Benedictionis, DEU T. XXXIII. nonne Chaldaismum saepius admisit?

וְאַתָּה מְרַבֵּבָת קְדִשָּׁה
מִימִינְךָ אֲשֶׁר דָת לְמַוְתָּה
אֲפָחַב עַמִּיךָ

quid אַתָּה? quod iterum etiam occurrit v. 21. quid חַבָּב? et forma et notione Chaldaicum: quid דָת? vocabulum in vulgarem Hebræorum

constare; longissimos ad bis totidem circiter excurrere; ita tamen ut unum atque idem poema versiculis plurimum non valde inter se imparibus continuetur; ibi denique fere incidere versiculorum clausulas, ubi distinguuntur sententiarum membra.

Quod autem ad veros horum versuum numeros, ad rhythmum et modulationem attinet, id omne et penitus ignotum esse, et nulla unquam arte aut industria humana investigari posse, ex ipsa rei natura satis apparet. Manifestum est antiquam et veram Hebraica pronuntiandi rationem omnino esse ignotam. Quæ enim de hac re præcepta excogitaverunt recentiores Judæi, mul-

bræorum sermonem vix receptum nisi post captivitatem Babyloniam; præsertim cum sermo Hebræus abundaret synonymis quibus Dei legem exprimere potuisset. (Sed hæc ultima vox hoc in loco merito fortasse mendi suspecta est: vid. KENNICOTT. *Dissert. I. De Textu Heb.* p. 427. et HOUBIGANT. in loc.) Porro forma Chaldaica eleganter utitur ISAIAS, de Babylone loquens, in voce מִזְחָבָה, quod Hebraice esse מִזְחָבָה, Cap. xiv. 4. nec minus apposite in eodem argumento Psaltes adhibet vocem תַוְלִילָנוּ ps. cxxxvii. 3. quod est Chaldaicum pro שׁוֹלֵלָנוּ, ut accepit ipse Paraphrastes Chaldæus, qui reddit per vocem synonymum בָּנוּנָא; nec sani quidquam hic afferunt cæteri Interpretes. In Anomaliis item quibusdam Grammaticis Glossarum exempla quædam certo deprehenduntur: qualia sunt sequentia, Syriaca vel Chaldaica: יְהִי pro יְהִי, ps. cxvi, ter; ciri, quinques occurrens; item JER. xi. 15. וְהִי pro וְהִי, ps. cxvi. 12. וְ Terminatio Plur. Nom. Masc. pro וְיִהְיֶה, job. iv. 2. xxiv. 22. xxxi. 10. et alibi sæpe; item PROV. xxxi. 3. THREN. IV. 3. EZECH. xxvi. 18. MICH. III. 12.

“**מִרְחָבָה**, SAMAR. habet חָבֵב, in forma Arabica, “sunt, ut Chaldaica, ita etiam Arabica. תַוְלִילָנוּ, verum hujus vocis etymon conservâsse videtur verbum Arabicum תַלֵּל, *vinxit*, “manuduxit; unde LXX. απαγαγεύεις ἡμας; et Chaldæus בָּנוּנָא, cap-“tivos abduxerunt.” H.

tis post seculis quam majorum suorum lingua in desuetudinem abiisset, eis auctoritatem ac fidem jamdudum derogaverunt eruditæ: quod si revera ex horum hominum decretis conformanda sit pronuntiatio, fatendum jam erit, non modo, id quod experti sentimus, Hebræorum carmina nihil reliqui habere, sed nihil etiam unquam habuisse, harmoniæ ac poeticæ suavitatis. Sed nec iis tum integrum erat obsoletæ linguæ sonos jamdiu elapsos revocare, et veras pronuntiandi leges instaurare; nec cuiquam jam mortalium fas est sperare, se vel minimum in re tam tenui, et ab nostris sensibus omnino remota, tamque funditus deperdita, conjectura consecutum. Evidem linguarum omnium hac in parte subtilissima quædam est ratio: postquam obsoleverunt, literis quidem consignatae vocem aliquam retinent, sed, ut ore alieno prolatam, absconam eam omnino ac barbaram: abest illa vitalis gratia, defloruit nativa suavitas, evanuit primævæ venustatis color. Græca proculdubio et Latina multum jam pristinæ ac patriæ dulcedinis amiserunt, et, prout nunc efferuntur, sonum edunt, apud diversos populos diversum, sed ubique barbarum, quemque olim Atticæ et Romanæ aures nullo modo ferre potuissent. Sed in his manet utcunque rhythmus, sui utrisque numeri, sui pedes constant: Hebræi vero sermonis longe deterior est conditio, qui suis vocalibus destitutus per annos supra bis mille mutus omnino et, ut ita dicam, elinguis jacuit. Itaque ne numerus quidem syllabarum, quibus singulæ ejus voces constant, plerumque certo definiri potest; ac multo minus earum Tempora, sive, ut vocant, Quantitas, unquam investigari. Cum vero in omni lingua metrorum ratio omnis ab his duobus necessario pendet, Syllabarum dico et Numero et

et Quantitate, quorum in Hebræa cognitionem intercidisse, nec revocari posse, ipsa rei natura clare indicat; profecto qui Metricam Hebræam veram illam et genuinam instaurare conatur, is ædificium extruit, cui fundatum in quo nitatur plane deest. Illorum quidem nonnullis, qui in hoc negotio studium suum atque operam posuerunt, ea forsan laus debetur; ut judicentur, Poesin Hebræam, dure antea et barbare sonantem, aliquanto jam molliorem et humaniorem effecisse, et aliquos saltem numeros ei utendos dedisse, cum veros ac suos, quos ei restituerent, invenire non possent. Ut majus aliquod iis tribuamus, nec rei ratio patitur, nec argumenta, quibus conjecturas suas munire aggressi sunt, evincunt.¹ Id potius suadere videntur eorum omnes conatus, ut desinamus tandem quærere, quod viri ingenio et doctrina instructissimi frustra quæsiverunt; ut quod videmus periisse, perditum ducamus.

Verum quanquam de versuum singulorum numeris nihil certo definiri possit, est tamen aliud pluribus sumptis animadvertisendum, quod ad carminis artificium pertinet. Habet Hebræorum Poesis, quod supra attigi, peculiarem quandam sibiique accommodatam sententiarum conformatiōnē; cujus ea ratio est, ut plena comprehensio in suas partes fere æqualiter distribuatur, atque integra ejus membra integros versus conficiant. Itaque ut poemata in periodos plerumque æquales quasi sua sponte se disperciunt, ita periodi ipsæ per se dividuntur in suos versiculos; multo frequentius quidem binos, sed saepe etiam plures. Hoc in iis maxime locis cernitur, qui apud Hebræos vates ubique fere occurrunt, ubi rem unam multis modis versant, et in eadem sen-

¹ Vide METRICÆ HARIANÆ BREVEM CONFUTATIONEM.

tentia commorantur; ubi idem sæpius diversis verbis exprimunt, aut diversa eadem verborum forma includunt; cum paria paribus referuntur, adversis opponuntur contraria: quæ cum efficiant plerumque, ut apte et numerose cadat etiam soluta oratio, vix dubitari potest, quin eadem præcipuam quandam hisce numeris venustatem et gratiam conciliaverint. In hoc igitur, quod in horum poematum longe maxima parte obtinet, si non legem aliquam, at certe generalem quandam indolem et charactera Hebræorum poeseos deprendimus: adeoque apud eos ipsum Carminis vocabulum מִזְמֹר¹ eam vim habet, ut designet orationem, peculiari quodam modo in breves, crebras, certisque intervallis demensas sententias intercifam.

Græcæ pariter ac Latinæ poeseos hac in parte contraria est ratio; illic diligenter vitatur, quod hic studiose quæritur: utrumque ex linguarum natura atque inge-

¹ זָמַר, “incidit, secuit, putavit, amputavit;” superflua nimis et luxuriantia ex arboribus: hinc זָמָרָה, “palmes, furculus;” מִזְמֹרָה, “falx vinitoris.” Item, “cecinit, modulatus est:” et notat modulationes artificiosas certis numeris et cæsuris incisas. שׁוֹר significat “voce cantare;” נְגַנֵּן “instrumenta pulsare:” פְּסָלֶלֶת vel voce vel instrumento:” sic מִזְמֹר בְּנִינּוֹת, (vid. P. S. LXVII. 1.) opinor denotare “Canticum, Metricam, chordis sociandam:” ita ut מִזְמֹר metrum, vel numeros, sive quem Græci μέτρα vocant, significet. Poteft etiam ad priorem radicis notionem propius referri, ut denotet Carmen in breves sententias concifum, et ab omni verborum luxurie resectum, quæ Hebræorum præcipue carminum est ratio. Prosa oratio est חֲלֹחַת, soluta et libera, sine lege temere diffusa; quasi Arbor sylvestris in ramos et frondes undequaque luxurians: Metrica oratio est מִזְמֹרָה, præcisa undique et amputata, sententiis, veluti palmitibus, in certum ordinem et formam distributis; quasi Vitis, quam vinitor luxuriantem falce compescit, singitque putando.

nio. Nam Græca lingua omnium maxime, et proxime illam Latina, multiplex est, numerofa, volubilis, magnam habens pedum et metrorum varietatem; quorum tam certæ sunt impressiones, tamque notabiles iectus, ut si vel versus particulam aliquam mancam et imperfectam recites, vel plures simul versiculos uno spiritu devolvas, numeri nihilominus clare percipientur: adeoque in his universi carminis varietati sine metrorum singulorum injuria ac dispendio, pene ut libet, licebit consulere. In Hebræa vero lingua contraria esse his omnia videntur: nam universa ejus conformatio omnium maxime est simplex; primæ vocum formæ uniusmodi sunt et inter se fere similes; earumque nec multæ nec admodum diversæ flexiones: ex quibus satis intelligitur, ejus etiam numeros nec varios nec multiformes fuisse; sed potius simplices, temperatos, graves, non tam ad mobilitatem, quam ad dignitatem et pondus compositos: ut forsan necesse habuerint versiculorum spatia sententiarum respirationibus distinguere, ne implicata et permixta inter se carmina penitus obruerentur.

Duo hic occurrunt adnotanda, quæ ex jam dictis quasi consecaria quædam enascuntur. Primo quidem, Poema ex Hebræa in aliam linguam conversum, et oratione soluta ad verbum expressum, cum sententiarum

I “Neque tamen (i. e. quanquam Carmina Sacra non habent modos certarum syllabarum et pedum, quæ est hujus Magistri sententia) “diffitemur illa habere proculdubio mensuras alias quæ de-“pendent a rebus ipsis. — Nunquid vides, si quædam illorum “transferas in aliam linguam, quod retineant mensuram suam, si “non totam, saltem aliqua ex parte? quod non possumus facere in “illis carminibus quorum mensuratio constat certo syllabarum nu-“mero et quantitate” R. AZARIAS, in *Mantiss. Differt. ad Libr. cosri*, pag. 420.

formæ

formæ eadem permaneant, multum adhuc, etiam quod ad numeros attinet, pristinæ dignitatis retinebit, et ad umbratam quandam carminis imaginem. Hoc itaque in vernacula sacrorum poematum interpretatione cerni-
nitur, ubi plerumque

“ Invenias etiam disjecti membra poetæ :
quod in Græcis aut Latinis eodem modo conversis longe
aliter eveniret. ” Alterum est, quod poema Hebræum
Græcis aut Latinis versibus redditum, sententiarum for-
mis ad peregrini sermonis indolem jam accommodatis,
id est, confusis, perditisque, nativi ornatus et propriæ
venustatis non exiguam faciet jacturam. Nam in expri-
mendis alia lingua egregiorum poetarum operibus, mul-
tum in eo positum est, ut non tantum iidem sint intimi
sensus, par in sensibus explicandis vis et venustas, sed
ut quantum fieri potest externa etiam oris lineamenta
effingantur, ut suus cuique color atque habitus, suus
etiam motus et incessus tribuatur. Qui itaque sacros
Vates Græco vel Latino carmine exprimere, adeoque
eorum veluti personam sustinere conati sunt, fieri non
potuit quin toto genere et forma, si non inferiores, mul-
tum certe ab iis dissimiles essent : an ex altera parte ad
eorum vim, majestatem, spiritum propius acceperint, non
est hujus loci quærere.

PARS SECUNDA,

ל ש מ

SIVE DE STYLO PARABOLICO.

PRÆLECTIO QUARTA:

STYLI PARABOLICI

ORIGO, USUS, CHARACTERES;

AC DE SENTENTIOSO GENERE,

SEQUITUR, ut de stylo Poeseos Hebrææ dicendum sit: quo intelligi velim non nudam solum Vatum Sacrorum dictionem, sed sensus etiam, et rationem cogitandi; unde tanquam ex fonte necessario derivetur, suumque quendam saporem ducat oratio. Illud quidem in promptu est notare, eam esse cum omnis Poeseos, tum imprimis Hebrææ indolem, ut a vulgari sermonis usu maxime abhorreat, utque verborum non solum delectu, sed et constructione, proprium quoddam et exquisitus dicendi genus affectet. Id ex eo satis intelligitur quod usu venit literas Hebræas discenti; ut qui in Historicis jam probe fuerit versatus, idem

idem tamen in Poeticis sese plane hospitem sentiat. Verum locutiones Vatibus proprias, audacissimas Ellipses, præcipites temporum, generum, personarum immutationes, atque ejusmodi cætera, nisi aliter aliquando occasio suadeat, Grammaticis relinquam tractanda; seu potius, quandoquidem illi, quantum video, nullum inter dictionem Poeticam et merum sermonem discrimen agnoscunt, usu ac diligentí lectione observanda. Nec minus esset proclive per omnes illas Troporum et Figurarum formulas decurrere, quas dicendi magistri ambitione, ne dicam inutiliter, congefferunt: quis enim est, qui non videt horum omnium exempla, non modo Sacram Poesin, sed omnem fere cujuscunque sit generis orationem abunde præbere? Iis itaque utemur parcius, quantum necesse erit, non quantum licebit. Quærimus enim, non quæ sit in universum Styli Poetici ratio, sed quænam Poeſeos Hebrææ in hac parte peculiares notæ et characteres. Videamus itaque annon ipsæ Hebræorum literæ ejusmodi speciem aliquam ac formam nobis ostendant, in quam rem de qua agitur universam includere, adeoque uno sub conspectu ponere possimus; quaque etiam in suas partes distributa, disquisitioni nostræ certum quoddam ac definitum curriculum designetur.

Carmen Hebræis vocatur מזמור, hoc est, ut prius observatum, oratio brevis, concifa¹, certis membrorum intervallis et cæfuris demensa: ea Versus et Numerorum propria est appellatio. Idem ratione Dictionis et

¹ “Huic notioni consona est significatio verbi Arabici زمر, col-
“lectus, adfrictus, ideoque parvus effectus est, et breviori spatio se
“continuit: item cecinit, cantavit, &c.” H.

Sensuum לְשׁוֹן dicitur, quod ipsum esse arbitror Styli Poetici vocabulum. Parabolam vocant plerique interpres; verbo aliqua ex parte non incommodo, sed

I N U M . XXI. 27. XXIV et XXV sæpius. M I C . II. 4. I S A I . XIV. 4. P S . XLIX. 5. LXXXVIII. 2. J O B . XXVII. 1. XXIX. 1.

לְשׁוֹן, “affimulavit, comparavit, parabolice loquutus est; pro-“verbia, sententias graves, et acutas, orationem comparationibus “et figuris ornataam, edidit:” item, “dominatus est, eminuit, an-“teccluit, habuit auctoritatem;” delegatam fortasse et vicariam primo et restrictiore sensu, unde demum laxius de quovis dominio usurpatum: Abrahami certe servus senior, quem familiæ suæ præ- ficerat, dicitur נָא שָׁרֶב בְּכָל הַמִּשְׁנֵה G E N . XXIV. 2. Erat nimirum Procurator Domini vices gerens, ipsumque auctoritate delegata re- præsentans; unde elucet inter duas hujus Radicis notiones aliqua cognatio, in eo posita, quod tam imago Parabolica, quam Procu- rator deputatus, alterius cujusdam vice fungatur. לְשׁוֹן itaque est oratio elata et gravis, magna vi et auctoritate pollens, compara- tionibus, imaginibus, figuris, multum ornata; qualis est Psalmorum, Prophetarum, et Jobi stylus: est dictio, quæ sub una ima- gine atque exemplo alia quam plurima includit, et ad cætera omnia ejusdem generis facile transferri potest; quæ Proverbiorum plerum- que est ratio: est denique quævis Sententia sive Axioma scite gra- viterque dictum, paucis concinnatum, et ad γνωμαν formam com- positum, uti ex I. SAM . XXIV. 14. et multis exemplis Parabolarum Salomonis constat.

“Arabice لَهْلَهْ, (nam ش و ه sunt literæ commutabiles) effiga-“vit, expressit similitudine, imitatus est, æquiparavit, parabolam seu “paræmiam instituit, exemplum statuit, &c.” H.

Cum לְשׁוֹן sæpe conjungitur חִידָה, denotatque “Dictum aliquod “scitum, acutum, obscurum;” quale ut vel edatur vel intelligatur, multo ingenii acumine opus est. Est a חִידָה, “problema, ænigma, “vel scitum aliquod dictum, proponere;” quod convenit cum חִידָה, “acuere, acutum esse.”

“חִידָה Arabic signifcat, inflexus fuit; et חִידָה, deflexit a via: unde “SCHULTENSIUS (Comment. in J O B . XVI. 20.) deducit He-“braicam vocem חִידָה: quasi oratio flexa, paræmia.” H.

quod

quod totum Hebrææ vocis ambitum minime complectitur; cujus si vim atque usum investigemus, ea inveniemus Tria potissimum significari; Sententiosum, Figuratum, et Sublime dicendi genus. Ad has itaque tanquam partes suo generi subjectas ordine referenda erunt quæcunque de Hebræorum Stylo Parabolico sive Poetico occurrent animadvertenda: cujus distributionis ratio melius forsan intelligetur, si prius de hujusce Styli origine usuque primævo breviter quæsiverimus.

Dictionis Poeticæ primus ac præcipuus fons est vehemens mentis affectus. Quid enim est aliud ille Poetarum proprius furor, quem Græci divino afflatui tribuentes *ενθυσιασμόν* vocant, quam oratio ex ipso naturæ habitu deprompta, animique motu aliquo vehementer concitati veram atque expressam imaginem exhibens? cum mentis quasi ultimos recessus ac penetralia aperiunt, intimosque ostendunt sensus turbide confluentes, nec suo ordine dispositos, nec suis inter se vinculis conexos? hinc subitæ exclamations, interrogations crebræ, rerum etiam inanimatorum compellationes; cum qui valde ipsi commoventur, iis universa rerum natura eodem affici motu debere videatur. Omnes autem animi motus non modo suum orationis genus, sed et suum quandam habent a natura sonum vocis et gestum corporis: atque ex his affectibus quidam nudo sermone parum contenti cantum ei et saltationem adhibent; quibus forsan, siquidem iis cum Poetica arcta erat antiquitus necessitudo, verba debemus certis intervallis accuratius demensa, numerorum tandem et pedum justam moderationem; ut cum vocis corporisque motu ac rhythmo orationis modulatio consentiret.

Poeticam, hoc modo, ut videtur, rudi quodam initio

ab

ab natura fusam, mature exceptit ars, atque ad delectationem et utilitatem transtulit. Nam quemadmodum ex Affectibus mentis suam originem duxerat, numerosque etiam sibi adsciverat, ita ad omnem animi motum concitandum, seque ei penitus infigendum egregie erat comparata; cum rerum omnium imagines in animo eminenter expressas signaret et effingeret, sensus percelleret, delectaret aures, efficeretque, ut mens attente singula perciperet, nec percepta facile elabi pateretur. Si quod igitur erat, quod expediret vulgo cognosci percipique, memoriæ hominum mandari, atque omnium sermone passim celebrari; id viri ob hanc ipsam rem primum habitu dictique Sapientes¹ jucundiore

I. SIRACHIDE Viris illustribus et Sapientibus superiorum æstatum adnumerantur Vates sive Poetæ:

Σοφοι λογοι εν παιδειᾳ αυτων,

[*Σοφοι εν λογοις παιδειᾳ αυτων, Cod. Alexand.*]

Εκζητεντες μελη μαστιχαν,

Διηγενμενοι επη εν γραφῃ. E C C L U S. XLIV. 4.

Vide etiam annon quatuor illi, quorum Sapientia tantopere celebratur, i. R E G. IV. 31. בָנִי מַחְוֵל dicti, sint filii chori, i. e. Musici sive Poetæ: erant enim (non filii Maholis, ut Interpretes reddunt, nomen appellativum pro proprio sumentes, sed) filii Zerachi, ut liquet ex I. PARALIP. II. 6. “Unde primus eorum Ethan appellatur etiam אֶתְחָן, I. R E G. IV. 31. ubi TARGUM expresse “habet Πατραν βρι, filio Zerach.” H. Apud Græcos etiam Poetæ Sapientes et Sophistæ antiquitus appellabantur: ANACREON;

Ροδοχέες δε κ' Αφροδίται

Πάρη των Σοφων κυλειται.

hoc est, πάρη των ποιητων. Item PINDARUS;

— μελεῖν δὲ Σοφίσταις

Διος ἐγεν περσέαλον σεβίζομενοι. Isth. v. 36.

ad quem locum Scholiafestes: σοφίσταις μεν καὶ σοφες ελεγεν τας ποιητας.

“Poetæ et priores multo fuerunt [Philosophis,] et ante natum Philosophiaæ nomen pro Sapientibus habebantur,” inquit LACTANTIUS, Lib. v. 5.

stylo

stylo ornatum dabant, variis splendidisque orationis coloribus illuminabant, sententiis brevibus, argutis, numerosis, concludebant. Hæ itaque erant Poeticæ partes, grandia, pulchra, honesta signare et depingere; præcepta ad religionem et virtutem spectantia commendare; res præclare graviterque dictas gestasque, Dei opera, benefacta, laudes, memoriam præteriorum, futurorum prædictiones, posteris tradere. In quibus omnibus singularem habuit a principio utilitatem, cum priusquam ulla vocum signa essent inventa, aut saltem vulgo recepta, videtur percrebuisse, et idem prope ministerium rudi Scientiæ diu præstittiisse quod literæ postea explebant: siquidem præconis cuiusdam publici munus in se suscepit, cuius voce clarissima quædam rerum monumenta per diversas ætates gentesque tuto transmittentur.

Hanc fuisse apud exterias nationes Poeticæ originem, hunc usum, auctorum testimonio abunde liquet. Constat Græcos per multas ætates nulla alia habuisse literarum monumenta præterquam Poetica: primus enim, qui operæ pretium esse duxit prosam orationem in vulgus edere, Pherecydes erat insula Syro oriundus, Cyri regis ætate, aliquot post Homerum et Hesiodum sæculis: aliquanto serius Historiam condere instituit Cadmus Milesius.¹ Ipsæ Leges metricæ erant, et ad mo-

¹ STRABO. *Georg.* Lib. I. PLIN. *Hist. Nat.* Lib. VII. 56. et v. 29. Hanc rem, quam perperam intellexerunt docti quidam Viri, bene expressit Isidorus: “Sciendum, inquit, tam apud Græcos, “quam Latinos, longe antiquorem *curam* carminum fuisse, quam “prosæ. Omnia enim prius versibus condebantur: prosæ autem “studium fero viguit. Primus apud Græcos Pherecydes Syrius so-“luta oratione scripsit; apud Romanos autem Appius Cæcus ad-“versus Pyrrhum solutam orationem primus exercuit.” ISIDOR. HISPA. *Orig.* Lib. I. 27.

dos quosdam musicos compositæ: tales erant Charondæ leges, quæ Athenis inter pocula canebantur: ¹ tales, quas pueris ingenuis cum concentu quodam et melodia perdiscendas tradebant Cretenses, ² ut ex musica voluptatem caperent, easque memoriæ facilius manda-rent. Hinc fiebat, ut appellarentur Νομοι carmina quæ-dam, seu cantionis quoddam genus in conviviis usita-tum: quod notat Aristoteles, ³ aitque eundem leges suas canendi morem apud Agathyrfos sua etiam ætate adhuc viguisse. Etiam Turdetani, Hispaniæ populus, leges metrice conditas habebant, si Straboni ⁴ creden-dum. Germanos autem nullum aliud habuisse memoriæ et annalium genus, præterquam carmina quibus ma-jores suos et heroas celebrabant, testatur Tacitus. ⁵

¹ Ηἱδρυτὸς δὲ Αθηνῆσι καὶ οἱ Χαρωνῖδαι νομοι παῖδες αὐτον, ὡς Ερμηπότιος φυσικ. ΑΤΘΕΝΔΕΙΟΣ Lib. XIV. 3. vid. BENTLEII *Dissert. in Phalarim* pag. 373.

² AELIAN. *Var. Hist.* Lib. II. 39.

³ Δια τὸ νομοι καλεῖνται ἐς αἴστουν; η ὁτι τοιν επίσταθαι γεγματέοντας νομούς, ὅπερ μη επιλαβωνται; ὀπερεξ εν Αγαθυρφοις επι ειδηστοι. *Probl.* Sect. 19. Quæst. 28.

⁴ Geogr. Lib. III.

⁵ *De Mor. Germ.* cap. 2. — His de primævo Poeticæ testimoniis adjungam insignem Plutarchi locum, qui pleraque quæ hoc perti-nent summatim complectitur: Αμφίον γαρ εοικε νομισμάτος ἢ τὰ λογον δρειν, καὶ δοκιμοι μὲν αὐτου το συνήθεις εἰς καὶ γνωσμοι, αὐτίνι συ αλλοις γένοντος τοιων λαμπρανοντος. Ήν γν ὅτε λογον νομισμάτου εχεωντο μετροις καὶ μελεσι καὶ φωναις, πασχαι μὲν ιστοριαι καὶ φιλοσοφιαι, παν δε παθον, ὡς ἀπλως ειπειν, καὶ τεργυμα, σεμνοτερας φωνης δεομδου, εις ποιητικην καὶ μουσικην αρχετες· οἱ γαρ μεν την ολιγειαν μολις επιδιουσι, τοτε δε παντες πηχουντο, καὶ εχαιρουσιν αδιμενοις, αρισται τε, ορευθολογοι τε, κατα το Πενθερον. Αλλα ὑπο της ποιης ποιητικην επιπλεοντος, οι πλειστοι οὐδε λυρας καὶ φωνης ενθετευ, επαρχησιαζοντε, παρεκελουσιντο, μιδοις καὶ παρομιαις επεξοντο· επι δε ὑμνοις, θεων ευχαις, παντας εν μετροις εποιουντο καὶ μελεσι, οἱ μεν

Nimirum id unum præceptionis genus populorum rudium et indoctorum, quibus aut nulla omnino aut minime pervagata erat literarum cognitio, utilitati accommodatum erat, quod aures animosque capturum, et memoriæ firmiter inhæsurum esset; quod non tradendum esset manibus, sed mentibus infundendum.

Eodem modo apud Hebræos etiam se rem habuisse, insimque Poeticæ cum valde antiquum, tum mature fuisse communem et pervagatum, ut ex rei natura verisimile est, ita clare etiam apparet ex reliquiis et vestigiis quibusdam dictionis poeticæ, quæ in scriptis Moysæis extant. Primum quod ibi occurrit hujus rei exemplum remotissimæ atque intimæ est vetustatis, Lamichi ad Uxores effatum, eo quidem obscurissimum, quod, qua occasione esset editum, omnino reticetur; cætera autem, aptam verborum constructionem, concinnam totius periodi in tria disticha distributionem, sententias in singulis distichis binas parallelas, alteraque alteri quasi recinentes; isthæc, inquam, si spectetis, agnosceritis, credo, primævi carminis haud dubium specimen:¹

δέ ευφυίαν, οἱ δὲ Δῆμοι σωμῆτεσσι. Οὐκουν εδε μάντακλις κροτησεν καὶ χαράλεις εφθονει ὁ θεος, οὐδὲ απηλαυνει εὐθενδε πριωμενην μηνοτην του τελποδος, αλλα επηγετο, μαχλον τυητεων, τας ποιητηκις αππαζομενος φυσεις, αυτος τε φαινετος ενδιδον, καὶ απεξωμενο το στέχρον καὶ λογιον, ἀς αξιωτον καὶ θαυμαζομενον. PLUTARCH. Comment. Cur nunc Pythia non reddit oracula carmine. sub fin.

I GEN. IV. 23, 24. Cum plane nesciam quæ sit hujus loci sententia, contentus sum subjunxiisse Versionem Interlinearem ARIST MONTANI.

עדיה וצלה שמען קולי,
נשי למד האזנה אמרה;
כי איש הרגתי לפצעי
וילד להברתי;
כי שבעתים יקס קין
ולמן שבעתים ושבעה;

“ Hadah et Sillah, audite vocem meam ;
“ Uxores Lamechi, auscultate eloquium meum :
“ Quod virum occidi in vulnus meum,
“ Et puerum in livorem meum :
“ Quia septempliciter vindicabitur Cain,
“ Et Lamech septuagesies septies.

Alterum est, idque haud dubium, nolo enim conjectu-
ris indulgere, Noachi Chamum execrantis, fratribusque
ejus, Shemo præcipue, prospera et magna præfigientis,
cælesti spiritu instinctæ preces : tribus item versiculo-
rum paribus expressæ, unoque insuper versiculo indig-
natione repetito desinentes : ¹

אָרוֹר כְּנֻעַן
עֲבָד עֲבָדִים יְהִי לְאַחֲיוֹ :
בָּרוּךְ יְהֹוָה אֱלֹהִים שֶׁ
וַיְהִי כְּנֻעַן עֲבָד לְמַנוֹּ :
יִפְתָּח אֱלֹהִים לִיפְתָּח
וַיִּשְׁכַּן בְּאַهֲלֵי שֶׁ
וַיְהִי כְּנֻעַן עֲבָד לְמַנוֹּ :

“ Maledictus Chanaan !
“ Servus servorum erit fratribus suis.

“ Benedictus Jehova Deus Shemi !
 “ Et sit Chanaan servus illis.
 “ Dilatet Deus Japhetum,
 “ Et habitet in tentoriis Shemi ;
 “ Et sit Chanaan servus illis.

Atque ejusdem omnino sunt generis Isaaci et Jacobi Patriarcharum posteris suis divinitus editæ Benedictiones. Quæ cum tanti essent momenti, ut in iis positæ fuerint, non modo Israeliticæ gentis, sed et humani etiam generis fortunæ, credibile prorsus est, isthæc omnia et prius apud Hebræos fuisse pervulgata, eademque scriptorem divinum summa fide et religione, quemadmodum a majoribus accepisset, literis mandavisse, nec sacratissimis oraculis peregrinum quemvis ornatum, aut fucatos ullos Poeticæ colores, voluisse inducere.

Quod constabit etiam certius, si alia quædam carmina generis paulum diversi adverterimus, quæ adhibet idem Historicus tanquam vulgo nota passimque celebrata, quibusque veluti testimonii utitur ad faciendum rebus ab se narratis fidem. Primum enim Israelitarum in Amoræos incursum narrans, quo certius hujuscæ populi fines notaret, et victorias de Moabitis haud ita pridem reportatas exponeret, duas citat Poematum quorundam particulas; alteram ¹ ex Libro Bellorum Jehovæ, alteram ² ex dictis τοι, מושלים, “ eorum qui

I NUM. XXI. 14, 15.

² Ibid. 27, — 30. Confer JER. XLVIII. 45, 46. Οἱ Ἀμυγενταὶ, LXX. Intt. “ Enigmatistæ autem qui sunt (inquit AUGUSTUS TINUS) ideo non apparet, quia non sunt in consuetudine literaturæ nostræ (sc. Latinæ;) nec in ipsis divinis scripturis (nimirum apud LXX. Intt.) fere alio loco reperitur hoc nomen: sed quia videntur quasi Canticum dicere quo cecinerunt bellum inter Amor.

“ Parabolis utuntur,” hoc est, ut ex re ipsa appareat, ex Amoræorum Carmine quodam ἐπινευθεὶς, desumptam. Quibus si addamus, quæ proxime sequuntur, Balaami Aramæi Vaticinationes, Stylo item Parabolico enuntiata; hoc est, si compositionem spectamus lectissimam, sententias numerosas et parallelas, dictionis sensuumque sublimitatem, carmine longe elegantissimo editas: ex his omnibus colligere licebit, genus hoc Poeticæ, cui prorsus concinit quicquid jam restat Hebraici carminis, nec Mosem habuisse auctorem primum, nec proprium fuisse Hebrææ gentis; sed eam, tanquam primitias quasdam humani ingenii, ab ipsis mundi primordiis ad se delatam Hebreos accepisse, et cum cæteris orientis populis communi studio coluisse, custodem memoriæ, magistram vitæ, testem anteactorum, futurorum prænuntiam.

De Poeticæ itaque hac in parte utilitate eadem per omnes Hebrææ nationis ætates invaluit opinio. Ea maxima semper scientiæ atque eruditioñis laus habebatur, versari in dictis prudentium, veterum Parabolas atque Ænigmata callere.¹ Quorum nominum utrovis æque notare videntur duo Carminum genera; quæ quan-

“ Amorræos et Moabitas gestum, in quo Seor Rex Amorræorum
 “ Moabitas superavit, non incredibiliter putantur isti Ænigmatistæ
 “ sic tunc appellati, quos Poetas nos appellamus, eo quod Poeta-
 “ rum sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænig-
 “ mata fabularum, quibus aliquid significare intelligentur: non
 “ enim aliter essent ænigmata, nisi illic esset Tropica locutio, qua
 “ discussa perveniretur ad intellectum qui in ænigmate latitârat.”

Quæft. XLV. in NUM.

I Vide PROV. I. 6. SAPIENT. VIII. 8. ECCLES. I. 25. VI.
 35. XVIII. 29. XXXIX. 1, 2, 3.

quam ex aliqua parte multum inter se distarent, aliqua tamen haberent communia. Alterum voco Didaëticum, versibus eleganter et acute concinnatis præcepta includens, et comparationibus sive apertis sive occultis saepe illustratum; quales erant Sapientium *μωυσι* atque Adagia: alterum erat vere Poeticum, omnibus grandioris styli coloribus ornatum, elatione sensuum magnificum, incitatissimis affectuum motibus animatum, figuris et imaginibus varium: qualia sunt cætera fere Vatum monumenta. Erat utrumque breve plerumque et subobscurum; utrumque semper numerosis constabat sententiis: quam præcipue ob causam videntur dictionem Poeticam, et Proverbiale, sive Didaëticam, uno atque eodem nomine designasse: atque his duobus generibus omnis rerum humanarum et divinarum cognitione contineri existimabatur.

Sententiosum itaque dicendi genus primum statuo Hebræorum styli Poetici Charæcta, ut qui omnium maxime est insignis, et latissime patet. Nam et si speciem tantum illam Didaëticam quasi de jure naturæ possedisse videatur, in reliquas tamen immigravit, et universam Hebræorum Poesin occupavit. Plurima quidem sunt in sacris Carminibus et egregie Figurata, et supra modum Sublimia; at sententiose conclusa sunt plane omnia. Sunt etiam nonnulla, neque ea sane inelegantia Poemata, quæ nihil fere aliud habent poeticum præter numeros, atque eam, ex qua ipsa numerorum suavitas magna ex parte constat, sententiarum concinnitatem. Hoc in Psalmis fere omnibus Didaëticis cernitur: hoc in aliis nonnullis, in quibus Historica plane est res, ordo, dictio, conceptus; conformatio sententiarum Poetica. Ea profecto est numerorum cum senten-

sententiarum conformatio ne conjunctio et necessitas, ut ubique harum, quod nonnunquam fit, paulo obscurior et minus ordinata sit distributio, ibi etiam de versiculorum divisione, quæ una pars ex universa Metricæ Hebrææ ratione haud prorsus obsolevit, vix ullus relinquitur conjecturæ locus. Ideoque necesse habui, cum de Carminis artificio differerem, pleraque etiam quæ ad hunc locum pertinerent prius annotare.

Hujus autem rei (ut brevissime jam expediam quod ex omni prope facrorum Poematum pagina haud obscure elucet) isthæc fere est ratio. Pleraque Hebræi Vates breviter primo ac simpliciter enuntiant, nullis adjunctis illustrata, nullis, quibus rarissime omnino utuntur, exornata Epithetis: accersunt postea ac subjiciunt ornamenta; idem iterant, variant, augent; unaque addita, vel pluribus etiam sententiis, paribus pariterque constructis, rem vel eandem, vel similem, vel contrariam, eadem forma includunt. His saltem tribus omnium frequentissime utuntur ornandi formulis; unius rei multiplicatione, plurium congerie, oppositione diversarum: sententias binas fere ordinatim disponunt, aptas et æqualibus decurrentes intervallis, in quibus res plerumque rebus, verbis verba, invicem respondent. Hæ figuræ ipsæ variantur pluribus modis; admiratione, comparatione, inficatione, cæterisque hujusmodi; sed præcipue interrogatione, unde sæpe singularis orationi vis et elatio accedit.

Sua cuiusque linguæ est indoles et ingenium, ex quo pendet universa carminis ratio, et magna ex parte etiam styli poetici color. In Hebræa crebra seu potius perpetua sententiarum lumina, clausulæque debitum intervallis accurate cadentes, ad versus distinguendos necessariæ viden-

videntur: ut quod in alia quavis lingua modum forsan omnino excederet, hic sine dispendio carminis non possit deesse. Hoc igitur primum et præcipuum habet in Poesi Hebræa Sententiosum dicendi genus, ut orationem solutam et diffluentem coercent, numerisque distinguat; quod est ejus rei consequens: “Formæ enim quædam sunt orationis, (uti notavit ¹ Cicero) in quibus ea concinnitas ineſt, ut sequatur numerus necessario. Nam cum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ similiiter cadunt verba verbis comparantur; quicquid ita concluditur, plerumque fit ut numeroſe cadat.” Habet vero et in cæteris magnam vim, et multas in ſe continent easque insignes virtutes. Nam ut ſæpe ex hoc fonte eximiam elegantiam, dulcedinem, et nitorem ducunt sacra poemata, ita in multis eidem ſuam debent ſublimitatem et pondus: crebræ ſibique instantes ſententiæ vel maxime concifam, gravem, et incitatam faciunt orationem; nervis eam quibusdam intendit ipsa brevitas, contractamque in arctissimum ſpatium acrius contorquet.

Horum omnium, quæ dixi, abunde ſuppetent exempla ex iis ipsis quæ alias ob cauſas poſthac adducentur: et erit fortaffe cum fuſiorem ordinatioremque de hac ipſa re diſquifiionem iuſtituti nostri ratio poſtulabit.²

¹ *Orator.*

² Vide infra PRÆL. XIX.

PRÆLECTIO QUINTA:

DE GENERE FIGURATO, E J U S Q U E P A R T I T I O.

PRÆLECTIONE proxima sententiam meam proposui, Academici, Stylum Poeticum eo apud Hebræos vocabulo appellari, cuius notio, quam ex vi sua atque usu non unam nec plane simplicem haberet, in tres partes commode satis distribui posse videbatur; ita ut in ea contineri censeretur Sententiosum, Figuratum, et Sublime dicendi genus. Ac de Sententioso quidem genere, quænam esset ejus origo, quæ ratio, quis in Hebræa Poesi effectus, breviter tum, quæ occurrabant, adnotabam. De Genere Figurato jam dicturus, video mihi pene infinitam rerum materiam subjici, et immensum quendam campum pattere; in quo ne latius evagetur, aut etiam incerte fluctuet disquisitio nostra, itineris hujuscce aditus exitusque, locorum ordo, viarum flexiones et compendia, diligenter mihi in antecessum sunt inquirenda. Atque ut melius etiam intelligantur quæ in hac parte dicenda erunt, ab usu communis paulum fortasse abhorrentia, non incommodum erit prius consilii mei rationes, quibus principiis, quo ordine et modo, quem in finem, Figuras Poeseos Hebrææ tractatus sum, quantum possum plane et aperte, eoque paulo fusijs, exponere.

Vox

Vox נִשְׁלָה significatione usitatissima notat similitudinem ; et eatenus dictionem Figuratam proprie denotat, quatenus ratio et natura Figurarum ponitur in Vocabulorum, vel Idearum potius sive Imaginum, inter se similium mutatione : quæ in nonnullis Figuris, quales etiam a Rhetoribus constituuntur, locum habet. Hanc itaque notionem dictionis Figuratæ, ex ipsorum Hebræorum literis ac sensu depromptam, in explicanda eorum Poesi unice sequendam duxi : atque eo quidem libentius, quod disputationem hanc eo modo arctioribus terminis possim definire. Missis itaque Græcorum Rhetorum formulis, quas constituerunt prope innumerabiles, ut quibus nomina fingere semper erat promptissimum ; ac neglegentis etiam primariis eorum partitionibus, quibus Tropos a Figuris secernunt, Figuras deinde alias λέξεως, alias ἀλλοιας statuunt ; (in quo quidem possem me tueri exemplo C. Artorii Proculi, qui cum aliis nonnullis auctoribus Tropo Figuræ nomen imposuit, uti nos docet Quintilianus ; aut ipsius Quintiliani auctoritate saltē excusare, qui utrumque et eundem usum et multa habere inter se communia agnoscit :) his autem, utcunque suo in loco nec veritate nec usu carent, missis, cum mihi sit propositum non Græcorum sed Hebræorum sensa explicare, per Dictionem Figuratam eam intelligo, qua una pluresve Voces vel Imagines in aliarum locum transferuntur, aut etiam aliis illustrandis inserviunt, ex aliqua quamcum iis habent Similitudine. Ea Similitudo si innuitur tantum, idque una atque altera modo voce, fit Metaphora ; si oratione continuata, dicitur Allegoria : si aperte exprimitur, collatis inter se

¹ Vide QUINTIL. Lib. ix. 1,

utrisque Imaginibus, fit Comparatio : fundatur etiam in ejusmodi Similitudine Prosopopœia, cum vel rebus fictis aut sensu carentibus datur actus et Persona (quæ species quædam est audacioris Metaphoræ,) vel cum veræ Personæ probabilis Oratio tribuitur.

De his itaque Figuris eo quo dixi ordine differam : non quasi aut hoc sit unicum Figurarum genus, quod ab Hebræis Vatibus usurpatum ; aut hæ solæ sint ejus generis Figuræ : sed primum quod hæ maxime cadunt sub notionem Parabolicæ Dictionis ; tum quod harum usus in Sacra Poesi sit et frequentissimus et longe pulcherrimus, ita ut nusquam fere alias vis earum ac virtus æque appareat. Nec vero satis erit eas ita illustrare, ut singularum exempla quædam solummodo expromantur ; quasi res quæreremus ignotas aut reconditas, ac non in promptu positas passimque occurrentes : ulterius, si fieri potest, progrediendum ; quærendus præcipue si qui sit earum usus Hebræis proprius ; perscrutandæ peculiares atque interiores elegantiae : ad quas, ni fallor, facilior plerumque aditus concedetur, si eam viam constanter persequamur, quam rei ipsius ratio hac in parte palam ostendit atque aperit.

Etenim Dictionis Figuratæ, in eum quem modo exposui sensum acceptæ, id consilium est, ea vis, ut Imaginibus aliunde translati res vel evidentius ac clarius, vel grandius etiam atque elatius exprimantur : cum igitur, quod illustrandæ, vel augendæ, alterius rei gratia assumitur, id ipsum oporteat esse quam maxime notum et manifestum, vel etiam insigne et magnificum ; earum potissimum rerum in hunc finem necesse est adducantur Imagines, quæ et ipsi Scriptori, et iis pariter quos in scribendo quasi alloquitur, in oculis atque animo plurimum

mum versentur, aut maximi semper visæ sunt ponderis ac dignitatis. Quod si aliæ Scriptori, aliæ Lectori res in communi vita plurimum ocurrant, adeoque aliæ animo obversentur Imagines; fieri non potest, quin multa quæ alter clare atque eleganter illustravit, feliciter etiam ac magnifice amplificavit, alteri nihilominus obscura fortasse vel humilia, vel dure insolenterque dicta videantur. Atque hoc eo magis par est accidere, quo longius alter ab altero disjuncti sunt atque discrepant, tempore, loco, moribus, rebus sacris ac profanis, vitæ denique publicæ ac privatæ institutis et consuetudine. Igitur in omni genere scriptorum id aliqua ex parte legentibus usu veniet; in Poeticis maxime, in quibus omnia distinguuntur et illuminantur summa Imaginum copia et varietate; ac in Poetarum scriptis tum præcipue, si peregrini sunt, si veteres; ex peregrinis autem maxime Orientalium, ut qui a nobis ingenio et moribus longissime distant; atque ex Orientalibus maxime Hebrewarum, ut quos habemus multo omnium qui extant vetustissimos. Horum itaque Poemata legentibus ex omnibus quas dixi causis incommoda ac difficultates obveniunt; officit eorum claritati cum multis modis ipsa antiquitas, tum usus vivendi, loquendi, sentiendi, ab nostra consuetudine omnino abhorrens; ita ut maximum periculum sit, ne veluti iniquo in loco positâ omnia perperam spectemus, ne nostro ut fit modulo aliena metientes male aestimemus.

Ab hoc errore semper cavendum, et incommoda ista quantum licet diligentia compensanda sunt: nec modo perdiscendus eorum sermo, mores, ritus, disciplinæ; sed intimi etiam sensus pervestigandi, cogitationum modi nexusque eruendi; eorum oculis, ut ita dicam, cernenda sunt

sunt omnia, eorum opinionibus æstimanda : id denique enitendum, ut Hebræa, quantum fieri potest, tanquam Hebræi legamus. Idem propemodum hic nobis faciendum est, quod Astronomi solent in ea suæ disciplinæ parte quam vocant Comparativam : qui ut clariorem in animo forment imaginem et totius mundi et singularum ejus partium, fingunt sese Universum obire et perlustrare, de alio Planeta in aliud migrare, et uniuscujusque paulisper incolas fieri ; atque ita clare contemplantur et accurate æstimant, quid quisque sibi habet proprium cum ex loco, celeritate, et satellitio suo, tum ex conspectu cæterorum ; quale et quam diversum cuique Mundi spectaculum pro diverso cujusque situ exhibetur. Similiter is quoque qui Poematum Hebræorum proprias et interiores elegantias percipere velit, ita se comparet oportet, ut sese putet eodem in loco positum, quo ii quorum causa ea scripta sunt, aut qui ipsi scripserunt ; ut cogitet, non quas rerum Imagines suo protinus animo jam offerrent certæ quædam voces, sed quænam Hebræo iis temporibus in ea regione constituto easdem dicenti aut audienti obversari debuissent. Quoad id poterit consequi, eatenus vim earum ac venustatem intelliget : id quidem in multis perquam difficile erit, in non-nullis nullo modo fieri poterit ; in omnibus tamen unice erit spectandum, ac præcipue in iis locis qui maxime Figuris exornantur.

Etenim in Metaphora, (ut de ea dicam quæ ad cæteras fere quas dixi Figuras referri etiam possunt, cum omnes communem habeant naturam,) duo præcipue spectanda sunt, ex quibus pendet ejus vis omnis atque elegantia : primum quidem ea Similitudo, propter quam Imagines invicem commutantur, quæque unicum Parabolicæ

bolicæ dictionis fundamentum est; quæ fortasse satis apparebit ex vulgari et crassa rerum ipsarum cognitione: deinde Imaginis in alterius locum translatæ vel venustas vel dignitas; cuius rei subtilior quædam est ratio: nascitur enim saepe opinio decoris et dignitatis, non tam ex ipsis rebus quibus inesse existimantur, quam ex animo æstimantis, aut ex tenui aliqua et recondita cognitione qua res alias attingunt. Itaque nonnunquam fit, ut externæ rerum species et crassa quædam lineamenta satis etiamnum appareant, cum tamen pristinus nitor et flos ille elegantiæ vetustate penitus evanuit.

Non igitur inutile fortasse erit, ita de Metaphoris Sacrae Poeseos differere, ut simul latiorem ineamus disquisitionem de Imaginibus Poeticis, quatenus Metaphorarum copiam præbent; in eum finem, ut hujus Figuræ usum apud Hebræos Vates non modo in se elegantissimum plerumque esse videamus, sed saepissime etiam peculiarem habere elegantiam, modo cogitemus, quid haberit momenti apud Hebræorum animos, quem cum eorum rebus, sensibus, opinionibus, nexum et necessitudinem: ut quæ in se pulchra sunt, eo modo spectata multo videantur pulchriora; utque quæ videri solent dura, deformia, humilia, eorum contra gratia, honestas, sublimitas appareat.

Omnis natura, immensa hæc rerum universitas, humanae mentis contemplationi offertur atque objicitur; suppeditatque infinitam notionum varietatem, confusam quandam materiem atque sylvam, unde Imagines, veluti quædam Poetica supellex, colliguntur, et delectu habito, prout usus fert, expromuntur. Animus hominis est illud Platonis¹ Speculum, quod cum pro libitu undequaque

¹ Vide *De Rep.* Lib. x. sub init.

circumfert, protinus solem aliud efficit, alias stellas, terram, plantas, animalia, atque etiam seipsum. In hac fui ipsius umbra atque imagine, quam converso in se animi sui speculo homo intuetur, aliorum etiam hominum animos quodammodo inspicit: nam ex eo quod ipse in se sentit, quodque intus percipit, de aliis facit conjecturam, atque alienos mores, affectus, conceptus, ex suis deprendit et exscribit. Ex hac autem Imaginum copia, quam mens humana ex universa undique natura atque ex se ipsa suisque motibus atque operationibus colligit, subtiliores, et, ut par est, minus claræ et eminentes sunt hæ, quæ ratione atque argumentatione conqueruntur; evidentiores plerumque et magis expressæ illæ alteræ, quæ sensuum impulsu perpetuo ingeruntur; ex his autem maxime omnium certæ et illustres, quas oculorum sensu acerrimo percipimus. Hinc est quod omnis Poesis plurimum versatur in iis Imaginibus transferendis, quæ per sensus, maximeque per visum, animo impri- muntur; ut obscura manifestioribus, subtilia crassioribus notis designet; quantoque est ipsa sincerior atque simplicior, tanto libentius eas consecutatur, quæ sunt ex eo genere maxime claræ, maxime pervulgatae, atque omnibus expositæ: quarum tanta est copia, ut cum plurimum ad evidentiam, tum non minus ad varietatem et ornatum conferant.

Equidem infinitæ plane sunt numero rerum externarum Imagines, quibus quasi luminibus ornatur et distinguitur dictio Poetica: ut autem in immensa materia aliquem sequamur ordinem, neque vagemur incerte, constituere possumus Quatuor earum veluti fontes, ad quos satis commode omnes referri possunt. Itaque desumuntur Imagines Poeticæ, Primo, ex Rebus Naturalibus;

Secundo,

Secundo, ex Moribus, Artificiis, rebusque in Communi Vita occurrentibus ; Tertio, ex Rebus Sacris ; Postremo, ex Rebus Gestis quæ in Historia Sacra maxime sunt insignes. Ex horum locorum singulis paucula delibanda sunt, et exemplis illustranda ; quæ etsi de Metaphoris potissimum sumentur, intelligantur tamen ad reliquas Figuras prius memoratas aliqua ex parte pertinere : de quibus postea relinquetur dicendi locus, in quo non solum spectandæ erunt Imagines ipsæ, sed eas etiam substituendi et adornandi rationes formæque diversæ.

PRÆLECTIO SEXTA:
DE IMAGINIBUS POETICIS;
EX REBUS NATURALIBUS.

ELOCUTIONIS Poeticæ, ut optime statuit Aristoteles,¹ in eo posita est Virtus, ut sit perspicua, nec tamen humilis. Dictionem maxime perspicuam faciunt usitata ac propria, sed et humilem: grandem quidem reddunt peregrina et arcessita, sed saepe etiam obscuram.” Ex iis quæ vocat peregrina, præcipua vis est Metaphoræ; sed “ut modicus et opportunus ejus usus illustrat orationem, ita frequens obscurat, continuus etiam in ænigma exit.”² Si ad hæc summi Philosophi et Critici præcepta revocanda sint et exigenda Hebræorum Poemata, id certe facile concedetur, translationum splendore et copia abunde eos orationis sublimitati consuluissè; an in eorum usu tenuerint modum, dubitari magis poterit. Nam, in carminibus saltem, quæ grandius quiddam spirant et ad majestatis speciem composita sunt, ubique dominatur perpetua fere ac sibi instans Metaphora, saepe audacter illata, saepe etiam cum periculo irruens; et quæ licentius occupavit, iis immoderate nonnunquam

¹ *Poet.* cap. 22.

² *Ibid.* et *QUINTIL.* viii. 6.

et insolenter utitur. Amant hoc Orientales; et multa quæ nostræ aures, nimium forsan in his rebus religioſæ, ferre non possunt, eorum audaciæ concedenda sunt. Verum si Sacra Poemata hac in parte intueamur, simulque cogitemus, fieri non potuisse, quin iis magna obscuritas ex eo induceretur, quod nonnunquam res ipsæ, unde translatæ sunt Imagines, oblivione jam sint obrutæ; cujus rei, ut alias, ita præcipue in Cantico Salomonis multa videntur esse exempla; erit, credo, quod miremur, in tanta vetustate, tantaque translationum copia et libertate, tam puram plerumque et integrum etiamnum elucere orationis et sensuum perspicuitatem. Hujus rei ut causæ appareant, et Styli etiam Parabolici indoles magis innotescat, aliqua adnotabimus de usu Metaphorarum apud Hebræos Vates, quæ eos attentius paulo legentibus obvia, ut opinor, erunt, et de universo saltem genere pro veris et fatis exploratis haberi possunt.

Ac primum quidem Hebræi Vates in dictione Figurata utuntur plerumque Imaginibus de medio sumptis, deque rebus maxime notis, communibus, et pervulgatis; qua ex re vel maxime pendet styli perspicuitas. Nam ea plerumque de causa translationibus utimur, ut res tacita quadam comparatione illustrentur; quod si pro notis parum nota adsciscimus, si occultis aperta demonstramus, obscurior certe non clarior fiet oratio. Hoc itaque ne fiat, cavendum est, non modo ne nimis dure, ne nimis frequenter et confuse utamur Metaphoris, sed etiam ne obscura, ne parum obvia longiusque petita arcessamus. Ex his omnibus causis, nec minimum ex ultima, oritur inter Latinos Persii obscuritas. Nisi insignis esset in hac parte Sacrorum Vatum accuratio, vix sane quidquam in eorum carminibus jam intelligeremus.

Deinde

Deinde vero Hebræi non modo notissimas adsciscunt Imagines, sed et in earundem usu et accommodatione ad res alias certam fere rationem et viam servant, et receptam quandam consuetudinis normam sequuntur. Evidem Stylus Parabolicus pro novo quodam et peculiari sermonis genere haberi potest, in quo per comparationes vel occultas vel apertas, ex iis rebus sumptas quæ in sensum cadunt, rerum moralium, civilium, diuinorumque notiones signantur et exprimuntur. Ut in sermone communi et proprio certæ voces certas res notant, ita fere in Parabolico certæ Imagines Naturales certas aliquas notiones magis abstrusas et reconditas illustrant. Quod quidem non omnino absolute intelligendum est, sed eousque, ut vere dici possit, Vates Hebræos in eadem materia exornanda iisdem Imaginibus multo saltem constantius uti, quam cæteri poetæ solent: cuius item rei magna vis est in conservando styli nitore et perspicuitate.

Postremo, iis potissimum Imaginibus Hebræi audacius et licentius utuntur, in quibus id facilius admitti possit, eo quod et res ipsæ unde sumuntur maxime sunt obviæ et familiares, et figurata earum potestas usu constanti rata et definita. Hoc ut orationem aper tam et dilucidam præstat in iis etiam locis, ubi maximum est obscuritatis periculum; ita Sacris Vatibus facilem plerumque et paratam defensionem præbebit, si quando ut duri, nimii, tumidique reprehendantur.

Ut quæ nude hactenus notavi exemplis illustrentur et confirmentur, perpendamus Metaphoras aliquas ex rebus primum Naturalibus desumptas, maximeque usitatas; ita ut quæ in una atque altera animadversa fuerint, in permultas possint transferri.

Imago Lucis et Tenebrarum ad exprimendas res Prosperas et Adversas translata communi omnium linguarum usu frequentatur, quemadmodum omnium hominum communis est rerum ipsarum sensus et perceptio. Verum his Metaphoris Hebræi frequentius quam cæteri omnes et constantius utuntur; usque adeo quidem, ut raro se iis abstineant, ubicunque loci argumentum postulat aut etiam patitur. Haberi itaque possunt in eo locutionum genere, quarum in Stylo Parabolico maxime nota et rata est significatio; cum Imagines exhibeant notissimas et maxime familiares, fiatque translatio ex agnita et concessa rerum inter se similitudine, quæ et natura percipitur, et sermonis usu constanti comprobatur. In imaginibus tam notis tamque frequentatis apud Hebræos facile conceditur audaciæ vernia. Iisdem utuntur Latini, sed rarius, ideoque et cautijs:

“Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ:
 “Instar veris enim vultus ubi tuus
 “Affulsit populo, gratior it dies,
 “Et Soles melius nitent.

Vix quidquam habent elegantius, aut in simili materia etiam liberius, severiores Musæ Latinæ. Hebræi vero, ut in argumento longe sublimiore et in Imagine notissima, efferunt se atque exultant licentius, et audaciæ poeticæ frænos omnes laxant. Exhibitent nimirum, non veris, non auroræ, non caliginosæ noctis imaginem, sed solem et sydera quasi nova Creatione aucto in immensum splendore exsurgentia, aut in antiquum Chaos et primævas tenebras iterum demersa. Promittitne Va-

tes renovatum populo suo Dei favorem, et omnimodæ felicitatis instaurationem ? quam magnificis id coloribus depingit, quos nulla interpretatio exprimere, sed nec ulla omnino obscurare potest ! ¹

וְהִיא אֹור הַלְבָנָה כָּאֹור הַחֲמָה
וְאֹור הַחֲמָה יְהִיא שְׁבָעִתִּים :

“Erit Lux Lunæ instar Solis meridiani;

“Erunt Solares radii septemplices.”

Sed nec hoc fatis : ²

לֹא יְהִיא לְךָ עַד הַשְׁמֵשׁ לְאֹור יוֹם
וְלֹנֶגה הַיּוֹם לֹא יָאֵר לְךָ
וְהִיא לְךָ יְהֹוה לְאֹור עֲלֹם
וְאֱלֹהִיךְ לְתִפְאָרָתְךָ :
לֹא יָבוֹא עַד שְׁמֵשׁ
וַיַּרְחֵךְ לֹא יָאַסְפֵּ
כִּי יְהֹוה יְהִיא לְךָ לְאֹור עֲלֹם
וְשָׁלְמוּ יְמִי אָבָלָךְ :

“Non diurna Solis luce uteris amplius ;

“Neque ad illustrandam noctem Luna tibi illucebit :

“Sed erit tibi Jehova æterna Lux ;

“Et gloria tibi erit Deus tuus.

“Non occidet amplius Sol tuus,

“Nec Luna tua sese retrahet ;

“Nam Jehova erit tibi æterna Lux,

“Et dies mœroris tui desinent.”

Quod idem alio in loco mirifice variavit : ³

¹ I S. xxx. 26.

² I S. LX. 19, 20.

³ I S. xxxiv. 23.

וחפרא הלבנה ובועה החמה
כי מלך יהוה צבאות
בהר ציון ובירושלם
ונגד זקניו כבוד :

“Et pudebit Lunam, et erubescet Sol meridianus ;
“Cum regnat Jehova Exercituum,
“In monte Zione et in Hierosolymis,
“Et coram senioribus suis gloriose.”
Contra, superbo Ægypti Regi cladem minatus ;

וכסית בכבוחך שמיים
והקדרת ת את ככבייהם
שמש בענן אכסנו
וירח לא יאיר אורו :
כל מאורי אור בשמיים אקרים עלייך
ונתתי חסר על ארץ נאם אידי יהוד :
“Cum extingua te, obtegam cœlos,
“Et stellas eorum atrabo ;
“Solem nube involvam,
“Nec splendorem suum emittet Luna :
“Omnia cœli lumina supra te obscurabo,
“Terramque tuam tenebris operiam ; edicit Deus
“minus Jehova.”

Periculosa sunt hæc et παρεπεμψαντα ; sed notæ sunt Imagines, frequens earum usus, certa significatio ; id eoque perspicua, clara, vereque magnifica.

Porro, aliaæ sunt Imagines ex rebus Naturalibus desumptæ, quæ etsi Hebræis cum cæteris hominibus aliqua ex parte sint communes, illis tamen, ex situ puta

regionis aut natura soli, multo magis sunt notæ et familiares. Nulla in Sacris carminibus frequentior occurrit Metaphora, quam ea, qua graves subitoque ingruentes Calamitates sub imagine exundantium Aquarum exprimuntur. Hanc maxime familiarem habuisse videntur Hebræi, utpote ex proprio suæ regionis habitu et natura depromptam. Obversabatur iis ante oculos Jordanes¹ ripas suas quotannis inundans, cum Libani montiumque vicinorum nives ineunte æstate liquefactæ effusis subito torrentibus aquas fluminis augerent. Erat præterea tota Palæstinæ regio, ² non multis quidem perennibus flaviis irrigua, sed ut maxima ex parte montuosa, ita torrentibus crebris per angustas valles post statas pluviarum tempestates præcipitantibus obnoxia: ex qua re Moses³ ipse terram hanc Israelitis jam eam invasuris commendabat, ut qui nihil hujusmodi in Ægypto prius, aut nuper in Arabicis Desertis experti essent. Hæc itaque Imago, omnibus quidem poetis nota et usurpata, Hebræis vero præcipue familiaris et quasi domestica censeri debet; adeoque eam et cerebrius et liberius adducunt. Ipsam profecto naturæ faciem, qualis tum ei præsens obversabatur, expressissime videtur Vates, et in se suasque fortunas transtulisse, cum ex terra Jordanica, montibusque ad ortum fluminis sitis, ardentissimos doloris sui æstus eo verborum impetu et audacia effundit: ⁴

¹ Vide JOSH. III. 15. 1. PARALIP. XII. 15. ECCLUS. XXIV, 26.

² Vide SANDYS. *Itin.* Lib. III. sub initio.

³ DEUT. VIII. 7. XI. 10, 11.

⁴ PS. XLII. 8.

תְּהוֹם אֶל תְּהוֹם קוֹרָא לִקְוָל צְנוּרִיךְ
כָּל מִשְׁבְּרִיךְ וְגַלְיֵךְ עַל עֲבָרוֹ :

“Abyssus abyssum inclamat, circumsonantibus
“tuis Cataractis;

“Fluctus tui omnes undæque me obruerunt.”

Subit hoc in loco animadvertere, Metaphoram hanc, cæteris quidem Scriptoribus sacris ubicunque occasio ferat adeo frequentatam, Auctorem tamen Jobi per totum poema, in quo eam sæpiissime locum habituram quivis ex argumento facile conjiceret, semel tantum atque iterum,¹ nec nisi leviter, attigisse. Alia nimirum naturæ facies nobilissimi hujus poematis Auctori, quiunque is fuerit, obversabatur, si, ut multis eruditis placuit, in aliqua Arabiæ parte scriptum esset: quæ sententia ut verisimilior videatur, facit etiam insignis ea Comparatio,² qua Jobus Amicos suos cum perfido Torrente confert, quæ ex siticulosis Arabiæ locis manifesto petita est, pluribusque imaginibus ejus regionis propriis exornata.

Aliæ denique sunt Imagines Poeticæ, ex rebus item Naturalibus desumptæ, Hebræorum omnino propriæ. Inter montes Palæstinæ, maxime notabiles, adeoque sacris carminibus celebratissimi, sunt duo, Libanus et Carmelus. Alter tum sua altitudine, tum Cedrorum in summis ejus verticibus consurgentium proceritate, magnitudine, et copia, insignis; veram et eminentem quandam præ se ferens roboris et majestatis effigiem: alter optimus et ferax, vitibus, oleis, et arboribus omnis generis frugiferis consitus, et cum soli ubertate tum cul-

¹ Vide JOB. XXII. 11. XXVII. 20.

² JOB. VI. 15, — 20.

tura florentissimus; eximiamque exhibens fertilitatis speciem et exquisitioris cujusdam pulchritudinis et gratiæ. Horum quod sit in forma et aspectu inter se discrimen accurate definit Salomo, cum dignitatem virilem Libano,¹ Carmelo muliebrem venustatem comparat. Ex utroque exsurgit diversa quædam at generalis Imago, quam varie usurpant Hebræi Vates, id per Metaphoram exprimentes, in quo cautores aperta comparatione uterentur. Libanus itaque audaci translatione ponitur pro universo populi Hebræi aut Ecclesiæ² statu; pro³ Hierosolymis; pro Templo⁴ Hierosolymitano; pro Rege etiam Assyrio⁵ ejusque Exercitu; pro eo denique quod in re aliqua eximie est⁶ superbum, augustum, et sublime: atque eodem modo quocunque in se habet egregiam fertilitatem, opulentiam, aut decorem, illud Carmelus⁷ dicitur. Similiter per Robustos Basanis, Arietes, Juvencas, Tauros;⁸ per Ferram Arundineti,⁹ sive Leonem Jordanis; adumbrantur

I C A N T . V . 15 . VII . 5 .

2 I S . XXXIII . 9 . XXXV . 2 .

3 I S . XXXVII . 24 . J E R . XXII . 6 , 23 .

4 Z E C H . XI . 1 .

5 I S . X . 34 .

6 I S . II , 13 . vid . E Z E C H . XXXI . per totum .

7 Vide supra citata, et I S . X . 18 . M I C . VII . 14 . J E R . IV . 26 .

8 P S . XXII . 13 . E Z E C H . XXXIX . 18 . A M O S . IV . 1 .

9 P S . LXVIII . 31 . פֶרַע תְּנִינָה Fera Arundinis, est Periphraſis Leonis; eaque minime obscura, si ejus rationem attendimus. Leones in Arundinetis maxime lustra habere solent. “ Inter Arundineta “ Mesopotamiæ fluminum et frutecta Leones vagantur innumeri.”

A M M I A N . M A R C E L L . Lib . XVIII . cap . 7 . Id adeo familiare erat Arabibus, ut peculiare habeant vocabulum pro Leonis lustro cum in Arundineto cubat. B O C H A R T . Hieroz . par . 1 . lib . 3 . cap . 2 . Erat autem Jordanes præcipue infestus Leonibus, qui in densis

gentium Tyranni insolentes, crudeles, efferi. In his cæterisque ejusmodi Imaginibus quanquam id audent Vates Sacri, quod Latinis Græcisque minime conceditur, nemo tamen unquam aut elegantiam aut perspicuitatem desiderabit; præsertim qui meminerit, eas Hebræis notissimas, ac, ut ita dicam, populares, et veluti indigenas, fuisse.

densis riparum Arundinibus latitabant. Εν ταῖς τοῦ Ιορδάνου ἐλικείδεσται αὐγύλωστροφοῖς ροᾶσι, ὡς τὸ εἶχος, τῆς εχόμενος τοῦ πόθεν γης μερὶν πινακίδην συφαντᾷ, εν οἷς μερὶς τὸ καλλιμων χρηματεύει φυσεῖται περιφοκεν· εν ταῖς λεοντῶν φυλαῖς επαγγεῖται κατοικεῖν. JOHAN. PHOCAS. *Descript. Loc. Sanct. cap. 23.* vide etiam MAUNDRELL. *Itin. HIERONYMUS* itidem ad hæc verba Zechariae xi. 3. *Vox rugitus Leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis:* “Jordan, inquit, fluvio, qui maximus in Judæa est, juxta quem morantur Leones, fremitum junxit “Leonum, propter ardorem fitis, et ob deserti viciniam, et latitudinem vastæ solitudinis, et Arundineta et Carecta.” Hinc apud Jeremiam iv. 7. Leo dicitur exire מִסְבֵּכָנוּ “ex lustro suo perplexo,” et XLIX. 19. “ascendere inundante Jordane.” Itaque hoc in loco (P.S. LXVIII. 30.) Fera Arundinis, cœtus Robustorum, et Juvenci, sunt Leones, Tauri, Pecudesque lascivientes, five Tyranni feroceis insolentesque: de quibus, continuata translatione, addit Psaltes כְּסַפֶּת מִתְרָפֶת בְּרַצְ' (hoc est, pro se quisque de industria (ea est vis numeri singularis Distributivi et formæ *Hithpael*) conculcantes et turbantes rivos argenteos, five forsan desiderabiles; perdentes nimirum et vastantes vicinorum Judæorum bona. Hæc ipsa Imago apud Ezechielem usurpatur cap. XXXII. 2. iterumque cap. XXXIV. 18, 19. in quibus locis ter ponitur in eo sensu verbum רְפַשׁ: vid. etiam DAN. VII. 19. verum an γέρα de motu fluminis dicatur, ut apud Latinos currere, (VIRG. *Georg.* i. 132.) ita ut γέρα rivum significet, non æque constat.

“Vox hæc (גֵּר) videtur habere notionem aquæ in lingua Arabyca. Est enim verbum γέρα, potum præbuit abunde; stagnantem vel “infusam aquam habuit piscina aut vallis: et nomen γέρα, quantitas “aqua operiens fundum lacūs vel cisternæ.” H.

Id denique hoc in loco generatim adnotandum est : Poesin omnem, ac præcipue Hebraicam, ornamenta sua longe plurima ex rerum Naturalium Imaginibus depro-

Aliam hujus loci explicationem benigne mecum communicavit Vir in primis Doctus, quæ eruditæ Lectoris assensum forsan obtinebit.

Totum Comma hoc modo interpretatur Vir Doctus : “ Disperde “ feram arundinis ; cœtum eorum, qui sunt fortes in vitulis gen-“ tium ; qui se excitant cum fragmentis argenti : disperge populos “ qui bella volunt.” Fera Arundinis est Hippopotamus in Arundinetis Nili degens : hoc loco Ægypti populum apte adumbrat ; quod etiam ad totius Commatis explicationem aditum aperit. Et- enim per totum de Ægyptiis sermo est : notantur a cultu Vitulorum, Apis et Isidis in forma bovina ; et a solenni coram iis saltatione cum sistorum strepitu. Chaldæus : “ congregationem for-“ tium, qui confidunt in vitulis idolis gentium.” “ Fortes in vi-“ tulis,” eadem est phrasis ac εὐδιωταμέθη τῷ Κυρίῳ ; ΕΡΗ. VI. 10 : quæ est locutio Hebraica. Mos saltandi in cultu Idolorum Ægyptiorum confirmatur ex EXOD. xxxii. 6, et 19 : isque cum Sistorum pulsatione, HEROD. Lib. II. Vox שְׁמִרָה penitus diversa est a στήρη, quæ alias quam in hoc loco semel tantum legitur : PROV. VI. 3. ubi VULG. reddit, *Festina* : melius, *Te excita* : cum sit in *Hithpael*. Apud Chaldæos significat calcare ; apud Syros saltare ; apud Arabas calcitrare : unde hoc in loco recte, “ ad saltandum se “ excitant.” “ Cum fragmentis argenti ;” ita ad verbum redditur נַפְרָא : notantur Sistri frustula, vel laminæ metalli mobiles, quæ agitatæ tinnitum strepitumque reddunt. Erat etiam Sistri usus in bello, ad signum pugnæ edendum : “ Regina in mediis patrio “ vocat agmina Sistro.” VIRG. Unde tubæ Romanæ in pugna Actiaca opponit etiam PROPERTIUS (Lib. III. ix. 43.) Sistrum Ægyptiacum. Hunc potius usum si respici credamus, facilior vi-debitur sequentium nexus : “ disperge populos qui Bella volunt.” Non modo luculentam habemus Ægyptiorum descriptionem, verum etiam hic notari Ægyptios confirmant sequentia : “ venient prin-“ cipes ex Ægypto, &c ;” quasi hujuscè gentis Subjugatio, in priori Commate votis petita, in sequenti perduceretur ad effec-tum.

mere ;

mere: has ut quisque in animo suo format atque exprimit ex eo quod cuique in sensu incurrit, fieri non potest, quin pro locorum diversitate aliæ sint aliis familiares, aliæ etiam propriæ; et quæ maxime videntur communes, tenuem saepe aliquam et latentiorem habeant cum proxima sua origine et natali solo necessitudinem: imprimis itaque tenendus est, quantum fieri potest, rerum in quibus versatur auctor situs habitusque, percipienda regionis Historia Naturalis, et Poematis cujusque veluti scena ob oculos ponenda. Huc nisi perpetuo animos attendamus, vix tuto licebit de sensuum decore et venustate judicare: fugient nos interdum vel apertissima, reconditæ certe et interiores elegantiæ plurimæ latebunt.

PRÆLECTIO SEPTIMA:

DE IMAGINIBUS EX COMMUNI VITA.

QUAS tres causas proxime exposui, quibus apud Hebræos Vates in figurata dictione conservaretur cum summa sublimitate conjuncta perspicuitas; (primo quod uterentur plerumque Imaginibus de medio sumptis, deque rebus maxime notis et pervulgatis; tum quod in earundem accommodatione certam fere rationem et viam, seu analogiam quandam, servarent; quod denique iis potissimum licentius uterentur, quæ maxime essent familiares et notissimæ significationis;) earum veritatem ulterius confirmatum iri arbitror, si eas etiam Metaphoras paullum advertamus, quæ ex Artificiis, Moribus, Vitaque Communi desumuntur; quem alterum statueram veluti fontem unde poeticæ Imagines derivari solent. Ac sufficient hac in parte quædam de universo genere breviter notata, et exemplum unum atque alterum ex innumeris decerptum.

Tota Communis Vitæ ratio apud vetustiores Hebræos admodum simplex constansque fuit: non erat ea studiorum, conditionum, artium, quæstuumque diversitas, quæ apud alios populos postmodum obtinuit, qui sese quasi haud paulo humaniores jactaverunt; ac merito quidem, si pro humanitate habendus est luxus, levitas, et superbìa. Una omnibus libertas, una generis nobilitas ab antiquissima

tiquissima stirpe deducta : nulli inanes tituli, aut falsa gloriae insignia ; vix ulli honorum et dignitatis gradus, nisi ut cuique ex virtute, prudentia, proiecta ætate, aut bene gesta republica accessere. Legibus et sacris ab cæteris hominibus divisi, nec admodum mercaturæ dediti, satis habuerunt eas artes colere, quæ ad vitæ usum simplicem et incultum, seu incorruptum potius, necessariæ essent. Itaque præcipua erat omnibus occupatio in collendis terris et curando pecore ; agricolarum et pastorum ferme natio erant. Prædia in familias principio fortiti, quæ¹ pretio addicere, ita ut omnino alienarentur, fas non erat, posteris suis possidenda suoque labore colenda tradebant ; quos ex suo quisque agro fructus percipiebat, eæ cujusque erant divitiae. Nemo vel amplissimus indecorum aut se indignum putabat etiam infimis rustici operis negotiis vacare. Igitur in Sacra Historia² saepe legimus, Duces, Reges, Prophetas, ad sancta et augusta munera obeunda ab aratro et stabulis accessisse.

Itaque non mirum est si Hebræi scriptores multi sint in deducendis Metaphoris ex his potissimum artibus, in quibus fere nutriti et educati sunt ; si quæ animis oculisque eorum maxime obversarentur, ea derivarent in Poesin : præfertim quæ suppeditarent tam variam lautamque rerum supellectilem, unde depromi posset quicquid in imaginibus non modo venustum est atque elegans, sed grande etiam et magnificum. Quod si cui male delicato fordere nonnunquam videantur hujusmodi rerum species, quasi scilicet oleant plebeculam et ster-

¹ LEV. XXV. 13, — 16, et 23, 24. confer I. REG. XXI. 3.

² Vide JUD. III. 31. VI. II. I. SAM. IX. 3. XI. 5. II. SAM. VII. 8. PS. LXXVIII. 72, 73. I. REG. XIX. 19, 20. AMOS. I. 1. VII. 14, 15.

cus; id suæ tribuat inscitiae, qui ex sui sensus modulo antiqua æstimet; non Sacris Vatibus vitio vertat, qui hisce imaginibus non modo suam præstant dignitatem, sed persæpe etiam ipsa translationis vi atque audacia incredibilem inducunt elegantiam et ornatum.

Longum esset singulatim percensere, quibus illi verborum luminibus, ex re una levi humilique, ut quibusdam videri possit, ex Area nimirum et Tritura petitis, rebus tamen maximis splendorem, gravissimis pondus addiderunt: cum “Jehova ira incensus impios proterit, “ conculcat, profligat: ¹ cum populos Israeli veluti den-“ tato tribulo subjicit frangendos, aut æratis ejus unguis “ comminuendos; ² hostesque suos, palea montana le-“ viores, difflat spiritu, et indignationis turbine disper-“ git.” ³

הנה שמתיך למורג
הרוץ חדש בעל פפיות:
תדרוש הריס ותדק
ונגבעות כמו תשימים:
תזרם ורוח תשאמ
ומסעה תפיז אתם:

“ Ecce feci Te Traham;
“ Tribulum novum, instructum dentibus:
“ Triturabis montes atque comminues,
“ Et colles tanquam in glumam rediges:
“ Ventilabis eos, ventusque auferet,
“ Et turbo eos dissipabit. ⁴

¹ HAB. III. 12. JOEL. III. 14. JER. LI. 33. IS. XXI. 10.

² MICAH. IV. 13.

³ PS. LXXXIII. 14, 16. IS. XVII. 13.

⁴ ISAI. XLI. 15, 16.

Quibus in locis notandum est primum, hujus metaphoræ rationem et legem a variis sacrorum poematum Auctōribus constanter et religiose servari ; unde ei audacius quidem, sed intra suos limites, exultanti sua constat et verecundia et perspicuitas : siquidem unice eam usurpant ad amplificandam improborum hostiumque stragem et dispersionem. Ad hoc, promptam facilemque huic audaciæ defensionem præbebit vel ipsa vis Imaginis ad rem exprimendam accommodatissima, si receptum apud Hebræos triturandi modum cogitemus. Id fiebat in loco sublimi, ventis obnoxio ; inacto spicis vel jumentorum grege, vel tribulo gravibus tabulis construncto, et lapidibus vel ferro subtus asperato, vel plofstellō rotis sive axibus ferreis et dentatis, quod Varro ¹ Pœnicum vocat, utpote a Pœnis Italiæ illatam de Phœnicia Palæstinæ proxima ; unde etiam, præterquam quod per omnia conveniunt descriptiones, constat Hebræorum ac Romanorum in hac re usum similem et plane eundem fuisse : nec tamen hi quidquam unquam, quod sciam, ad Poefeos suæ ornatum inde mutuantur. Non autem prætermittendum est, Imaginem hanc fuisse Hebræis, supra quam a nobis facile concipi potest, obviam et familiarem ; cuius rei satis indicio est Araunæ Jebusæ Area, ² sub dio, ut cæteræ omnes, in ipsis Hierosolymis, et in editissima urbis parte sita, eo ipso in loco in quo postea Templum a Salomone conditum est.

Homero, cui vehementer placuit omnis agrestis vitæ imago, adeo decora significansque visa est hæc ipsa de qua agimus, ut semel iterumque ex Area petierit Comparisonem ; (nam Translationis periculum vel ipse hic

¹ *De Re Rust.* I. 52.

² II. PARALIP. III. I.

reformidavit) unam quidem atque alteram¹ ad illustrandam rem leviculam, contra quam solent Hebræi; tertiam autem vere magnificentam, qua Achillem suum exornat: hanc, siquidem accedit ad effigiem aliquam Hebrææ sublimitatis, libet recitare:²

Ως δὲ ὅτε τις ζωέντις θόρας αργενας ευρυμελώπος,
Τριβεμενας κρι λάσκον εὐτροχαλω εν αλωη,
Ριμφα τε λεπτή εγκροντο βοῶν ύπο ποστ' εριμυκων.
Ως ύπ' Αχιλῆνος μεγαλύμενος μωνυχες ἵπποι
Στενον ὄμης νενας τε κανος ασπίδας. —

Quæ Comparatio, inter pulcherrimas et grandissimas merito quidem numeranda, multum tamen abest ab Hebræorum sublimitate atque audacia. Hebræus contulisset potius ipsum Heroa cum Tribulo, non Equos ejus cum Bobus plostello junctis; quod est paulo nimis appositum, et plus æquo congruens.³ Verum illam licentiam Græcorum poesi non dederat confuetudo; non occupaverat hunc locum ea Imago, sicuti apud Hebræos, neque ejus quasi dominium usucapione acquisiverat.

Religio est hoc in loco silentio transire egregiam et supra modum magnificentem Ultionis Divinæ imaginem ductam a Torculari, saepiusque a sacris Vatibus usurpatam; sed quam nulla alia poesis ausa est vel attigisse. Quibus autem Latini sermonis coloribus ea exprimere possumus, quæ nisi suis digne exhiberi omnino nequeunt? quibus lineamentis vel tenuem umbram ejus descriptionis effingere, qua Isaías depinxit Messiam Vindicem?⁴ —

¹ Vide *Iliad.* v. 499. et xiii. 588.

² *Iliad.* xx. 495.

³ Hoc mox fusius exponetur PRÆL. XII.

⁴ Vide ISAIA. LXIII. 1, — 3.

— Ille Patris vires indutus et iram,
Dira rubens graditur, per stragem et fracta po-
tentum

Agmina, prona solo; prostratisque hostibus ultor
Insultat; ceu labra novo spumantia musto
Exercens, salit attritas calcator in uvas,
Congestamque struem subigit: cæde atra recenti
Crura madent, rorantque inspersæ sanguine vestes.

Porro, innumera plane sunt quæ in hanc rem adduci possunt ex Moribus Vitæque consuetudine translata. De his etiam id generatim adnotandum est, receptam apud Hebræos vivendi rationem, simplicem, constantem, gravem, naturæque convenientem, efficere, ut Vates Sacri multo minus habeant vel obscuri, vel humilis ac demissi, in hujus generis metaphoris, quam quisquam sperare potuerit, qui reputat, vel quanto a nobis rerum et temporum intervallo disjuncti sunt, quantumque in translationibus audent; vel quantum in rebus communibus et vulgaribus transferendis versantur. Eam profecto Sacrorum Vatum præ cæteris omnibus veram esse laudem existimo, metaphoris audacibus cum summa perspicuitate uti, et vulgaribus cum summa dignitate et splendore. Non verebor vobis in hoc genere proponere exemplum, quo nihil concipi potest summissius et contemptius, nihil planius et inornatus exprimi; quod tamen ipsa Imaginis congruentia atque accommodationis proprietate eam vim habet, ut non dubitem eminentem sublimitatis notam ei apponere. Minatur Deus Hierosolymæ ultimum excidium: ¹

I II. REG. XXI. 13. Vatis alicujus responsum ab Historico traditum.

וְמִחִתִּי אֶת יְרוֹשָׁלָם
כַּאֲשֶׁר יְמַהַ הַצְלָחָת
מִהָּה וְהַפְּךָ עַל פְּנֵיהָ:

“ Et detergam Hierosolymam,
“ Ut deterserit quispiam pateram ;
“ Detergit eam, et pronam in faciem vertit.

Verum multa hujusmodi necesse est humilia et obscura nobis falso videri, qui vita moribusque tam diversis utimur: sed in his nec temere reprehendendum, nec cito desperandum; versandus potius in omnem partem animus, si forte erui possit sensuum atque imaginum nexus, a rebus abstrusis nostramque aciem facile fugientibus tenui persæpe filo pendens: mos nonnunquam obsoletus opportune notatus, suoque loco admotus, multis simul aliis suam lucem et dignitatem restituet. An hoc præcipue præstet quod jam proferam exemplum, non ausim quidem dicere; ostendet forsan Hebræorum in formandis Imaginibus Poeticis usum, et in explicandis accurateam et constantiam.

Poetis fere omnibus id sæpenumero usu venit, ut vel occasione inducti, vel necessitate prope coacti, in eum locum incident, in quo multo cum ornatu et amplificatione, utpote in re gravi magnaque, describendi sunt Inferi, five Vita Functionum Status; hoc est, id clare explicandum, quod quale sit, nemini mortalium concessum est omnino mente percipere, aut conjectura consequi. Itaque Graeci, prompto fertilique ingenio, et ad fabulas adornandas nati, pulchram nocti occasionem, Inferos plane poeticos ac suos commenti sunt; eo quidem monstrorum apparatu instructos, ut nemo vel e populo tam excors esset, cui non risum moverent tot

deliramenta. Quid vero Vates Hebræi? quibus non eadem fingendi licentia, et, quanquam persuasissimum erat animos non interire et corpora etiam in vitam esse redditura, eadem tamen de præsenti mortuorum statu et conditione ignoratio? Nimis idem hoc in loco fecisse videntur, quod in cæteris omnibus: nam quæ palam et in aperto essent vulgoque constarent de mortuis, hoc est, de mortuorum cadaveribus, ex iis Generalem quandam Imaginem confecerunt, quam in describendo vitâ functorum statu unice et constanter usurpant; quamque, si modo fas sit, appellare possumus Hebræorum Infernum Poeticum. Ἰνάש ipsi vocant; Græci, ἀδην; Latini Infernum, sive etiam Sepulchrum; neque sane aliunde sumpta est Hebræis tota hæc Imago, quam de more rituque Sepulturæ apud ipsos recepto; qui ejusmodi erat, ut materiem præberet ornatui poeticò satis accommodatam. Hebræorum enim Sepulchra, faltem honestiora, quæque familiis principibus patria erant ac gentilitia, Speluncæ¹ erant amplæ, sub terram, ex nativa rupe, arte manuque excavatae; laqueare testudinato; quædam tam spatiisæ, ut columnis suffulcarentur: ad latera circumquaque excidebantur cellæ recipiendis Sarcophagis; ii Sculptili opere apte ornati erant, singulique singulis cellis condebantur: nullam omnino lucem admittebat Specus, quippe angusto aditu, quique advoluto faxo obstruebatur. Multa hujusmodi Conditoria etiamnum in Judæa visuntur; duo² præ

1 Vide GEN. XXIII. II. REG. XIII. 21. ISAI. XXII. 16. II. PARALIP. XVI. 14. JOSH. X. 27. THREN. III. 53. JOHAN. XI. 38. et Evangelistas de Christi Sepulchro.

2 Horum Sepulchrorum descriptionem exhibent, SERLIO Architettura Lib. III. VILLALPANDUS Apparat. Urbis III. 16. MAUNDRELL. Itin. p. 76.

cæteris magnifica, quæ Regum habentur Sepulchra, alterum in ipsis Hierosolymis, cellas habens viginti quatuor; alterum bis totidem continens, in urbis pomœrio.

Josephus sæpius mentionem facit Sepulchri Davidis. Sepulchrum ipsum vocat ταφον vel μνημεῖον; cameras, in quarum plures distribuebatur, οὐκέτι ταῦς εν τῷ μνημεῖῳ; cellas, θυμάς. *Antiq.* VII. 15. XVI. 7. *Bell.* I. 2. Memorantur a Strabone Lib. xvii. Regum Ægyptiorum conditoria, θυμαὶ εν απολογίαις λαζαρηταὶ τῶν τετταρακονύτων. De quorum reliquiis vide *POCOCKI* *Descriptionem Orientis*, Lib. II. Cap. 3. Visuntur adhuc Neapoli Cryptæ Sepulchrales, quas *Catacumbas* vocant, opus quo nihil extat usquam in eo genere grandius aut admirabilius. Mihi quidem videtur esse monumentum ultimæ antiquitatis, quod, alias in usus primo destinatum, ævo demum Christiano condendis cadaveribus inserviit. Est enim ejusdem plane generis cum cæteris operibus subterraneis ejus regionis, quorum quidem multa crebris terræ motibus deleta sunt, multa tamen plane stupenda hodie supersunt; Cumis, Miseni, Baiis, ad Averni Lacum, et in Monte Paufiliyi. Non dubito quin hæc omnia haud paulo præcesserint Homeri tempora, qui in his regionibus locat Cimmerios illos in tenebris habitantes, *Odyss.* ix. sub initio; uti et Ephorus, apud Strabonem Lib. v, eosque ait, εν καλύγειοις αἰχμασ οἰκεῖν, ἀς καλύπτον Αἴγιλλας, καὶ Δῆμον πνῶν οενυματῶν παρ' αἰθηλες φοιταῖν: quæ non esse ex omni parte fabulosa hæc ipsa monumenta subterranea jam palam testantur. *Argillæ* autem vocabantur hæ Speluncæ ex natura soli in quo hujusmodi cavernæ frequentius, opinor, fodiebantur. *Aἴγιλλος*, η σπηλιὴ γη, η λευκόγειος. *HESYCH.* unde collis in hac regione Leucogæus dictus, inter Puteolos et Neapolim; *PLIN. N. H.* XVIII. 11. quanquam hæ omnes, quas dixi, Speluncæ ex solida sunt tophi rupe, unde temporum injuriæ resistere potuerunt. Hinc Argiletum, vici nomen Romæ, ex hujusmodi Argillis quibusdam sumptum, quale erat haud ita longe ab eo vico Caci Specus; quanquam aliter Virgilius; sed vide *VARRONEM* *De Ling. Lat.* Lib. iv. Cæterum ex his Speluncis Cimmeriis Campaniæ Homerum primo, deinde Virgilium, Inferorum suorum Imaginem duxisse manifestum est: et Virgilio, cum Caci Speluncam ab Hercule effractam describeret, protinus obversabatur Inferni pæfæcti Imago:

“Ad

Quod si eos locos omnes excutimus quibus Sacri Vates Inferos ornatu poetico describunt, liquido nisi valde fallor apparebit, eos mentem in hujusmodi Sepulchrorum imagine per omnia intentam et defixam habuisse. Quæ in sensu incurrebant, et oculis obversabantur, eorum omnium effigiem exprimebant oratione: nullam ibi Animorum Immortalium descriptionem, aut explicate admodum factam mentionem reperiemus; non eo quod permanere post mortem animos non crederent, quod doctis¹ quibusdam placuit; sed quod nec ullam haberent satis claram eorum notionem et intelligentiam, unde ubi et quales essent explicarent, neque eam adepti essent sermonis et argumentationis subtilitatem, ut de rebus abstrusis et a sensu omnino remotis probabiliter dicere, et eruditam disputationem suæ ignorantiae prætendere possent. Qualis itaque ab animis a corpore sejunctis vita viveretur, quis eorum locus, forma, conditio, Hebræi juxta cum cæteris mortalibus in summa ignoratione versabantur. Neque eos hac in parte vel minimum facri Codices adjuvere; haud quia hanc iis cognitionem invideret Divina Revelatio, sed quia humanæ mentis conditio eam omnino non recipiat: quæ cum res a corpore et materia remotas con-

“ At specus, et Caci detecta apparuit ingens
 “ Regia, et umbrosæ penitus patuere cavernæ:
 “ Non fecus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
 “ Infernas referet sedes, et regna recludat
 “ Pallida, Dis invisa, superque immane barathrum
 “ Cernatur, trepidante immiso lumine Manes.

Æ. N. VIII. 241.

¹ Vide CLERICI Comment. in *Hagiographa*: consule Indicem in voce *Immortalitas*.

templatur,

templatur, propriarum notionum inopia cogitur ad improprias confugere, et corporeis incorporea quadantes adumbrare. Cum itaque viderent corpora vita functa in terram cadere, eoque modo quo dictum est sepulchro condi, percrebuit apud Hebræos, ut apud cæteros etiam, opinio quædam popularis, agi sub terra vitam mortuorum deinceps consequentem: quam ut adsciscerent Vates Sacri etiam neesse erat, si modo de hac re omnino loqui et intelligi vellent.

Atque hinc plane est quod mortui toties dicuntur
 “descendere¹ in Foveam, in Inferiora terræ, ad Portas
 “et Penetralia lethi; ad Saxa, ad Latera, ad Repagula
 “Cavernæ: hausit eos² avidis Faucibus Sepulchrum,
 “atque Os iis occludit; decumbunt³ in Barathro, in
 “loca vasta, in voragine, tenebrasque profundissimas
 “demersi; in terram caliginis, et umbram mortis, im-
 “manem, tetram, carentem ordine; et ubi pro luce
 “veluti diradiatur Caligo.”

וְשַׁחַת הָאָרֶץ, item five, בָּור יְהוָה, בָּאָרֶץ יְהוָה, job. xxxiv. 18. ps. xxviii. 1.
 et passim. אָרֶץ תְּחִתִּית, vel אָרֶץ, שַׁעֲרֵי שָׂאָל, xxxi. 14.
 xxxii. 18. et ps. passim. שַׁעֲרֵי שָׂאָל, isa. xxxviii. 10. מִזְוָת, job. xxxviii. 17. ps. ix. 14. PROV. VII. 27.
 חֲדָרֵי מוֹת, isa. XIV. 19. יְרֻכָּת בָּור, אָבָנִי בָּור, isa. XIV. 15. EZEK. xxxii. 23. בְּדֵי שָׂאָל, job. xvii. 16.

פִּי בָּאָרֶץ, ps. cxli. 7. פִּי שָׂאָל², ps. lxix. 16. et vide isa. v. 14.

חַרְבוֹת, ps. lxix. 16. לְמַצּוֹלָה³, job. III. 14. isa. LIX. 10. EZEK. XXVI. 20.

אָרֶץ עֲפַתָּה כְּמוֹ אָפָל
 צְלָמוֹת וְלֹא סְרוּיכָת
 וּתְפַעַם כְּמוֹ אָפָל:

job. x, 22.

German-

Germanam hanc Inferorum Imaginem retinuerunt inter tot sua commenta Poetæ exteri: apposite admodum et præclare vetus Poeta Tragicus¹ altam Acheruntis viam ait esse

“ Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,

“ Maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.

Quam grandis autem et magnifica ab Hebræis Vatisbus ex hoc rerum apparatu ornatur Scena, in quam Heroes et Tyranni defuncti prodeunt! Ponite vobis ob oculos Cavernam Sepulchram, ingentem, vastam, caliginosam: ibi decumbunt² in suo quisque pulvinari³ Gentium Reges, armis juxta positis, subiecto cujusque vertici gladio,⁴ circumiacentibusque suorum sarcophagis.⁵ Ecce vero inducitur Rex Babylonius! soliis omnes protinus desurgunt, obviam procedunt, et venientem excipiunt: “ Tene ergo ad Nos deductum conspicimus? “ Te nostrī similem? Te succisum et cassum viribus, O “ Gentium DebELLator?” — Sed manum abstineo: isthæc enim, non dico mei, sed ne humani quidem ingenii esse arbitror pro dignitate exponere. Libentius meliusque ipsi videbitis, Academici, in Israelitarum Carmine Triumphali,⁶ quod Babylonii Regis funeri præcinuit, omnium qui unquam fuerunt elegantia et

¹ Apud CICERONEM, *Tusc. Quæst.* I.

² ISAI. XIV. 9, 18. EZEK. XXXII. 19, 21, &c.

³ מִשְׁכָב ISAI. LVII. 2. EZEK. XXXII. 25. Ita appellatur ἡ θάνατος, Cella quæ sarcophagum recipit.

⁴ EZEK. XXXII. 27. vide I. MACCAB. XIII. 29.

⁵ EZEK. XXXII. 22, 23, 24.

⁶ ISAI. XIV. 4, — 27.

sublimitate longe princeps, Isaias. Eandem etiam Scenam cum eodem adjunctorum apparatu egregie instruxit Ezekiel, in ultimo Vaticinio de Occasu Pharaonis; insigni illius *δειγματων* exemplo, quæ hujus Vatis propria merito habetur.

I E Z E K. XXXII. 18, —— 32.

PRÆLECTIO OCTAVA:

DE IMAGINIBUS EX REBUS SACRIS.

De Imaginibus Poeticis, quæ Hebræis Vatis-
bus maxime frequentantur, eo præcipue
consilio, Academici, instituta nobis est dis-
putatio, ut facilius ab isto errore cavere
possimus, qui eorum scripta tanto rerum temporumque
intervallo legentibus solet illudere; cum quæ apud He-
bræos vel maxime clara vereque magnifica erant, ea
jam nobis vel obscura vel etiam sordida nonnunquam
videantur. Quod si in Rerum Naturalium et Commu-
nis Vitæ Imaginibus, (de quibus proxime differui,) ea
adhibenda erat cautio, in eis profecto quæ a Rebus Sa-
cris desumuntur multo etiam magis erit necessaria:
nam quæ ab universæ Naturæ specie, vel Communis
Vitæ consuetudine, Hebræi depromserunt, eorum et si
multa essent ipsis propria, pleraque tamen sibi juxta
cum cæteris hominibus familiaria habuerunt; quæ vero
ex patriis Religionibus ac Cæremoniis transtulerunt, ea
plane sua erant, quorum nec usus, neque etiam cogni-
tio, multum cum reliquis mortalibus communicaretur.
Quam ob causam cum hic locus, quem jam tractamus,
multa et magna præ cæteris hujusmodi incommoda et
offensiones habere videatur, erit ut opinor operæ pre-
mium eum diligenter excutere; ut Poesi Hebrææ sua
jam

jam aliquantum in ea parte constet majestas, qua olim vel maxime videtur eminuisse.

Latissime patebat Hebræorum Religio; ea continebatur non tantum Dei cultus, sed reip. etiam administratio, sanctiones legum, judiciorum consuetudines, ac omnis fere vitæ civilis et quotidianæ ratio. Vix quidquam apud eos profanum, et ab Sacris omnino remotum: quæ cæteris hominibus minimo in honore et æstimatione feruntur, apud eos divinis legibus erant sancta, arctissimumque habebant cum rebus gravissimis et sacratissimis cæremoniis necessitudinem. Hæc sunt in causa, primum quod in Poesi Hebræa plurimæ occurserunt a Rebus Sacris traductæ Metaphoræ; deinde quod in earum multis diligentí opus erit observatione, ne is ipse, quem cum Sacris habent, nexus et conjunctio penitus lateat. Id si fiat, si quæ divina sunt pro communibus habeamus, si sancta et augusta in vulgaribus fordidisque numeremus; incredibile est, quantum de verborum pondere deque sensuum vi et majestate detraheretur. Etenim nihil in rerum natura æque comparatum est ad sublimitatem, ac conceptus ex Adyto deprompti; ita animum humanum subita percellit admiratio, cum ei observatur augusta Religionis species; ita nos in his rebus

— “quædam divina Voluptas
“ Percipit, atque Horror.

Accedit itaque, Hebrææ Poëeos majestatem ex eo etiam plurimum jam imminui, non modo quod sæpe nos fugiat Imaginum cum Sacris connexio, sed quod cum ea vel maxime apparet, apud nos tamen vix ullam partem obtineat ejus vis atque impetus, quo Hebræorum animos penitus invasit perculitque. Universa ri-

tuum Hebraicorum comprehensio grandis quædam est et multiplex Allegoria, cuius ad meditationem et observantiam omnis diligentia, omnis animorum attentio iis, quibus ea Sacra colebantur, dies noctesque erat dirigenda. In eo itaque opere et studio boni omnes et cordati mentem habebant defixam; hoc erat eorum negotium, hoc otium; in his omnes eorum spes opesque erant sitæ; in his omnes curæ cogitationesque evigilabant, summaque cum sanctitate et reverentia versabantur. Magna præterea his rebus accessit dignitas ex ipso sacrorum splendore et magnificentia; cuius incredibilis vis erat apud eorum animos, quorum oculis perpetuo obversarentur: in his inerat tanta majestatis species, præsertim post extructum Salomonis Templum, quam tam, et si omnem eorum rationem in ipsorum monumentis accuratissime descriptam habemus, minime tamen possumus cogitando consequi. Quæ itaque in hac parte Hebræi Vates apud suos præcipue vim habere summeque pollere experti sunt, ea sæpe apud nos jacent fordentque; cum quæ illi maximi faciebant, quibusque unice studebant, ex eis nos multa vel parum æstimamus vel minus intelligimus.

Horum quæ dixi exempla quædam subnectam, vel locos potius quosdam, unde bona exemplorum copia peti possit.

Plurimum occupantur Hebræorum Leges in rebus mundis immundisque discriminandis; in rebus turpis, pollutis, nefastis amovendis expiandisque; quibus cæremoniis, quasi involucris et velis quibusdam, sensus gravissimos sanctissimosque obtendi, eo ipso satis liqueret, si non aliunde esset aperte et explicite traditum. In his locum habent morbi quidam, atque infirmitates corpor-

corporis, habitusque etiam in se quidem plane *αδιαφορος*: hæc occurrenti fortasse levia videntur, exploranti magna apparent. Quapropter minime est mirandum Vates Sacros hasce Imagines in exponendis rebus gravissimis adhibere; cum vel¹ mentis humanæ depravatæ penitus et contaminatæ labem denudant, vel² corruptos suorum mores exprobrant, vel³ Virginis Sionis filiæ spoliatæ ac nudatæ miseram, abjectam, et contemptissimam sortem lamentantur; quæ si in se spectantur, plane deformes atque odiosæ habendæ sunt; si ad veram originem et ad sua Sacra referuntur, nec pondere carebunt, neque etiam dignitate. Ex hoc videntur esse genere, vel hujus saltem generis analogiam servare, ea quæ Vates Regius, qui in divinis carminibus Personam sua ipsius longe augustiorem plerumque sustinet, miseriarum affectuumque ardentissimorum plenissima effundit; cum⁴ omnibus se plagis pestibusque profligatum et confectum queritur, gravissimoque peccatorum onere penitus depresso, cui humana natura omnino sit impar ferendo. Quibus in locis, quæsiverunt nonnulli, Hebrææ Poeseos genium vix satis attente perpendentes, quonam Morbi genere Vates tum laboraret; haud minus absurde, ut mihi quidem videtur, ac si quæstionem intulissent de ejus Fluminis situ et nomine, in quo idem esset submersus, cum magnis aquarum fluctibus se obrutum diceret.

Porro ut multa sunt in hoc genere, in quibus Vates Sacri simili defensione egere videntur, ita sunt fortasse plura, quæ etsi in se satis pulchra sunt et elegantia, multo

¹ I S. LXIV. 6.

² I S. I. 5, 6, 16. E Z E C H. XXXVI. 17.

³ T H R E N. I. 8, 9, 17. et II. 2.

⁴ Vid. P. S. XXXVIII.

tamen elatiora apparebunt, si ex iis sacris unde duxerunt originem illustrantur, et tanquam tabulæ bene piætæ in bono lumine collocantur. Quam in rem exempla abundante deponi possunt ex uno loco, ex pretiosa nimis et magnifica Vestium Sacerdotalium supellectile. Hebræorum Sacerdotum, ac præsertim Pontificis Maximi, solennibus vestimentis induiti, is erat ornatus, ea magnificentia, ita ad decorum et gloriam, ¹ ut Moses loquitur, composita species, ut apud eos, quorum in animis cum tanto splendore conjuncta erat Sanctitatis opinio, nihil omnino augustius cogitari potuerit. Hac itaque Imagine utuntur Hebræi in signanda notione eximii decoris, aut perfecta supremæ majestatis forma exprimenda. Hanc ipsam egregie imprimis exhibuit, et clarissime illuminavit, elegantissimus Isaïas : ² Ecclesiæ instauratae exultationem et gloriam suo more, hoc est magnificentissime, describens, inducit eam Salutis Vestibus ornatam, et Justitiæ indutam Chlamyde; cum Sponso deinde ad nuptias ornato confert, cui comparationi incredibilem majestatem intulit una voce יְכָהּ, metaphora ex Sacerdotis insignibus aperte petita, quam lingua Latina nullo modo exprimi aut adumbrari posse arbitror. Enimvero nihil aliud sanctius et augustius cogitatione adsequi potuerunt Vates Sacri, quo immensam Dei ipsius majestatem, quantum humano conceptui fas erat, dignè exprimerent; inducunt itaque Jehovah “indutum gloria, ³ magnificencia vestitum, accinctum ⁴ robore;”

¹ EXOD. XXVIII. 2.

² ISAIA. XLI. 10.

³ PS. XCIII. 1.

⁴ PS. LXV. 7.

vocibus utentes in Sacerdotum ornatu et ministerio solennibus.

Atque hæc quidem satis forsan in aperto et propatulo esse videantur : sunt autem in hoc genere, nisi fallor, multa quorum magis recondita est elegantia. In Hymno perfectissimo, quo cum Numinis ubique præsentis Immensitas, tum divini Opificis in humano corpore fabricando admirabilis solertia celebratur, utitur Vates insigni Metaphora ducta ex subtilissimo Operis Phrygionici artificio :

אשר עשית בסתור
רקמת בחתיות ארץ :

“ Cum formatus essem in occulto,
“ Acupictus essem in penetralibus terræ. ”

Hanc qui animadvertisit, (vix autem is omnino videbit, qui tantum consulti Versiones,) simulque cogitat mirificam humani corporis compositionem ; venarum, arteriarum, fibrarum, membranarum variam implicacionem, totiusque fabricæ “ non enarrabile Textum ; ” is aptissimæ quidem translationis pulchritudinem et venustatem continuo intelliget : ejusdem vero vim omnem et dignitatem parum assequetur, nisi id quoque attendat, acupingendi artificium apud Hebræos dicatum Sanctuario, usumque hujus Operis proprium et singularem ex legis divinæ præscripto adhibitum fuisse ² in quadam Vestis Sacerdotalis parte, et in portarum Tabernaculi aulæis ; ita ut existimetur Vates divini Artificis solertiam cum eo præcipue humanæ artis specimine contulisse, cuius effet

I P.S. CXXXIX. 15.

2 EXOD. XXVIII. 39. XXVI. 36. XXVII. 16. Confer. EZECH. XVI. 10, 13, 18.

summa ex Religione dignitas, tamque exquisita operis elegantia, ⁱ ut illud sacræ etiam Literæ divino instinctui tribuere videantur.

Unum præterea locum indicabo, qui multa, ni fallor, hujus rei insignia in se exempla continet. Notissimum est Carmen, omniumque admiratione celebratum, quo Dei in universo hoc mundo adornando consilium et sapientia laudatur; Psalmorum numeratur Centesimus quartus: magnificum est in primis exordium, quo depingitur Dei majestas, quatenus eam ex rerum naturæ admirabili constitutione investigare animoque complecti possumus. Quo in loco cum Imaginibus translatis uti plerumque necesse esset, eas potissimum adhibuit Vates, quæ Hebræis augustinissimæ tantoque argumento dignissimæ haberi possent: nam omnes, ut mihi quidem videntur, ex Tabernaculo sunt desumptæ. Locus ipse ad verbum exprimendus est, breviterque explicandus.

Dei magnitudinem primo vocibus propriis exponit; deinde translatis utitur:

הָר וְהָרֶךְ לְבָשָׂת :

“Majestatem et gloriam induisti:
לְבָשָׂת, vox in Sacerdotum amictu solennis.

עֲטָה אָוֶר כְּשַׁלְמָה

“Operiens se lumine tanquam vestimento: Designatur sub eadem notione manifestum divinæ præsentiæ Symbolum, Lux in Adyto conspicua; et ab hoc exemplo singulari ad ineffabilem Dei gloriam generatim et universæ exprimendam Imago educitur.

ⁱ Vid. *Exodus.* xxxv. 30, —— 35.

נוֹתָה שְׁמִים כִּירְיעָה :

“ Extendens cœlos tanquam Cortinam :

רֵיעָה, ipsum vocabulum quo Tabernaculi Aulæa illa, quibus superne et circumquaque integebatur, semper appellantur. Huc allusum esse viderunt Septuaginta Interpretes, cum reddiderint ὁτες διερῦν : ¹ unde Vulgatus, “ si- “ cut pellem ; ” et alius ex veteribus, δερῦν.

הַמְקָרֶה בְּמִסְתַּבְּלָה :

“ Contignans in aquis sua cænacula :

Exprimit Vates mirabilem aeris naturam, ex variis fluxisque elementis in unam continuam stabilemque seriem apte et ordinate constructam, per metaphoram petitam ex singulari Tabernaculi compage; quod ex pluribus partibus diversis, et ubi opus erat facile separandis, constans, perpetua omnium inter se junctura et contignatione continebatur. Pergit Vates :

הַשְׁם עֲבִיט רְכּוּבוֹ
הַמְהֻלָּךְ עַל כְּנֵפי רֹוח :

“ Faciens nubes currum suum;

“ Incedens super alas venti:

Expresserat prius Imaginem Divinæ Majestatis, qualis in Adyto residebat, per involucrum quoddam splendidissimæ Lucis confacienda: eandem nunc designat ex eo quod exhibebat sui spectaculo, quum una cum Arca se moveret, nubi circumfusæ insidens, et superne per aërem vecta. Illa Divinæ præsentiaæ Sedes etiam ab Historicis Sacris quasi proprio nomine ² הַמְרַכְּבָה hoc est, Currus vocatur.

¹ Confer EXOD. xxvi. 7, &c. apud LXX.

² I. PARALIP. xxviii. 18. Vide etiam ECCLES. xlix. 8.

עשה מלאכיו רוחות

משרתיו אש להט :

“Faciens, ut venti sint Angeli sui,

“Ut ignis ardens sit sibi Ministrorum loco :

Describuntur elementa in exequendis Dei mandatis
prompta et expedita, quasi Angeli, aut Ministri Taber-
naculo deservientes : **משרתין**, vox in Sacro Ministerio
usitatissima.

סדר ארץ על מבוניה

“Fundavit terram super bases suas :

Hoc quoque ex eodem aperte petitum. Addit Vates,

בל תמות עולם ועד :

“Ne dilabatur in ævum et seculum :

hoc est, “per tempus occulto Dei consilio constitutum.”
Ut erat eadem in hac parte utriusque conditio, ita vi-
cissim Sanctuarii stabilitas iisdem pene verbis cum Terræ
firmitate alibi comparatur.

Subtilius hæc forsan minutiusque exposui, Academicici,
quam aut hujus loci consuetudo, aut mei consilii ratio
fert: verum ita faciendum erat, ut quod vellem satis
intelligeretur; utque appareret, vix ac ne vix quidem
fieri posse, ut ulla interpretatio germanos Sacrorum Va-
tum sensus plane repræsentet, tenuemque eam, quæ ple-
rumque obtinet, Imaginum cum Hebræorum rebus con-
nectionem ullo modo exprimat. Pendet hoc ex ipsis vo-
cabulis, et persæpe ex consuetudine quadam ac veluti
familiaritate, quam certæ voces cum certis rebus con-
traxerunt; quamque semper tegit, frequenter discindit

Interpretatio. Hoc itaque non est ab ullius vel accuratissimæ Versionis fide postulandum; multo minus de Poesi Sacrorum Carminum Interpretæ, seu potius Imitatrice, sperandum, quanquam in ea multi non sine laude versati sunt. Ipsi sunt Fontes adeundi, qui proprium etiam ac suum quendam saporem habent, cum nullis inde deductis rivulis communicandū.

PRÆLECTIO NONA;

DE IMAGINIBUS EX HISTORIA SACRA.

CUM quatuor proposita essent Imaginum genera quæ in Poesin Hebræam per Metaphoram inducerentur, postremum jam restat tractandum, earum, quæ ex Rebus Gestis in Sacra Historia insignioribus petuntur. Cujus generis ut aliquantum a superioribus dissimilis est ratio, ita de eo paulum diversa disquisitionis via utendum. Nam quæ de illis hactenus disputata sunt, eo fere spectarunt, ut rerum, consuetudinum, opinionum, sensuumque Hebraicorum ratione habita, ad intimas earum elegantias faciliorem nobis aditum parare possemus; perpensisque adjunctorum omnium momentis, vim cœjusque et pondus rectius æstimare; quas eis nebulas offudit vetustas, quantum licet, dispellere; suamque obscuris lucem, fastiditis gratiam, horridis nitorem, humilibus dignitatem afferere. In his vero, de quibus nunc agimus, nihil fere occurret, quod aliquam habeat obscuritatem aut offendit; nihil quod admodum sollicita explicazione, aut omnino ulla defensione egere videatur; perspicua, clara, atque sublimia imprimis omnia apparet: suo hæc lumine etiamnum illustrat Sacra Historia, neque multo minus clare jam nobis, quam ipsis olim Hebræis, conspicienda exhibet. Hoc quidem interest,

terest, quod Hebræis gentiles fere atque domesticæ erant harum rerum Imagines, adeoque in permovendis atque delectandis eorum animis vim suam eamque longe maximam obtinuerunt; ac permultum sæpe in eo erat momenti, quod locus ipse, quod eadem veluti Scena, quod certa quædam vestigia, atque expressa tot miraculorum signa, iis ante oculos obversabantur: contra vero eadem apud nos, quantumvis celebrata, summoque in honore habita, ipsa tamen locorum temporumque longinquitate multum jam refixerunt.

Harum autem translationum ratio vel maxime digna est observatione, atque est quidem hujusmodi. In describendis ornandisque factis gestisque illustribus, rebusque mirabiliter eventuris, solent Hebræi Vates uti Imaginibus rerum prius gestarum, quæ in suæ gentis Historia præcipuum aliquem locum habent; atque ita coloribus plane alienis, sed aliquantum similibus, præteritis futura, antiquis nova, notissimis minus nota, de pingere atque illuminare. Quod cum sibi proprium habeant Sacra Poemata, neque quantum video cum ulla alia Poesi commune, uberiore paulo exemplorum copia partem hanc illustrandam duxi: igitur communes quidam Sacræ Historiæ loci, præcipui saltem si non omnes, suo ordine recensendi sunt, unde hujusmodi Imagines depromuntur; simulque earum Figurata Potestas notanda, eaque accommodationis ratio et constantia, quæ et in cæteris sæpe jam observata est, et in his clare elucebit.

Primum est in hoc genere Chaos et Creatio, unde ipsa exordium dicit Sacra Historia. Ex his desumptæ Imagines constanter transferuntur ad insignes Rerum-publicarum in utramque partem mutationes, ad ever-

sionem vel instaurationem regnorum atque nationum. Poesi Propheticæ hoc maxime familiare est, ac tum præcipue cum audacissime insurgit. Si regno Judæo inferendum a Chaldaëis excidium præcinit, vel etiam hostibus Israelis internacionem minatur, iisdem plane coloribus omnia depingit, ac si universa natura in pristinum Chaos effet dilapsura. Ita Jeremias in Visione illa sublimi, et sene plusquam Poetica, in qua ei ante oculos obversabatur Judææ impendens desolatio :

ראיתי את הארץ והנה תהו ובהו
ואל השמים ואין אורם :
ראיתי ההרים והנה רעשיהם
וכל הנבעות התקלקלו :
ראיתי והנה אין האדם
וכל עופ השמים נרדדו :
ראיתי והנה הכרמל המדבר
וכל ערו נתצוו
מן יביה מפני חרוץ אפו :

“ Aspexi terram, ecce autem vacua est et informis ;
“ Et ad cœlos, nec lucent amplius !

“ Aspexi montes, ecce autem intremiscunt,
“ Omnesque colles inter se raptim concutiuntur !

“ Aspexi, et ecce nullus est homo,

“ Volucresque coeli omnes evanuerunt !

“ Aspexi, et ecce Carmelum desertum,

“ Et omnes ejus urbes dirutas !

“ A vultu Jehovæ, ab æstu iræ ejus flagrantis.

Et in simili argumento mirifice Isaias :²

¹ JER. IV. 23, —— 26.

² ISAI. XXXIV. 11.

ונטה עליה קו תהו ואבני בהו :

“ Et extendet super eam lineam Vastitatis et perpendiculum Confusionis.

Uterque non modo in animo habuit Chaos Mosaicum, sed ipsa etiam divini Historici verba expressit. Eadem hæc multis aliis insuper adjunctis Prophetæ augent cumulantque : ¹

שמש וירח קדרו
ונכבים אספו ננהם :

ויהוה מציון ישאנ
ומירושלם יתנו קולו
ורעשו שמיים וארץ :

“ Nigrescent Sol et Luna;
“ Retrahentque splendorem suum Stellæ :
“ Et ex Siohe rugiet Jehova,
“ Et ex Hierosolymis edet vocem ;
“ Et commovebuntur cœli et tellus.

ונמכו כל צבא השמים ²
ונגלי כספר השמים
וככל צבאם יוביל
כנבל עליה מגפן
ונכבלות מתאנרה :

“ Et contabescet omnis cœlorum exercitus ;
“ Cœli etiam ipsi instar schedulæ convolventur ;
“ Et omnis eorum exercitus decidet,
“ Sicut cassia de vite folia,
“ Utque marcida ex arbore sua ficus.

¹ JOEL. III. 15, 16.

² ISAI. XXXIV. 4.

Contra autem cum prædicitur rerum Israeliticarum in-stauratio :

וְאַנְכִּי יְהוָה אֱלֹהֵיךְ
רָגַע הַיּוֹם וַיַּהֲמֹר גָּלִיל
יְהוָה צְבָאוֹת שְׁמוֹ :
וְאַשְׁרַת דְּבָרִי בְּפִיר
וּבְצָל יְדִי כְּסִיתִיר :
לְנֶטֶע שְׂמִיט וּלְיסַד אַרְץ
וְלֹא מֵר לְצִוָּן עַמִּי אַתָּה :

“ At Ego Jehova sum Deus tuus,
“ Qui subito tranquillat mare, cum fremunt fluctus
“ ejus;
“ Nomen Illi Jehova Exercituum :
“ Indidi verba mea ori tuo,
“ Et sub umbra manus meæ te protexi :
“ Ut plantem cœlos, ut fundem terram,
“ Utque dicam Sioni, Meus Tu es populus.

I ISAI. LI. 15, 16. רָגַע, *subito tranquillans* : vulgo redditur, *fin-dens, dividens, disrumpens*; cum in hoc loco, tum in parallelis, JER. XXXI. 35. JOB. XXVI. 12. Sed hanc vocem nihil eiusmodi unquam significare arbitror. Notat momentaneum quiddam; et cessationem etiam motus, sive quietem *subitam*; ut cum volucris super arbore *sedit*. Vide ISAI. XXXIV. 14. Et recte LXX. loco JOB. citato redidérunt, καππασσος. Consule CONCORDIAS.

“ De hoc sensu vocis רָגַע si quæ superesset dubitatio, confirmari posset ex usu lingue Arabicæ; in qua idem verbum significat, “ aliquid in statum priorem vel meliorem reducere. Unde deducuntur voces sequentes: רָגַע stagnum, quasi fluxus aquæ repulsus; רָגַע confitens et restagnans aquæ fluxus; וְרָגַעַן aquæ restagnantes, inibi-bitæ, repulsa.” H.

כִּי נָחַם יְהוָה צִיּוֹן
נָחַם כָּל חֶרְבְּתִיחָה:
וַיָּשֵׂם מְדֻבָּרָה בְּעֵדָן
וְעֶרְבָּתָה כְּגַן יְהוָה:
שְׁשָׁוֹן וִשְׁמָחָה יִמְצָא בָּהּ
תָּוֹדָה וּקְוָל זָמָרָה:

“Nam solatur Jehova Sionem,
“Solatur omnes ejus vastitates :
“Et reddet deserta ejus Edeni similia,
“Et solitudinem ejus ut Paradisum Jehovah :
“Reperietur in ea lætitia et gaudium ;
Gratiarum actio, et cantionum sonitus.

Priori ex duobus hisce modo memoratis vicina ac finitima est Imago Diluvii; atque in iisdem rebus exprimendis fere locum habet. Itaque ut saepe describitur Terræ Sanctæ vastatio, quasi instauraretur pristinum Chaos, ita nonnunquam idem eventus exponitur petitis ex universali illo Diluvio Metaphoris :

¹ ISAI. LI. 3. De phrasι plantare cœlos consule VITRING. in loc.

² ISAI. XXIV. 1, 18, 19, 20. “בָּולְקָה, ερημαστει αυτην, LXX.
“et in eundem sensum Commentatores Judæi: inter quos R. D.
“kimchi, ad Arabicam linguam configiens, ait vocem
“in ea lingua significare, מוקט שאין בו צמח, locum in quo ne ger-
“men quidem reperitur.” H.

“Vox proprio significat hospitium de nocte in noctem alio
“translatum; adeoque apte exprimit statum telluris vacillantem at-
“que instabilem. LXX. οπωροφυλακιον TARG. et SYR. לְזַלְלָה עַר,
“unius noctis; cubile vagum. vid. BUXTORF. Lex. Chald. col. 1670.
“Atque eodem etiam modo kimchi vocem explicat.” H.

הנה יהוה בוקק הארץ ובולקה
 ועה פניה והפיץ ישביה :
 כי ארבות ממרום נפתחו
 ויריעשו מוסדי ארץ :
 רעה התרעה הארץ
 פור התפורה ארץ :
 מוט התמוטטה ארץ :
 נוע תנוע ארץ כשבור
 והתנורדה כמלונה :

“Ecte Jehova evacuat terram, eamque vastat ;
 “Et invertit faciem ejus, et dispergit incolas. —
 “Nam aperiuntur ex alto Cataraætæ,
 “Et fundamenta terræ concutiuntur.
 “Confringendo confringit se tellus ;
 “Disrumpendo disrumpit se tellus ;
 “Commovendo penitus commovetur tellus :
 “Nutando nutat tellus, sicut ebrius ;
 “Et e loco suo vacillat, ut tugurium unius noctis.

Grandia sunt hæc, et quibus mens humana vix concipere potest majora : nihil tamen est in hoc genere sublimius, quam quod ex Sodomorum excidio, qui locus est proximus, desumitur, et ad exprimendas pœnas impiis divinitus irrogatas transfertur. ¹.

I P.S. XI. 6. פְּחִימָת, *prunas ardentes, αὐθεγνος*, uti reddit V.E.T.
 IN T E R P. apud C H R Y S O S T. in loc. Intelligi videntur Globi ignis, vel quas Bolidas vocat Plinius H. N. II. 26. vel simpliciter Fulmina : confer P.S. XVIII. 13, 14. JOSEPHUS, de excidio Sodomorum, ὁ θεος ενσκηπίει βελος εις τὸν πόλιν. *Antiq.* I. III. PHILO de eodem : κεραυνοις ῥευμασι εξ αρχαν. *De Vit. Mof.* I. II. Hoc certe multo melius congruit cum sequentibus quam *laquei* : et constat Analogia.

ימטר על רשעים פחים
אש וגפרית ורוח ולעפות מנה כוסם :

“ Depluet super impios prunas ardentes ;
“ Ignem et sulphur, et ventum turbinum : hoc iis
“ poculum exhauriendum est.

כ יום נקם ליהוה
שנת שלומים לריב ציון :
ונהפכו נחלה לופת
ועפירה לגפרית
והיתה ארץ לזפת בערה :

Analogia. Radix enim, quanquam interdum significat *illa-queare*, saepius tamen notat *sufflare*, *exsufflare*, ignem nimirum. EZEK. xxii. 31. “ באש עברתי אפה עלייך ” In igne iracundiae meæ super “ te insufflabo.” De Ammonitis loquitur quasi in fornacem iræ Divinæ injectis: confer Cap. xxii. 21. ubi eadem ipsæ occurunt voces, nisi quod usurpatur verbum cognatum et in hoc sensu synonymum; unde פח, מפח, *Follis fabrilis* : JER. vi. 29. In eodem sensu occurrit Verbum פוח, PROV. xxix. 8. אנשי לzion יפיחו קרייה, “ Derisores inflammabunt urbem :” ita LXX. SYMMACHUS, SYRUS; et recte, ut liquet ex membro Antitheto: “ Sed sapientes avertent iram.” Ex hac notione radicis פוח recte deducitur פח, *Pruna exsufflata* : et פח (EXOD. ix. 8.) Favilla, quæ flatu in ignem excitari possit.

I ISAI. XXXIV. 8, 9, 10.

“ Verus haud dubie vocis פח ה- hoc in loco sensus, *prunæ ar-*
“ *dentes*; qui, si opus esset, confirmari posset ex usu verbi Arabici
“ פח, *bullivit olla*: unde פוח, *vehementia caloris, æstus*. Nec ta-
“ men negandum, quin interdum Fulmina Orientales appellarent
“ laqueos, aut catenas. Vox Arabica (plur. סלאסל) secun-
“ dum GOLIUM non modo catenam significat, sed et traclum fulmi-
“ nis per nubes diffusum; ita dictum, arbitror, a continuis coruscatio-
“ nibus, quæ quibusdam quasi vinculis necti inter se et contineri
“ videntur.” H.

לילה

לִילָה וַיּוֹמָם לֹא חֲכַבָּה :
 לְעוֹלָם יַעֲלֵה עֲשֶׂנָה :
 מַדּוֹר לְרוֹר תְּחֻרְבָּה
 לְנַצְחָה נְצָחִים אֵין עֲבָר בָּה :

“ Nam agitur dies ultionis Jehovæ ;
 “ Annus pœnarum sumendarum Sionis Vindici :
 “ Et verteñtur torrentes ejus in picem ,
 “ Et pulvis ejus in sulphur ;
 “ Et terra ejus in ardente picem redigetur :
 “ Noctes diesque inextincta ardebit ;
 “ Fumus ejus in æternum ascendet :
 “ In perpetuas ætates jacebit deserta ;
 “ Per infinita sæcula nemo eam peragrabit .

Exitus Israelitarum ex Ægypto, ut multis magnificisque descriptionibus præbet materiam, ita in plures eventus, quorum haud dissimilis est ratio, per translationem solet accommodari. Num promittit Deus populo suo auxilium, libertatem, salutem, gratiam ? ulterius offert Vatis animo אַלְפָסָה, divisum mare, submersi hostes, deserta tuto peragrata, fontesque ex rupibus erumpentes, ¹

כְּה אָמַר יְהֹוָה
 הַנּוֹתֵן בַּיָּם דָּרָךְ
 וּבַמִּם עַזְיִם נָתֵבָה :
 הַמּוֹצִיא רַכֵּב וּסְסָום חִיל וּעֹוז
 יְהִדוֹ יַשְׁכְּבּוּ בְּלֵי קָוָמוּ
 רַעֲכּוּ כְּפִשְׁתָה בְּבוּ :

אֵל תָּכִרְוּ רַאשְׁנוֹת
וּקְרָמִינּוֹת אֵל תַּחֲבִנְנוּ :
הָנַּי עָשָׂה חֶדֶשָׁה
עַתָּה תָּצַמֵּת הַלּוֹא תְּרוּוֹה :
אֲפָאֵשִׁים בָּמְרָבֵר דָּרָךְ
בִּישִׁימּוֹן נְהֻרוֹת :

“ Ita edicit Jehova ;
“ Qui præbet per æquor viam,
“ Et per aquas validas semitam :
“ Qui educit currum et equum, exercitum et
robur ;
“ Simul jacebunt, nunquam confurgent,
“ Oppressi sunt, ut stupa extincti :
“ Ne recolite priora,
“ Et antiqua ne considerate :
“ Ecce ego novum quiddam sum facturus ;
“ Jamjam orietur ; nonne illud cognoscetis ?
“ Præstabò etiam in solitudine viam ;
“ In deserto flumina.

Ecce vobis alterum ejusdem Poetæ Divini Vaticinium, de liberatione a captivitate item Babylonica sensu primo, etsi non præcipuo, accipiendum ; cuius in exordio eadem illa apertius inducuntur, sed insigni Prosopopœia, quaque nihil potest esse sublimius :

עוֹרֵי עֹרֵי לְבָשֵׁי עַז זְרוּעַ יְהוָה :
עוֹרֵי כִּימֵי קְרָם דָּרוֹת עוֹלָמִים :
הַלּוֹא אֵת הִיא הַמְחַצֵּבָת רַחֲבָ מַחְלָת חַנִּין
הַלּוֹא אֵת הִיא הַמְחַרְבָּת יִסְמֵי תְּהֻום רַבָּה
הַשְּׁמָה מַעֲמָקִי יִסְמֵךְ לְעַבְרַ גָּאוֹלִים :

- “ Expergiscere, expergiscere, inde robur, O la-
“ certe Jehovæ !
- “ Expergiscere, ut priscis diebus, æstatibus anti-
“ quis !
- “ Annon Tu Ille es, qui excidisti Superbum, vul-
“ nerâsti Crocodilum ?
- “ Annon Tu Ille es, qui exficcâsti pelagus, aquas
Abyssi magnæ ?
- “ Qui maris profunda reddidisti pervia, ut redempti
“ transirent ?

Ejusdem est cum superioribus generis, is quem ex his locis communibus postremum afferam, Dei in Montem Sinam Descensus. Ubi describitur Adventus Dei ad exercendum judicium, ad liberandos pios, ad excidendos hostes, vel Potentia Divina quocunque modo se exhibens ; ex augusto illo horribilique Sinæ apparatus Scena instruitur. His nihil frequentius, nihil grandius ; unum modo alterumque exemplum vobis proponam : ²

כִּי הָנָה יְהוָה יֵצֶא מִמְקֹמוֹ
וַיַּרְדֵּן וְדַרְךָ עַל כְּמֹותֵי אָרֶץ :
וַיַּנְפֹּטוּ הַהֲרִים תְּחִתֵּיו
וְהַעֲמִיקִים יִתְבֻּקְעוּ :
כְּדוּנָג מִפְנֵי אֵשׁ
כְּמִים מִגְּרִים בָּמוֹרָד :

- “ Ecce autem Jehova e loco suo prodit ;
“ Et descendit, et super terræ fastigia graditur.
“ Et subter illum liquefcunt montes,

¹ Vide EXOD. XIX. 16, 18. DEUT. IV. 11, 12.

² MICAH. I. 3, 4.

“ Et

“ Et valles se discindunt :

“ Instar ceræ ante ignem,

“ Instar aquarum per declive præcipitantium.

ותגעש ותרעש הארץ

ומוסדי הרים ירנו

ויתגעשו כי חרה לו :

עליה עשן באפו

ואש מפיו תאכל

נהלים בערו ממנו :

ויט שמים ירד

וערפל תחת רגליו :

וירכב על כרוב ויעוף

וידא על כנפי רוח :

ישת חשך סתרו

סביבותיו סכתו

חישכת מים עבי שחקים :

מנגה נגדו עביו עברו ²

ברד ונחלי אש :

וירעם בשמיים יהוה

ועליוון יתן קולו

ברד ונחלי אש :

וישלח חציו ויפיצם

וברכיהם רב ויחמס :

¹ P.S. XVIII. 8, ——— 15.

² Versiculi 13, et 14, corrigendi videntur e loco parallelo
II. SAM. XXII. 13, 14. Vide KENNICOTT. Dissert. I. De Textu
Hebreo, p. 464.

“ Tum concussa est et intremuit tellus ;
 “ Et fundamenta montium commoventur,
 “ Vehementer conquassantur ; nam ira illius ex-
 “ æstuat.
 “ Ascendit fumus in ejus nares ;
 “ It e faucibus ejus ignis edax ;
 “ Exeunt ab eo ardentes prunæ.
 “ Inclinat cœlos, et descendit ;
 “ Sub pedibus ejus caligo densa :
 “ Et inequitat Cherubo, et volat ;
 “ Et fertur super alis venti.
 “ Facit tenebras penetrale suum,
 “ Tabernaculum sibi circum undique ;
 “ Tenebras aquarum, densa nubium.
 “ A fulgore præsentiaæ ejus nubes diffugiunt ;
 “ Emicat grando prunæque candentes.
 “ Tum intonat e cœlo Jehova,
 “ Et Altissimus edit vocem suam,
 “ Cum grandine prunisque cudentibus :
 “ Et telis suis hostes dissipat,
 “ Et crebris fulguribus attonitos agit.

Hæc quanquam et soluta oratione et totidem fere
 verbis expressa reddidi, satis tamen vel inde apparere
 opinor Imaginum ipsarum vim, magnitudinem, et sub-
 limitatem : quæ in his etiam, in quibus ad aliena ac-
 commodantur, grandius quiddam habent, quam cum
 proprie suoque in loco, quantumvis magnifice, descri-
 buntur : nam ad ipsam Idearum magnificentiam acce-
 dit etiam in diversis rebus alicujus inter se similitudinis
 contemplatio, quæ delectationem parit, et habet admi-
 rationem.

Observandum autem est, cum ex his Imaginibus quædam eam inter se habeant similitudinem, ut ad rem unam eandemque apte accommodari possint, sæpe fieri, ut earum plures ad augendam eventus alicujus magnitudinem in unum conferantur, interque se misceantur. Cujus rei exemplum est in Ode illa Davidis *עֲצָמֵתְךָ יְהוָה* ob devictos hostes, proxime citata.¹ Nam cum describeretur Dei Vindicis Ira et Majestas sub Imaginibus ex Monte Sina petitis, uti audistis modo; jam in proximis sequentibus Imago sumitur a Divisione Maris Rubri et fluvii Jordanis:²

וַיַּרְא אֶפְיקִי מִים
וַיַּגְלוּ מִסְרָרוֹת תְּבָל
מְגֻרְתָּךְ יְהוָה
מְנֻשָּׂמָת רֹוח אֶפְקָד:

“ Tum apparebant alvei aquarum;
“ Retegebantur orbis fundamenta:
“ Ab increpatione tua, O Jehova;
“ Ab halitu spiritus iræ tuæ.

Liquet vero ad Poesin Propheticam præcipue comparatum esse hoc translationis genus, cum ex jam allatis exemplis, tum ex perspecta rei ipsius ratione. Etenim Vaticinia semper comitatur aliqua obscuritas; non quidem ea quæ dictionem conturbatam reddat, et stylo caliginem offundat; sed quæ in eo maxime posita est, quod consulto premitur aliqua futuri pars, et tantum ostenditur modo, quantum recludi fas est. Igitur ut cunque clare nonnunquam ipse Eventus signatur, mo-

¹ Vide etiam ISA. xxxiv, per totum; et quæ de eo loco infra dicentur, PRÆL. xx.

² PS. xviii. 16.

dus tamen atque adjuncta quibusdam involucris fere integuntur: cui rei egregie inserviunt Communes hujusmodi Imagines; quibus acerrime in animo imprimi et signari possunt ea quæ amplificari oportet, universæ nimirum rei vis, splendor, magnitudo, atrocitas; simulque celari ea quæ celanda sunt, ordo, modus, circumstantiæ, singulæ denique ac minutiores eventus partes. Nec minus inde apparet, hoc genus Poesi Profanæ haud facile competere; cujus nimirum nec Historia neque etiam Fabulæ ullam satis dignam hujusmodi Imaginum copiam præbent, neque tractationem et usum materiæ ratio multum postulat.

Est quidem isthæc translationis species Propheticæ rationi adeo, ut dixi, accommodata, ut Poësin exteram, cum hac in parte versetur, non omnino fugerit. Nam in edendis Vaticiniis Virgilium semel iterumque in hunc morem incidisse comperimus:

“ Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
 “ Defuerint: alius Latio jam partus Achilles,
 “ Natus et ipse Dea.
 “ Alter erit tum Tithys, et altera quæ vehat Argo
 “ Delectos Heroas: erunt etiam altera bella,
 “ Atque iterum ad Trojam magnus mittetur A-
 “ chilles:

nisi hunc locum ex Anni Magni completione, et doctrina *et non auctoritate*, proprie interpretemur. Hoc tamen interest, quod apud Vates exteris exemplum aliquando aliquod inveniamus, quod ad hoc genus referri possit, translationis a re aliqua aut persona ad aliam aliquam rem aut personam singularem factæ: non ut exinde ge-

neralis quædam et communis Imago conficiatur, quæ ad cætera omnia ejusdem generis, sive etiam ad notionem universalem et infinitam designandam, quasi lege quadam constanter et perpetuo traduci soleat.

Hæc autem omnia habui pro Metaphoris, cum ad Allegoriam verius pleraque referri possent: verum nihil interest ad id quod volui explicandum. Multa certe eorum quæ hic protuli ad sublimiorem eam Sacræ Allegoriæ speciem pertinent, quæ in vera etiam minimeque adumbrata materia longe ultra proximam primoque occurrentem fententiam prospicit, et vulgaris argumenti veluti cortice interiore et diviniorem sensum includit. Verum de ea mox erit dicendum; nam Sacræ Poeseos Allegoriam tractaturus, necesse habeo eam partem quantumvis difficilem et obscuram attingere, in qua maxime posita est multorum ex Carminibus Sacris sublimitas.

P R A E L E C T I O D E C I M A :

D E A L L E G O R I A.

ALTERA pars τοῦ ἀλληγορίας, sive Dictionis Figuratae, est Allegoria, aliud verbis, aliud sensu ostendens: cuius in Sacra Poesi notare possumus Tres Formas. Prima est ea, quæ a Rhetoribus vulgo tractatur, Continuatio Metaphoræ. "Cum fluxerunt, inquit Cicero,¹ plures continuæ translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν; nomine recte, genere melius ille, "(Aristotelem dicit) qui ista omnia Translationes vocat." Vix igitur operæ pretium duco huic Allegoriæ speciei multum immorari, cum neque superius a simplici Metaphora omnino sejunxerim; quæ enim protuli Metaphorarum exempla pleraque fortasse ex hoc sunt genere: una utriusque est ratio, neque sane facile esset suis utramque limitibus circumscribere, et ubi hæc definit, illa incipit, definire.

Non autem alienum erit ab hoc loco paucis notare peculiarem usum cognatarum Figurarum Metaphoræ, Allegoriæ, et Comparationis, in quo sibi indulgent Vates Hebræi, ac præcipue in Poesi Prophetica. Cum enim, quamcunque materiem adornandam suscipiant, eam summa imaginum copia et varietate illustrent, tum

¹ Orator.

porro

porro ipsas imagines non una ratione formaque inter se temperant et conciliant. Simplici Translatione raro contenti, saepe in Allegoriam excurrunt, saepe apertam Comparisonem immiscent: Similitudinem nonnunquam subsequitur Allegoria, nonnunquam prævenit: huc accedit crebra Imaginum, nec minus temporum et personarum, mutatio; perque omnia in verbis sensibusque sua quædam vis atque audacia, nullis mancipata legibus, liberumque Hebrææ Poeseos genium unice spirans.

נור אריה יהודה :

“Juda est Catulus Leonis:

Metaphora hæc protinus in Allegoriam educitur, cum personæ mutatione:

מטרף בני עליות :

“Ex præda, mi Fili, ascendisti;

(in montana nimirum lustra:) in proximis persona iterum mutatur, gradatim augetur Imago, et Comparisoni repetitæ immiscetur Translatio:

כרע רבען כאריה

וכלביא מי קימנו :

“Incurvat se, recumbit, ut Leo;

“Et ut Leæna; quis eum excitabit?

Similis ferme est ratio insignis Vaticinii, quo Evangelii recens editi copiosissima veluti fœtura luculenter prædicitur; ubi aliquam fane obscuritatem fecit Metaphora Comparisoni admista, et vocis repetendæ Ellipsis:²

1 GEN. XLIX. 9.

2 PS. CX. 3.

מְרֹחֶם מִשָּׁהָר לְךָ תַּל יְלֻדָּתְךָ :

“Præ utero Auroræ tibi ros prolis tuæ:

hoc est, “Præ rore, qui ex utero Auroræ prodit, ros
tibi erit prolis tuæ; copiosior nimirum et numero-
fior;”¹ Quo in loco quæ interpretationum portenta
peperit Hebræi Idiomatis ignoratio!

¹ Hunc esse istius loci sensum nonnulli ex recentioribus Interpretibus tandem viderunt; nemo autem, quod sciam, rationem Constructionis plane explicatam haec tenus dedit. Conabor itaque efficere, ne de loci gravissimi, atque, ut mihi videtur, clarissimi certissima interpretatione posthac dubitetur. Præcipua difficultas versatur in voce מְרֹחֶם, ex ambiguitate Particulæ מִשָּׁהָר et Ellipsi vocis לְךָ: quam penitus exemptum iri existimo, si expensa fuerint quæ sequuntur exempla, quorum plane eadem est forma et ratio.

P.S. IV, 8.

נתהה שמחה בלב;

מעת רגנס ותירושם רבו;

“Excitasti gaudium in corde meo,

“Præ tempore quo frumentum et mustum eorum aucta sunt:
hoc est, “Præ gaudio ejus temporis.” ISAI. X. 10.

ופסיליהם מירושלם ומישמרון;

“Quamvis simulachra eorum præ Hierosolymis et Samaria:
hoc est, “Præstent simulachris Hierosolymorum et Samariæ.” JOV.
xxxv. 2. צַדְקֵי מַלְךָ, “Justitia mea præ Deo:” id est, “Justitia
mea major est quam justitia Dei:” (Confer xxxii. 2. et xl. 8.) Similiter
מְרֹחֶם “præ utero,” idem est ac מַטֵּל “præ rore
uteri.” Nec desunt apud Græcos ejusmodi Ellipsoes exempla:
Μηδὲ Ολυμπίας αἰγαῖοι Φερετέρον αὐδίσσομεν. “Neque quam quod est Olym-
piæ certamen Præstantius dicemus:” μηδὲ τε Ολυμπιακούς αἰγαίος
ἐτερον βελποντες. PINDAR. Ολυμπ. A. V. II. et Schol. Edit. Oxon.

Ως ἡ Λακαινὴ τῶν Φρυγῶν μετων τολει;

“Num quod urbs Lacæna Phrygum urbe sit minor?”

EURIPID. Androm. v. 193.

Verum est quidem hujusce Allegoriæ forma quædam magis perfecta et legitima, quam idcirco prætermittere non licet; cum Metaphora continuatur longius, cum universum argumentum totumque orationis ambitum occupat. Eximum in hoc genere exemplum præbet notissima illa Salomonis Allegoria,¹ qua Senectutis effigiem mirifice adumbravit. Exprimuntur ingravescentis ætatis incommoda, animi debilitatio, sensuum torpor, corporis imbecillitas, imaginibus variis a natura et vita communi petitis, docte sane et eleganter, sed valde obscure: hoc enim ænigmate, pro more Sapientium Orientalium, lectorum suorum acumen explorare voluit Salomo. Itaque plurimum exercuit doctorum ingenia; quorum multi varie quidem, sed erudite et acute, locum explicaverunt.

Est autem apud Isaiam, cum Imaginibus vix minus elegans, tum forma etiam et tractandi ratione, ut simplicior et constantior, ita justior et absolutior Allegoria:² eam idcirco yobis integrum exhibebo. Divinorum

Roris autem Imago significat fœcunditatem, multitudinem, copiam fœcundantem; (confer II. SAM. XVII. 11, 12. MICH. V. 7.) “numerosa tibi nasceretur soboles, et numerosam tibi sobolem porro propagabit.” לִזְוָתֶךָ, “Juventus tua:” id est, juvenes tui; Abstractum pro Concreto; ut שִׁבְתָּה canities, pro homine cano, LEV. XIX. 32. שַׁבָּע captivitas, pro captivo, ISA I. XLIX. 24. Atque ita accepit Chaldæus Interpres, תְּבֻנָּה לְרוֹחָצֵן תּוֹלְדָתֶךָ, “Sedebunt confidenter profapiæ tuæ”

I ECCLES. XII. 2, — 6. De hoc loco consule præ cæteris omnibus eruditum Commentarium Doctissimi Medici JOHANNIS SMITH, superiore sæculo editum. Vide etiam quæ de eodem ingeniose nuper tentavit Vir Clarissimus RICARDUS MEAD, Medicorum hujus sæculi Princeps, in opere cui Titulus *Medica Sacra*.

² ISA I. XXVIII. 23, — 29.

judici-

judiciorum consilia et modos edocet Prophetæ : Deum in castigandis improbis diversimode, sed summa cum sapientia, agere ; “ judicium, uti prius dixerat, exigere “ ad amissim, et justitiam ad perpendiculum ;” temporum, hominum, rerum discrimina, omnia severitatis et lenitatis momenta, exquisitissime expendere. Hæc involvit Allegoria continua, exemplo ducto ab Agricultura et Tritura ; cujus Imaginis ad hoc argumentum illustrandum veluti consecratae usum et rationem ante explicavi, ut isthæc jam ulterius exponere nihil neceſſe sit.

האזינו ושמעו קול
הקשיבו ושמעו אמרתי :
הכל היום יחרש החרש לזרע
יפתח וישדר אדמתו :
הלא אם שוה פניה
והפיז קצח וכמן יורך
ושם חטה שורה
ושערה נסמן וכסמת גבלתו
ויסרו למשפט אלהיו יורנו :
כיא לא בחרזין יודש קצח
ואופן עגלה על כמן יוסב
כיא במטה יחבט קצח
וכמן בשבט לחם יורך ;²

¹ Ibid. 17.

² [לחם יורך] Hæc cum præcedentibus conjunxi, sublata distinctione Masoretica; in quo sequor LXX. (quanquam illi quidem a sensu longe abierunt,) et SYMMACHUM: suspicor etiam excidisse ante לוחם. Rationes meas satis explicabit Versio. לחם au- tem pro Frumento sumi videtur P.S. CIV. 14. et ECCLES. XI. 1.

כִּי לֹא לְנֶצֶח אֲדָש יְדוֹשָׁנוּ
וְהַמֶּט גָּלְגָּל עַגְלָתָו
וְפְרִישׁוּ לֹא יַדְקָנוּ:
גַּם זוֹאת מֵעַם יְהוָה צְבָאות יְצָאָה
הַפְּלָא עַזָּה הַגְּדִיל תּוֹשִׁיחָה:

“Aures advertite, atque audite vocem meam;
“Attendite et auscultate sermoni meo:
“Num omni tempore arat arator ad serendum:
“Proscindit et offringit terram suam?
“Nonne cum complanavit ejus superficiem,
“Tum spargit nigellam, aut disjicit cuminum,
“Et mandat far certa mensura,
“Et hordeo signatum est et zeæ spatium suum?

שלוח להנץך על פניהם “Mitte panem tuum,” i. e. fac semen-
tem Tritici tui, “super facies aquarum :” hoc est, fac fermentem,
ubi nulla spes messis: benefac etiam iis, in quos collatum benefi-
cium peritrum putes. Largæ et gratuitæ liberalitatis præceptum:
et promissio præcepto addita; “nam post multos dies id invenies :”
tandem aliquando, si non in hoc, in altero certe sæculo mercedem
feres. Hanc hujus loci explicationem mihi commendavit Vir Doc-
tissimus GEORGIUS JUBB, s. t. p. idem qui supra pag. 75. lau-
datus; quam eleganter illustrat ex Theognide et Phocylide, apud
quos indignis et ingratis benefacere, idem est ac pontum ferere:

Δειλας δὲ εν ἐρδυντι μεταποτητι χωρις εστιν,
Ισον καὶ απειρον τωντον ἀλος πολεις.
Ουτε γαρ απ τωντον απειρων βαχυ ληιον αφεως,
Ουτε κυκλους εν δραν εν παλιν αυτιλασσοις.

T H E O G. Γνωμ. V. 105.

Μη κυκλους εν ἐρεχθιος· απειρον τωντον εστιν τωντων.

P H O C Y L. V. 142.

Hi quidem invertunt præceptum Salomonis; nec injuria:
“Ita homines dicas; hoc posuisse Deum.”

“Nam

“Nam perfecte eum instituit, Deus ejus ipsum
 “erudit.
 “Neque vero tribulo trituratur nigella,
 “Nec rota plostelli super cuminum circumagit;
 “Sed virga excutitur nigella,
 “Et cuminum baculo; far autem tritura exteritur.
 “Nec tamen hoc perpetuo perget triturare;
 “Aut agitabit rota plostelli sui;
 “Neque unguis suis semper exteret.
 “Etiam hoc a Jehova provenit:
 “Mirabilem se præstat consilio, magnificum ef-
 “fectu.

Alterum genus est Allegoriæ, quod Parabolam proprie et restrictiore sensu appellare possumus: Similitudinem nimirum, qua continetur narratio rei fictæ, cuius ad aliquam veritatem accommodatio vel apponitur, vel saltem innuitur. Hoc genus *αύρις* vel *ἀπολογεῖται* vocabant Græci; Latini Fabulas: in quo genere plurimum celebrantur Phrygii illius sapientis scripta, sive quæ in illius imitationem alii literis mandaverunt. Neque hunc docendi morem usurpare dedignatus est Salvator noster; dubium, sapientia et gravitate, an suavitate, elegantia, et *εὐαργυρεῖται* majore. Cujus cum in hoc genere sermones nuncupantur Parabolæ, ex latiore significatione in hunc sensum plerumque reductum est vocabulum. Hanc in Poesi præcipue Prophetica multum frequentant Vates Saæri, ac præ cæteris omnibus Ezekiel. Quo de genere ut certius tutiusque judicare possimus, exponendæ sunt Parabolæ Poeticæ primariæ aliquæ proprietates; sic enim facilius de singulis statuemus, si prius viderimus quæ esse debeant omnibus communia.

Ea erit Parabolæ prima commendatio, si fiat ex Imagine nota aptaque, cujusque aperta atque usu definita est significatio: hoc enim prope necessario consequetur Perspicuitas, virtus in omni Allegoria præcipua. Quod si ad hanc normam Sacrorum Vatum Parabolas exigimus, vix quidquam advertemus, quod in hac parte requiri possit. Ejusmodi enim Imaginibus plerumque utuntur, quarum in sua Poesi per Metaphoram ac Comparisonem frequens est usus et similis accommodatio. Quid potest esse in hoc genere accuratius quam Vineam mendax, quam Vitis² inutilis ignique tradita, per quam plus semel adumbratur ingratus Dei Populus? Quid Leænæ Catuli in foveam incidentes, quibus quam apposite designantur captivi Judææ Principes? Quid Cedrus illa Libani pulchra, procera, florentissima, nubibus inferens cacumen, sed excisa tandem et derelicta; Regis Affyri gloriam et occasum quasi tabula depictum exhibens? Unum præterea adjiciam exemplum, (vix autem ulla est quæ non merito hic adduci posset) ejus nimirum, qua Dei in populum suum amor, atque humus contra in Deum pietas, petitis ex sancto Conjugii foedere coloribus exprimitur. Quam Imaginem binis

¹ I S A I. V. 1, —— 7.

² E Z E K. XV. et XIX. 10, —— 14.

³ E Z E K. XIX. 1, —— 9.

4 E Z E K. XXXI. In vulgatam hujus loci explicationem me recipio, Meibomianam deferens; quam ab eruditis sentio improbari: et habet fane aliquas difficultates, quas penitus tollere non est in promptu. Cæterum commate 10^{mo}. ^{נְבָנָה} legendum videtur ^{נְבָנָה}, cum SYR. et VULG. quam lectionem adscivit Cl. H O U B I G A N T I U S. Nota etiam, LXX. recte reddidisse בַּיִן עֲכַתְּנָה, per εις μεσαν των γεφελων.

Parabolis multa cum libertate prosecutus est ¹ Ezekiel, neque fere quisquam est ex Vatibus Sacris, qui non eandem sæpius attigerit: adeo ut nullius sit notior vel usu magis recepta significatio, neque cuiquam mirum videri debeat Salomonem in elegantissimo suo Canticō Argumentum longe sanctissimum iis potissimum lineamentis designasse, atque iisdem coloribus pinxit.

Nec vero satis est notam aptamque esse Imaginem; elegans etiam, et in se venusta sit, oportet; cum sit Parabolæ Poeticæ finis, non modo rem aliquam propositam efficacius explicare, sed et ornatiorem interdum et splendidiorem efficere. Quæ a rebus Naturalibus ducuntur Imagines cæteris omnibus in hoc genere præstant; suam enim venustatem habebit omnis fere accurate expressa Naturæ effigies. In his itaque ut maxime versantur Sacrorum Vatum Parabolæ, ita eas plerumque commendat materiæ elegantia. Si quæ sunt diversi generis, quæque minus forsan honestæ et decoræ haberi poterint, videndum, annon ejusmodi sint, quarum jam apud nos periit ea dignitas et gratia, qua apud suos minime caruisse censendæ sunt. Igitur si cui minus placebit apud Ezechiem Aheni ² ferventis suamque in se spumam versantis species, meminerit Vatem Sacerdotem hoc ex suis sacris duxisse, minime veritum, ne id deforme aut humile unquam haberi posset, quod cum facrosancto Templi ministerio esset conjunctum.

Pertinet etiam vel plurimum ad elegantiam Parabolæ non modo ut apta et venusta sit ipsa quæ adhibetur Imago, sed ut omnes ejus partes quoque et adjuncta perspicua sint et proposito conducant. Minime quidem

¹ EZEK. XVI. ET XXIII.

² CAP. XXIV. 3, &c.

est necessarium, ut in omni Parabola per omnia accurate constet similitudinis ratio; hoc interdum concinnitatis cuiusdam nimis minutæ potius esset: verum cum pleniorem expositionem rei propositæ natura patitur vel etiam postulat, cumque per omnia adjuncta recte procedit, ultiro occurrens, non ex abdito eruta, similitudo; quin exinde præcipua oriatur venustra, dubitari non potest. Cujus generis perfecta exempla non desiderabit, qui Parabolas supra laudatas attente perpenderit: quo etiam nomine imprimis laudanda est notissima Nathanis Parabola, prosaice quidem scripta; uti et illa ² Jothami omnium antiquissima, ad formam poeticam propius accedens.

His denique subjicienda est quasi lex quædam Parabolæ; nimirum, ut per omnia sibi constet, neque arcessitis propria admista habeat. In quo multum differt a prima Allegoriæ specie; quæ a simplici Metaphora paulatim progrediens non semper continuo excludit proprium. Proposito in utroque genere exemplo, et res ipsa, et hujuscce discriminis ratio, clarius apparebit.

Populum Israeliticum sub imagine Vitis describens, quisquis is fuerit, Psaltes, ³ Metaphoram prolixe continuavit, et per plura adjuncta felicissime deduxit. Inter plurimas autem elegantias quibus abundat hæc Allegoria, non minimam habet gratiam ea verecundia, qua cum in ingressu tum in exitu utitur; a propriis in translata paulatim illapsa, nec minus leniter ex translatiis in propria per gradus quosdam se recipiens.

¹ II. SAM. XII. 1, —— 4.

² JUD. IX. 7, —— 15.

³ PS. LXXX. 9, —— 18.

גַּפְן מִמְצָרִים תִּסְעֵנָה
תְּגַרְשֵׁנָה גּוֹיִם וְתַטְעֵה:
פְּנִית לְפָנֶיה

“ Ex Ægypto eduxisti Vitem ;
“ Ejecisti Gentes eamque plantâsti :
“ Ante faciem ejus præparâsti locum —

Tum quæ sequuntur minus caute arcessita : quibus quum
indulxit paulum, quam eleganter recedit !

אֱלֹהִים צְבָאות שׁוֹב נָא
הַבְּטָמָשִׁים וּרוֹאָה
וּפְקַד גַּפְן זָאת :
וּכְנָה אֲשֶׁר נְטָעה יְמִינָךְ
וְעַל בָּן אָמֵצתָה לְךָ :
שְׁרָפָת בָּאשׁ כְּסֻוחָה
מְגֻנָּרָת פְּנֵיךְ יָאָבְדוּ :
תְּהִי יְדָךְ עַל אִישׁ יְמִינָךְ
עַל בָּן אָדָם אָמֵצתָה לְךָ :

“ Revertere, O Deus Exercituum ;
“ De cœlo despice et intuere,
“ Et Vitis hujus curam suscipe :
“ Et germinis quod tua plantavit dextera,
“ Et sobolis quam tibi confirmâsti.
“ Igni comburitur penitusque succiditur ;
“ Per vultus tui increpationem pereunt.

I “ Animadverteram omnes antiquos Interpretes, Chaldæo excepto, legisse videri hoc in loco בָּן אָדָם filium hominis, ut in v. 18. Et testatur Cl. KENNICOTT. se in uno MS. hanc lectionem reperisse.” H.

“ Sit manus tua super virum dexteræ tuæ,

“ Super sobolem illam hominis quam tibi confir-
“ mästi.

Videtis, Academici, quantum in hac prima Allegoriæ specie immiscere liceat translatis propria, quantumque id quod licet deceat; cum hoc modo facilior graviorque sit ab alteris ad altera deflexio, simulque oblique, nec nimis aperta explicatione, lux jucundius infertur. Verum aliter se res habet cum eadem Imago alterius generis Allegoriæ, sive Parabolæ, formam induit; qualem eam exornavit Isaías.¹ Nullus hic propriis vel etiam ambiguis locus; omnes verborum colores arcessiti, omnia pigmenta ex eadem ληκυθῳ petita. Itaque quæ prior Ille proprie expressit, (“ ejectionem dico gentium, præ-
“ parationem loci, tum exitium ab increpatione Dei,”) ea apud hunc per translationem solummodo efferuntur: “ Vineam suam Deus collectis lapidibus expurgat; fal-
“ lenti autem fidem ei sepem diruit, vastamque eam red-
“ dit, edicitque nubibus ne in eam dimittant imbres.” Quod illic suam habuit gratiam, hic absurdum plane esset et incongruum. Enimvero alias Continuatæ Metaphoræ, alias Parabolæ plerumque est finis: illius est, rem aliquam magnificentius exornare, clarissimum illuminare, et eminentius exprimere, ut vel primum oculorum obtutum feriat et percellat; hujus autem, varietatem ab aspectu paulum retrahere, idque quod in ea persæpe est nimis severum velare, ut clam se insinuet, et vim suam quasi furtim obtineat. Quanquam est quidem genus Parabolæ, cui unice proposita est rei subjectæ exornatio; qualis est insignis illa priusque laudata apud Ezekielem²

¹ Cap. v. 1, —— 7.

² Cap. xxxi.

Cedrus Libani ; qua nulla est, si ipsam Imaginem spectemus, aptior aut venustior ; si lineamenta et colores, nulla elegantior, nulla ornatior ; in quam tamen Vates propria¹ quædam admisit mediis translatis permista ; an quod hujusc Parabolæ ratio ita ferat, an ex ipsius fervido ingenio, styli accurrioris leges minus interdum attendente, vix ausim statuere.

¹ Vid. v. 11, 14, 15, 16, 17.

PRÆLECTIO UNDECIMA:

DE ALLEGORIA MYSTICA.

TERTIUM est genus Allegoriæ, quod item in Poesi Prophetica multum obtinet, cum iisdem verbis duplex sententia subjicitur; sive cum una eademque oratio, dispari sensu accepta, plures simul eventus, disjunctos tempore, natura dissimiles, designat. Sensum Literalem et Mysticum vocant. Locus in Theologia gravissimus, cum Sacra Poetica arcte conjunctus, et eatenus nobis, sed breviter, exponendus.

In Hebræorum Sacris Res, Loca, Tempora, Officia, cæteraque hujusmodi, duplēm quasi Personam sustinent, unam Propriam, alteram Allegoricam; adeoque in eorum scriptis ita tractari possunt, ut vel hujus, vel illius solummodo, vel etiam ut simul utriusque ratio habeatur. Exempli gratia; de Davide, de Salomone, de Hierosolymis, ita potest institui sermo, ut simpliciter intelligantur vel Urbs ipsa ejusque Reges, vel ea quæ in Sacra Judaicæ Religionis Allegoria per Urbem Regesque illos significantur; vel etiam ut utramque partem simul respiciat et complectatur Scriptoris animus, ita ut quæ alteram exprimunt sensu aperto, proprio, historicō accepta, alteram sensu recondito, interiore ac prophetico adumbrent.

Ex his Judaicæ Religionis Elementis hujuscce generis Allegoriæ, quam Mysticam libet appellare, origo unice petenda videtur; ex his ejusdem explicatio quærenda. Quænam autem sit ejus ratio, quæ præcipue proprietates, ita fortasse commodius explicabitur, si ostendero, quas habeat a proxime tractatis duabus Allegoriæ formis dissimilitudines.

Primum hoc interest, quod in illis prioribus Allegoriæ formis liberum est quovis uti genere Imaginum: nihil est in universa rerum natura, nihil quod animus vel sensu percipit, vel cogitatione comminiscitur, quin per Continuatam Metaphoram, aut etiam Parabolam, ad res alias illustrandas aliquo modo accommodari possit. Contra vero Tertium hoc Genus in Hebræorum solummodo Sacris aptam et convenientem sibi materiem invenit; neque locum habet, nisi in iis, quæ cum Judaicis Religionibus arcte conjuncta sunt, quæque iisdem sunt contraria atque ex adverso opposita. Nimirum, Israeli, Sioni, Hierosolymis, in sensu Allegorico pariter ac Proprio opponitur Assyrius, Babylon, Ægyptus, Idumæa: et similiter in cæteris ejusdem generis. Ita illa communem habent cum cæteris Figuris naturam, et in Poetica sunt publici juris; hoc Fundamentum habet in ipsa Judaicæ Religionis natura possum, adeoque in nullam omnino præterquam Sacram Hebræorum Poesin competit. Huc etiam accedit, quod hanc Allegoriæ rationem quasi sibi propriam vendicat Spiritus ille vere Divinus, qui Poesi Interprete uti non designatur; utpote enuntiandis rerum futurarum significationibus, et sacra-tissimis Mysteriis adumbrandis, præcipue accommodatam. Ita ut, siquidem possit aliquo modo in argumento vulgari

vulgari ac profano adhiberi, a proprio tamen fine detorta, ac veluti a sua natura divulsa, vim suam atque elegantiam plane desideraret.

Est etiam illud discriminem vel præcipuum, quod in illis alteris Allegoriæ formis Imago Proxima nullam habet per se veritatem; ea solum in Imagine Remotiore inest, quæ eo veluti integumento, tenui quidem et pellucente, obtenditur: in hoc autem genere de quo nunc agimus, utriusque æque competit veritas, utraque suum eventum sortitur; quæ Proxima offertur Imago est quidem Remotioris alicujus, non fucata adumbratio, sed solida et expressa quædam effigies; et quanquam alienam Personam sustinet, non tamen deponit suam. Nimirum in Metaphora et Parabola Leo, Aquila, Cedrus, in se solum spectata, vita omni et spiritu plane carent; sed quæ in Davide, aut Salomone, aut Hierosolymis, per sublimiorem Allegoriam eduntur, ea sive propriæ sumas, sive ex Analogia Sacrorum Hebræorum mystice interpreteris, utriusque parti et seorsum et pariter sua constabit veritas.

Tantum a superioribus hoc genus Allegoriæ differt Materia, sive ratione Imaginum quas inducit: habet etiam Tractatione, ac modo inducendi, aliquam differentiam. Exposui supra, quæ Continuatæ Metaphoræ concederetur licentia, cum translatis propria, hoc est, Imaginem Remotiorem cum Proxima, admiscendi, cuius tamen usu penitus interdictum esset Parabolæ. Verum Allegoriæ Mysticæ leges ulla hac in parte constituere et per quam difficile esset, et fortasse etiam temerarium. Etenim plane diverse, atque alias alio modo, sua imperit consilia Cœlestis ille Spiritus, Vatum animos, prout

ipſi lubet, iſtinctu ſuo movens incitansque; nunc clariora rerum futurarum indicia liberius ac prolixius aperit, nunc obſcuras quafdam ſignificationes identidem, ac parce aliquando, injicit. Itaque magna eſt varietas in uſu ac traſtatione Allegoriæ Mysteriæ; in modis quibus diſponuntur Imagines inter ſe muſuo congruentes, qui- buſque earum altera alteri ſubſternitur. Interdum ſic apparet atque eminet Imago Proxima, tantumq[ue] in vocibus et diſtione domiñatur, ut ægre patiatur interluçere Remotiorem: contra interdum, idque multo frequentius, tam perſpicue tantoque verborum ſplendore effulget Remotior, ut Proximam uo lumine pene obruat et extinguat. Alias perpetua et æquabili quadam luce, et ſatis aperte, intento quidem oculo, ſeſe conſpi- ciendam exhibet Imago Præcipua; alias nec opinantem præſtringit, et ſubit atque improviſis quibusdam coruſcationibus, quaſi e nubibus fulgur, erumpit. Is certe modus ex omnibus quotquot ſunt maximam habet ele- gantiam et pulchritudinem, quam nos in præſenti di- putatione potiſſimum quærimus, cum per totum poema geminæ Imagines, pariter conſpicuæ, ac quaſi parallelæ, conſociantur, ſibi invicem aperte respondentes, ſeſequi- muſuo illuſtrantes. Cujus Virtutis, cum ſit in ſe magna, et hujus etiam generis propria, non verebor, quanquam in materia ſubobſcura, unum atque alterum exemplum, quod nullam potest habere dubitationem, vobis com- mendare; quodque ſimul universam Allegoriæ Mysteriæ naturam jam traditam, adhuc clarius, niſi fallor, expli- cabit.

Pſalmi Secundi Argumentum eſt, David fruſtra ad- versantibus inimicis Dei decreto in Regno conſirmatus.

Duplex

Duplex est Persona Davidis, Propria et Allegorica. Si Carmen hoc perlegentes primo in Propria Davidis Persona oculos defigimus, sententia appetat satis et per se perspicua, et Sacrae Historiae luce abunde illustrata: per totum quidem verbis ardentior, figuris elatior, et semel atque iterum ita exaggerata est dictio, ac si consulto nos moneret majus quiddam ac sublimius intus inclusum latere, atque ultiro etiam in Argumenti penetralia aditum aperiret. Quod si ea secuti indicia ad interiorem jam partem animum intendimus, et ad Personam Davidis Allegoricam eadem accommodamus, major rerum ordo protinus exsurgit, nec modo sublimior et augustior, sed clarior etiam emergit sensus. Si quae prius audaciora videbantur, si quae paullo elatiora, quam Proximae Materiae conditio ferret; ea jam apparent imprimis apta, expressa, dilucida, et ad Potioris Argumenti dignitatem praeclare comparata. Postquam hoc modo duas hasce Argumenti partes seorsum et singulas attente perpendimus, easdem intueamur tandem conjunctas. Hoc in situ jam elucebit elegantissimi Carminis venustas omnis et sublimitas: licet perspicere duarum Imaginum et magnam inter se distantiam, et perpetuam tamen conspirationem et consensum, et, quasi inter cognatas, oris ac lineamentorum omnium miram similitudinem; utriusque analogiam accurate servari; utrique suam veritatem competere, ita ut quae ex altera expressa est, ipsa tamen archetypa videri possit; dictioni novam lucem pariter inferri, ac sensibus elationem et pondus accedere, dum ab humilioribus ad sublimiora, ab humanis ad divina facili gradatione ascendunt, donec praecipua argumenti pars et in clarissimo lumine collocetur, et summum altitudinis gradum obtineat.

Quæ de hoc Psalmo hactenus observata sunt, transferri possunt omnia in Psalmum etiam Septuagesimum Secundum, qui in simili Argumento eodem modo versatur. Inscribi potest, Inauguratio Salomonis. Eadem plane est Allegoriæ ratio; Stylus aliquantum dispar pro ratione materiæ, cum in illo Victoriae splendor illustretur, in hoc Pacis et Felicitatis placida exprimatur effigies: hic itaque lenior ac temperatior paulo adhibetur elocutio, sententiis ornatior, crebrior imaginibus, non quidem illis audacibus Personarum fictionibus frequentata, sed lætis potius ac jucundis coloribus, et ex rerum Naturalium amœnitate petitis, depicta. Quo exemplo intelligi potest, Styli Paraboli naturam, eo quod hujusmodi Imaginum magnam varietatem amet, hujuscet Allegoriæ tractationi egregie esse accommodatam: ut enim hæ Imagines ad rerum divinarum seu spirituallium pariter atque humanarum notiones signandas, servata in utrisque certa quadam analogia, adhiberi solent, ita facile præbent locum isti ambiguitati, quæ in hoc genere aliquatenus est necessaria; ut quasi versicolor et simul translucida fiat oratio, in utramque partem anceps, in neutra obscura; utramque Allegoriæ sententiam suo complexu comprehendens, et distincte clareque ad alterutram referenda.

Verum de hoc genere non est fas sperare, quin in nonnullis magna subsit obscuritas, quæ non solum ipsam rei naturam consequitur, sed et suam etiam habet utilitatem. Etenim Allegoria Mystica, eo ipso quod sit aliquantum obscura, ita congruit cum Prophetica ratione, ut propriam et quasi legitimam formam præbere videatur, qua rerum futurarum prædictiones comodissime

modissime enuntiari possint. Nimirum eventus sic describit plane ut convenit Vaticinationibus, recondite, involute, ac latenter; universam eorum naturam, et generales habitus, et extrema solummodo lineamenta adumbrans; ad singulas partes, et minuta rerum adjuncta, parce ac raro descendens. Quod si nonnunquam circumstantiam aliquam notabilem signate exprimat,¹ id videtur facere duas ob causas; primo, ut, quod ejus rei fere consequens est, subitam atque insignem quandam caliginem Proximæ Imagini inducendo, excitet Lectorem, et ad Remotiorem Sensum investigandum remittat: deinde, ut appareant atque extent expressæ atque eminentes quædam notæ, quæ post eventum de fide oraculi omnem dubitationem tollant, ejusque veritatem ac divinitatem clare afferant, planeque confirment.

Evidem in Vaticiniis contra fit ac in cæteris omnibus Sacrae Poeseos partibus; illa tum sunt maximè obscura, cum primum sunt edita; quæque aliis tenebras inducit, illis infert lucem, vetustas. Adeoque ista obscuritas, quæ in hoc genere ab initio infederat, aliqua ex parte jam tollitur: multa sunt, quæ explicavit ipse rei eventus, certissimus oraculorum interpres; multa, quibus Divinus ille Spiritus ea quæ primum induxerat involucra dignatus est detrahere; plerisque aliquam lucem intulit ejusdem sacratissimis Institutionibus clarius illustrata Religionum Judaicarum ratio. Ita fit, ut, quæ pars Sacrae Poeseos et singularem quandam

¹ Vide ps. xxii. 17, 18, 19. et lxxix. 22.

naturam et maximam in se difficultatem habet, ad eam tamen cognoscendam et perspiciendam meliore jam conditione accedamus, iis subsidiis et adminiculis instructi, quibus plane caruerunt veteres Hebræi, quæque ne ipsis quidem Vatibus Dei internuntiis concessa sunt.

P R A E L E C T I O D U O D E C I M A :

D E C O M P A R A T I O N E.

DE Comparatione, quam ex præcipuis Poëseos Hebrææ Figuris Tertiam posui, eo differam consilio, ut et universa ejus natura, et propria apud Hebræos vis et ratio, aliquatenus illustretur.

Tres potissimum ob causas utimur Comparationibus: etenim aut illustrandis, aut amplificandis rebus inferviunt, aut ad varietatem et delectationem referuntur.

Primum sane repertæ sunt Comparationes ad inferendam rebus lucem, earumque imagines clarius et eminentius exprimendas: quod ita fiet maxime, si res, quæ similitudinis gratia aliunde assumitur, sit nota, perspicua, familiaris, cumque ea re cui componitur accurate congruat. Quo in genere minime est necesse, ut sit excelsa, grandis, venustra, splendida: satis eam commendabit ipsa proprietas, et similitudinis species aperta, et in oculos incurrens, et ad rem clare explicandam nata. Itaque licuit Homero Achivorum Exercitus multitudinem, ardorem, aviditatemque pugnandi, Comparatione ducta a Muscis circum mulætra volitantibus depingere; Virgilio² Tyriorum in urbe condenda varie occupatorum diligentiam cum Apum laboribus conferre, sine ulla Epicæ dignitatis imminutione.

¹ Il. II. 469.

² Æn. I. 432.

Cum

Cum multa sunt, quæ in hanc rem adduci possunt ex Sacris Vatibus, unum tamen atque alterum tantum exemplum proferam, quibus nihil vel sensu, vel verbis, demissius et vulgarius, nihil tamen ad rem exprimendam fortius et significantius, concipi potest. Assyriæ Regem inducit Isaias de victoriis suis insolenter gloriantem : ¹.

וחמץא כקן ידי לחהיל העמים
וכאסף ביצים עזבות
כל הארץ אני אספהתי
ולא היה נדר כנף
ופצה פה ומצפצת :

“Nacta est manus hæc tanquam nidum populo-
“rum copias :
“Et ut colliguntur ova derelicta,
“Ita omnes ego terras collegi ;
“Neque erat qui alam motitaret,
“Aut qui aperto ore pipiret.

Et in arguento simili Nahumus : ²

כל מבצרים תאנים עם בכוורים
אם ינוועו ונפלו על פי אוכל :

“Omnes munitiones tuæ erunt ut ficus præmaturis
“fructibus ;
“Si concutientur, cadent illico in os devorantis.

Est et illud Isaiæ de medio sumptum, conceptu obvium, usu pervulgatum ; sed cum imaginis ipsius gratia, tum elegantia schematis, porro etiam vi tenerrimi

¹ I S. X. 14.

² NAHUM. III. 12.

affectus, ita pulchrum et eximum, ut nihil possit supra:¹

וְתֹאמֶר צִיּוֹן עֲזֹבַנִי יְהוָה
וְאָדָנִי שְׁכַחַנִי :
הַתְשַׁבֵּח אָשָׁה עַלְתָּה
מְרֻחָם בֶּן בְּטָנָה
גַּם אֱלֹהָה תְשַׁכְּחַנָּה
וְאָנֹכִי לֹא אַשְׁכַּח :

“ Atqui Sion dicit : Jehova me dereliquit,
“ Et Dominus meus oblitus est mei.
“ Num obliviscetur mulier sui infantis ;
“ Ita ut non misereatur filii uteri sui ?
“ Etiam illæ equidem oblivious poterint ;
“ Ego vero tui non obliviouscar.

Alterius generis Comparatio, cuius finis præcipuus est materiæ subiectæ amplificatio, contrariam plane rationem habet; etenim postulat imprimis ejus natura, ut Imago, quæ rei alicujus augendæ et tollendæ causa inducitur, sit excelsa, grandis, venuusta, splendida, eamque ob causam non nimium trita et vulgaris; neque vero necesse est ut per omnia accurate constet similitudinis ratio. Ita Virgilius mirifice extulit Apum suarum labores ducta Comparatione a Cyclopum officina fulmina fabricantium; Æneæ sui decorem, majestatem, et robur egregie expressit, nunc eum ² Apollini in Cynthia jugis choros instauranti conferens, nunc ³ Atho,

¹ IS. XLIX. 14, 15.

² AE N. IV. 143.

³ AE N. XII. 701. Hæc autem videlicet accurate et scienter explicata a Viro Doctissimo JOSEPHO SPENCE in Opere eruditio juxta atque eleganti cui Titulus *Polymetis*, pag. 87. et 248.

Eryci, Appennino, montibus exæquans. Ita Homerus¹, in quo eum secutus est² Virgilius, Heroas duos in bellum irruentes Marti filioque ejus Terrori, e Thracia ad Ephyros Phlegyasque accedentibus, comparat. Quod si quisquam queratur, priora illa dignitate carere, posteriora hæc obscuritatem potius quam lucem rebus inferre, cum res in se satis notæ cum minus notis, vel cum valde etiam discrepantibus, comparentur; reputet is modo secum, poetas in diversis hisce Comparationibus plane diversa habuisse consilia; illic evidentiæ studuisse, ut rem ipsam mens clare conciperet, totamque sub uno aspectu complecteretur; hic granditati, ut intelligeret ejus magnitudinem vix concipi posse: ac fatetur protinus, utriusque Comparationis generi suo in loco suam non deesse vel proprietatem vel elegantiam.

Nihil habent Hebræi quod respondet fictis istiusmodi fabulis, in quas perpetuo se recipiunt poetæ Græci et Latini, ubi amplificatione opus est; nec immerito, cum uberem aptamque huic rei materiem præberent, ita vetustate aut religione consecratæ, ut dignitate non carerent, usu ac consuetudine adeo pervulgatae, ut omnium cognitioni facile paterent. Itaque Vates Sacri hoc in genere utuntur Imaginibus a natura plurimum ductis; ac tam eleganter quidem tantaque cum audacia, ut exterorum commenta minime desideremus. Ad exprimendam rerum prosperarum ac status florentissimi imaginem, a palma³ aut cedro Comparatio petitur; si

¹ IL. XIII. 298.

² ÆN. XII. 331.

³ PS. XCII. 13. NUM, XXIV, 6, HOSEA, XIV. 6, 7, 8. AMOS. II. 9.

majestatis aut decoris forma exornanda est, ¹ Libanus ipse aut Carmelus ante oculos proponitur. Nonnunquam a suis Sacris depromunt Imaginem, sancta et augusta quadam venustate spectabilem. Utroque modo Psaltes ² egregie extulit jucunditatem felicitatemque fraternalę concordiaę; quem locum eleganter expressit Buchananus:

“ Ut aura suavis Balsami, quum funditur
 “ Aronis in sacrum caput,
 “ Et imbre læto proluens barbam et sinus
 “ Limbum pererrat aureum :
 “ Ut Ros, tenella gemmulis argenteis
 “ Pingens Sionis gramina ;
 “ Aut verna dulci inebrians uligine
 “ Hermonis intonsi juga.

Audiamus autem Isaiam, quem ut in rebus explicandis proprietate, ita in augendis sublimitate, nemo superaverit: ³

הו' המון עמים רבים
 כהמות ימים ימינו
 ושאון לאמים
 כשאון מים כבירים ישאון:
 לאמים כשאון מים רבים ישאון
 ונער בו ונס מרחק

¹ Vid. supra P R A E L E C T. VI.

² P S. CXXXIII. 2, 3.

³ I S A I. XVII. 12, 13. “ Hæ quinque voces, ^{לְאַמִּים כָּשָׁאוֹן} sunt in MSS. N°. 1, et 4. Nihil aliud sunt, nisi clausula prioris commatis scribentis incuria repetita. “ Ad sensum non sunt necessariae; nec eas agnoscit Versio Syria-“ ca.” K.

וּרְדָפ כִּמֶּצֶר הַרִּים לְפָנֵי רֹוח
וְכִנְלָגֵל לְפָנֵי סֻופָה :

“ O tumultum populorum multorum !
“ Instar tumultus marium tumultuantur :
“ O fremitum nationum !
“ Instar fremitus aquarum immanium confremunt,
“ Populi instar fremitus aquarum multarum con-
“ tremunt :
“ Sed Illo increpante procul fugient :
“ Et agentur, ut gluma montium vento correpta,
“ Utque stipula rotata turbine.

Medium quandam inter duo hæc priora naturam habet tertium Comparationis genus, cui solummodo propositum est, novas variasque imagines præcipue materiæ admiscendo, fastidio occurrere ac quærere delectionem. Nam neque ad humiliora illa multum descendit, neque horum altitudinem unice se fætatur ; sed amœna potius amat, florida, elegantia, et in omni naturæ varietate et copia versatur. In materia tam late diffusa infinitum plane effet omnia congerere, quæ particulatim animadverti possent ; unum tantum in genere adnotabo, quod etsi in prioribus duabus aliquando locum habere possit, intelligendum tamen est ad ultimam hanc Comparationis speciem explicandam præcipue pertinere.

Duæ sunt operationes plane inter se contrariæ, quibus multum occupatur mens humana ; nimirum in rerum imaginibus tum conjungendis inter se, tum distinguendis. Nam in contemplandis innumeris illis rerum formis, quæ ei obversantur, illud primum occurrit, alias esse quæ inter se multum congruunt, alias quam pluri-
mas

mas quæ plane discrepant. Quæ in universa sua natura sunt similes inter se, eas ita contemplatur, ut quærat, num in aliqua parte sint diversæ, qua eas quasi nota quadam fecernat et internoscet; contra quæ sunt in summa diversæ, de iis quærit, an in adjunctis aliquid habeant commune, quo veluti vinculo connectantur: illud, ut melius caveat ab errore; hoc, ut, cum magnam habeat in se repositam rerum copiam, facilius ea depromere possit, quæ opus sunt, cum ad usum tum ad delectationem: quorum alterum est judicij, alterum ingenii.¹ Porro ut in eo spectatur judicij subtilitas, si in rebus quoad summam valde similibus particularis aliqua discrepantia clare demonstretur; ita ea est ingenii et acuminis laus, si, quæ in universo genere multum differunt, eorum tamen in adjunctis notabilis aliqua exprimatur similitudo.² Igitur in his Comparationibus quæ ad ornatum et delectationem referunt, id vere statui posse videtur, eas suum finem tum maxime adsequi, cum Imago inducit non modo elegans et jucunda, sed ejusmodi etiam, quæ a re cui componitur toto quidem genere sit plane diversa et dissimilis, in uno autem vel pluribus adjunctis cum eadem apte conveniat.

Quid velim melius fortasse intelligetur exemplo proposito. Est apud Virgilium Comparatio³ Aheni ebul-

¹ Vid. HOBBES. *De Humana Natura*, Cap. x. §. 4. et LOCK. *De Intell. Humano*. Lib. II. §. 2.

² Τοις δὲ ονομαστιν [αστειον γιγνεται] εαν εχη μεταφοραν· και τωτιν μηδ' απλοτριαν· γαλεπον γαρ σωιδεν· μηδ' επιπολαιον· γδεν γαρ ποιει παχειν. ARIST. *Rhet.* III. 10. Δει δε μεταφερειν, καθηπερ ειρηται αεταις, απο οικειων και μη φαινεσαι· οιον και εν φιλοσοφιαι, το ομδιον και εν πολυ διερχουσ θεωρειν, ευστραχειν. Ibid. C. II.

³ AE N. VII. 462. 1L. XXI. 362.

lientis ex Homero desumpta: ponamus sane in utroque poeta æque elegantes esse versus ipsos et rei descriptionem; Comparisonum vero, ut dispar est ratio, ita minime par est pulchritudo et gratia. Confert Homerus aquas Xanthi amnis, Vulcano ignem suum immittente, in ipso alveo penitus effervescentes; Virgilius Turni animum. injecta ei Aleætus furiali tæda, vehementi affectu concitatum; cum aquis igne supposito in alieno ebullientibus. Alter componit inter se res naturæ plane similis, seu potius ejusdem, in adjunctis tantum diversas; alter contra res genere quidem valde diversas, in adjunctis autem apte congruentes: adeoque Latini poetæ Comparatio nova est, varia, jucunda, admirabilis; contra Græci, quanquam forsan in ejus loci argumento clarius explicando vim suam habeat, omni certe varietatis gratia et ornatus splendore penitus caret.

Idem illud quod jam dixi in causa est, cur ex omnibus omnium poetarum Comparisonibus nihil fortasse reperiri possit æque ingeniosum, aut pulchrum, atque in suo genere absolutum, ac ejusdem Virgilii Comparatio quæ sequitur:¹

“Quæ Laomedontius heros
 “Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu;
 “Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit
 “illuc,
 “In partesque rapit varias, perque omnia versat:
 “Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aënis
 “Sole repercutsum, aut radiantis imagine Lunæ,
 “Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
 “Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Hanc sumpxit ex Apollonio Rhodio:

¹ *Æn.* VIII. 18.

² *Argon.* III. 754.

Πυκνα δε οι κραδηιν σημεων εντοθεν εφιεν.
 Ηελις ως τις τε δομοις ενιπαλλεται αιγλη
 Τδατος εζανισσα, το δη νεον ηε λεβητι
 Ηε πχ εν γαλλω κεχυται· ιη δι' ενθε καη ειδε
 Ωκεη տրօՓալուի տινաօցետαι միօցչոց.
 Ως δε καη εν σημεων κεαρ ελελιզετο κύρις.

Est quidem illud *νεον* ad rem exprimendam prope necessarium, vel valde certe opportunum: hoc uno excepto, cætera omnia Virgilius, ut solet, multo reddidit meliora multoque elegantiora; quod autem maximum est, qua in parte ipsa similitudinis ratio, et Comparationis veluti cardo vertitur, in ea auctorem suum longe superavit.

Hanc igitur quod attinet Comparationis speciem, cuius finis est ornatus et varietas, quæque in Poesi potissimum dominatur, in eo sita est virtus ejus præcipua, ut inferatur Imago toto genere diversa, in adjunctis apte conveniens. Eidem adjacent duo imprimis vitia, in quæ nonnunquam incurritur: unum, cum res comparantur inter se nimium dissimiles, idque maxime in adjunctis; alterum, nec levius fortasse, nec minus frequens, et si non tam saepè notatum, cum nimis arcta cognatione et similitudine in generali rerum inter se collatarum natura peccatur. Illuc absurdæ est et portentosa; hic jacet frigetque Comparatio.

Posset hic locus multis e Sacra Poesi exemplis illustrari: unum alterumque proferam ex Isaia; primum ex Historica narratione conjurationis Syrorum et Israelitarum in regnum Judæ: “Eo (inquit) nuntio audito, “commovebatur cor regis et cor populi, ut commo-

“ventur sylvæ arbores vento increbrescente.” Alterum præbebit exemplum Comparatio poetica, eaque plenior fusiorque quam Hebræorum consuetudo plerumque fert; quæque valde accuratam etiam ανταποδοσία habet. Confertur Divina Gratia ejusque effectus cum imbris fœcundantibus terram, cujus Imaginis in ea significatione constans est usus : ⁱ

כִּי כָאֵשׁ יַרְדֵּן הַנֶּשֶׁמֶת
וְהַשְׁלֹג מִן הַשְׁמִים
וּשְׁמָה לֹא יִשּׁוּב
כִּי אָם הַרוּחַ אֶת הָאָרֶץ
וְהַוּלִידָה וְהַצְמִיחָה
וְנָתַן זָרָעַ לְזָרָעַ וְלִחְםַן לְאַכְלָן:
כִּי יְהִי רַבְּרִי אֲשֶׁר יֵצֵא מִפְּנֵי
לֹא יִשּׁוּב אֱלֹהִי רִיקָּם
כִּי אָם עָשָׂה אֶת אֲשֶׁר חִפְצָתִי
וְהַצְלִיחָה אֲשֶׁר שְׁלַחְתִּיו:

“Nam sicut descendit pluvia,
“Et nix de cœlo ;
“Atque illuc non revertitur,
“Donec irrigaverit tellurem,
“Eamque fœcundaverit, et fecerit germinare ;
“Ut det semen ferenti et panem comedenti :
“Tale erit Verbum quod ex ore meo prodit ;
“Non ad me revertetur irritum,
“Quin effecerit quodcumque volui,
“Et feliciter transgerit quod ei mandavi.

Plura atque etiam venuſtiora qui volet, petat ex Cantico Salomonis, in quo multa sunt in hoc genere valde elegantia: non tamen est diffimulandum alia ibidem nec pauciora esse, quæ² ob vitium diffimilitudinis modo memoratum in graves reprehensiones inciderunt. Vindendum autem, ne id nostro vitio fiat, non Vatis; cum res ipsæ, unde petuntur Comparationes, sint vetustate jam admodum obscuræ, vel etiam penitus ignotæ: nec temere vituperanda sunt, quæ parum intelligimus.

Verum tria hæc Comparisonum genera, quæ perspicuitatis tantum causa secundum præcipuos earum fines distribuere libuit, non sunt ita inter se diversa, quin simul stare possint, varieque inter se misceri. Atque id fortasse ex omnibus absolutissimum est Comparisonis genus, in quo trium permista est virtus; quod cum rem explicat simul et auget, tum ipsius Imaginis diversitate, adjunctorum vero similitudine et varietate, distinguit orationem; habetque evidentiam et elationem quadam suavitate et jucunditate conditam. Cujus exemplum vix alibi perfectius inveniri potest, quam in eo Jobi³ loco, ubi is amicos malæ fidei insimulans, quod ea misericordiæ et caritatis solatia sibi in adversis petenti denegarent, quæ in rebus ejus secundis minimeque indigentि adeo prolixe venditaverant, confert eos cum Torrentibus, qui hibernis imbris imbribus aucti ac tumentes magnam et perpetuam aquarum copiam paulisper ostentant; sed primo æstivi solis ardore iicti subito exarescant, et viatores per

¹ Vide CANT. IV. 1, —— 5. quæ posthac exponentur PRÆL. XXXI.

² Vide CANT. VII. 2, 4.

³ JOB. VI. 15, —— 20.

Arabiæ deserta errantes fitique confectos perfide destituunt.

Hactenus de Comparationibus in genere, deque eam fine et materia: restat ut modus et forma singulare, qua eas Hebræi plerumque adornant, paucis indicetur.

Vates Hebræi multo omnium frequentissime Comparisonibus utuntur; sed copiam earum brevitatem compensant. In uno aliquo adjuncto plerumque vertitur Similitudo; id simpliciter explicant, cætera quæ sunt a proposito aliena rarius inferentes. Itaque prope singularis est exempli hæc quæ sequitur Comparatio, cui præter necessaria accedit adjunctorum auctarium quoddam ac veluti παρεργον: ¹

יהו כחציר גנות
שקדמת שלפ' יבש:
שלא מלא כפו קוזר
והצנו מעמר:
ולא אמרו העבריים
ברכת יהוה אליכם
ברכנו אתכם בשם יהוה:

“ Erunt sicut herba tectorum,
“ Quæ priusquam efflorescat exaruit :
“ Qua non implet manum suam messor,
“ Neque sinum suum qui manipulos colligit :
“ Nec dicunt transeuntes,
“ Benedictio ² Jehovæ vobis adfit ;
“ Benedicimus vobis in nomine Jehovæ.

¹ P. S. CXXIX. 6, — 8. vide etiam P. S. CXXXIII. 3.

² Formula solennis in hoc negotio usitata. vid. RUTH. II. 4.

Longe,

Longe, inquam, diversus est plerumque in hac re Hebræorum usus: nonnunquam una voce, sæpiissime una brevi sententia sive enuntiatione, integra absolvitur Comparatio. Hoc oritur ex natura Styli sententiosi, qui in Poesi Hebræa perpetuo dominatur: ejus, ut supra exposui, ea ratio est, ut orationem solutam et profluentem coercent et constringat, crebramque pressam et acutam reddat. Quibus itaque in locis cæteri poetæ sunt fere copiosi, fusi, uberes; in iis Hebræi sunt potius breves, densi, incitati; non æquabili tractu ducentes orationem, sed veluti geminatis iætibus contorquentes. Adeoque Comparationes etiam peculiari quodam modo plerumque adornant; etenim non tam solent singulas seorsum per plura adjuncta plene varieque deducere, quam plures parallelas aut cognatas, unamquamque breviter simpliciterque enuntiantes, simul congerere. Confert Moses vim cælestem divini Carminis, quod Dei jussu pronuntiat, cum pluviis herbas irrigantibus. Quæ poeta aliquis e Græcis aut Latinis in unam Comparationem, paulo fortasse latius diffusam et aliqua varietate distinctam, conclusisset, ille concidit distribuitque in duo Comparisonum paria.¹

יְרָא כּמֶטֶר לְקָחִי
תְּזַל כְּתֵל אָמְרָתִי:
כְּשֻׁעֲרִים עַלְיָהָרָשָׂא
וּכְרַבְבִּים עַלְיָהָעַשְׁבָּה:

“ Destillabit, ut pluvia, doctrina mea;
“ Fluet, ut ros, mea oratio:
“ Ut imbres tenuissimi in herbas;
“ Ut densæ guttulæ in gramina.

Eadem forma utitur Psaltes in sequentibus :¹

אֱלֹהִים שִׁתְמָנוּ כְּגַלְגָּל
כְּקַשׁ לְפָנֵי רֹוחַ:
כְּאַשׁ תְּבֻעַר יְעָרָה
וְכְלַהֲבָה תְּלַהֲתָ הַרִּים:
כְּן תְּرֹדֵפָם בְּסֻעַרְךָ
וּבְסֻופְתָּךְ תְּבַחַלָּם:

“ Fac, Deus mi, ut sint instar glumæ rotatae,
“ Instar stipulæ correptæ vento :
“ Ut saltum comburit ignis,
“ Ut montes incendit flamma ;
“ Sic Tu illos tua tempestate persequere,
“ Tuoque turbine confernatos age.

Multo quidem usitatissima est apud Hebræos hæc Comparationis forma, non tamen sola : est enim ubi Comparationem latius explicant ; ac tum sententiarum distributioni æque consulunt, non ipsam Imaginem, sed adjuncta geminantes, et singula binis sententiis parallelis exponentes : quod fecit Moses in Comparatione superiore illam proxime sequente, qua Dei solicitam de po-

I P.S. LXXXIII. 14, — 16. Inter hæc duo Comparationum paria ea intercedit cognatio connexioque, ut efficeretur una simplexque Comparatio, nisi sententiosa Versuum distributio rem alio ordine formaque disposuisset. In editis locis extruebantur areæ, ut tritico excusso jaqtatoque ventus glumam paleamque auferret : has ita ablatas igne comburebant. Vide 1§ A I. v. 24. M A T T H. III. 12. et H A M M O N D. in loc. עַר autem pro quovis loco edito et inculo sumitur, ut liquet ex M I C. III. 12. “ Isthaec hujus vocis significatio confirmatur ex Arabico عَرْ, Clivus ac difficilis superatu fuit “ mons.” H,

pulo suo curam, et paterni amoris affectum, cum Aquilæ φιλοτοξευτα pulcherrime confert : ¹

כְּנֶשֶׁר יָעִיר קָנוֹ
עַל גּוֹזְלֵיו יַרְחֵפּ :
יַפְרִשּׁ כְּנֶפְיוֹ יַקְהֵהוּ
יְשָׁאָהוּ עַל אֲבָרְתוֹ :

“ Ut Aquila excitat identidem nidum suum ;
“ Super pullos suos sese motitat :
“ Expandit pennas, assumit eos ;
“ Gestat eos super alam suam.

Et hac quoque in parte elegantissime Jobus in Comparatione Torrentis supra laudata, quam idcirco integrum corollarii loco adjiciam : ²

אֲחֵי בְּגָדוֹ כְּמוֹ נְחָלָ
כְּאָפִיק נְחָלִים יַעֲבְרוּ :
הַקְּדָרִים מִנִּי קָרָה
עַלְיָמוֹ יַתְעַלֵּם שָׁלָג :
בְּעֵת יָרְבוּ נִצְמָתָהוּ
בְּחָמָוּ נִדְעָכּוּ מִמְקוּמָם :
יַלְפְּתָהוּ אֲרֻחוֹת דְּרָכָם
יַעֲלוּ בְּתָהָוּ וַיַּאֲבְדוּ :
הַבִּיטָהוּ אֲרֻחוֹת חַמָּא
הַלִּיכּוֹת שַׁבָּא קוּוּ לִמּוֹ :

I DEUT. XXXII. 11.

² JOB. VI. 15, —— 20. “ Commate 17^{mo.} verbum est זָרְבוּ זָרְבָוּ μάπαξ λεγεμενον. In linguis Arabica et Chaldaica propria vis “ verbi est fluere, diffluere, effluere : ita sensus erit, Quo tempore “ fluunt, vel diffluunt, (glacie nimirum resoluta) pereunt.” H.

בְּשׁוֹ כִּי בְּטָה

בָּאוּ עֲדִיה וַיְחִפְרוּ :

“ Fratres mei perfide egerunt sicut torrens,
 “ Ut decursus torrentium illico transferunt :
 “ Qui turbidi ruunt a glacie ;
 “ In quos resoluta absconditur nix :
 “ Quo tempore æstu afficiuntur, pereunt ;
 “ Cum calefcit, exscinduntur e loco suo ;
 “ Declinant catervæ de via sua ;
 “ Ascendunt in deserta et intereunt :
 “ Respectant eos catervæ Themææ ;
 “ Turmæ Sabææ spem in eos intendunt :
 “ Pudet illas fiduciæ suæ ;
 “ Perueniunt illuc, et erubescunt.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA:

DE PROSOPOPOEIA.

Ex iis Dictionis Figuratæ partibus, quas, ut ad notionem **נִשְׁמָה** maxime accommodatas, proposui, ultima jam restat Prosopopœia. Ejus figuræ duo sunt genera: unum, cum rebus vel fictis, vel ratione ac sensu carentibus, actio ac Persona datur; alterum, cum veræ personæ probabilis Oratio tribuitur. Prius illud plane est species quædam metaphoræ, eaque omnium longe audacissima, ac periculo quidem proxima. Opportune itaque illata recteque usurpata vim habet multo maximam; nusquam autem majorem quam plerumque apud Hebræos Vates, quibus tamen nulli eam frequentius aut liberius usurpant.

Ac primum quidem, ut de Personis fictis agamus, hoc habent cum cæteris scriptoribus commune, ut Notionem generalem et abstractam sæpe Persona induant, atque agentem et loquentem etiam veluti in scenam producant: qua in re ut cultissimos elegantia et decore facile exæquant, ita gravissimos sublimitate longe antecedunt. Quid aptius atque venustius, quid grandius et excelsius fingi potest, quam ea Sapientiæ Persona, quæ a Salomone toties inducitur? non modo humanæ vitæ dux, artium indagatrix, honorum, divitiarum, ve-
ræque

ræque felicitatis largitrix, sed æterna, immortalis, Creatoris Omnipotentis alumna, et divinorum consiliorum particeps.¹

בְּחִכֵּנוּ שְׁמִים שֶׁם אָנִ
 בְּחִקּוּ חֹג עַל פְּנֵי תְהוּם:
 בְּאַמְצֹו שְׁחָקִים מִמְעָל
 בְּעֹזֹו עִינּוֹת תְהוּם:
 בְּשֻׁמוּ לִימּוּ חִקּוּ
 וְמִים לֹא יַעֲבְרוּ פַּיּוּ
 בְּחִוקּוּ מּוֹסְדִּי אָרֶץ:
 וְאַהֲיהָ אַצְלוּ אָמֵן
 וְאַהֲיהָ שְׁעַשׂוּיִם יוֹם יוֹם
 מְשַׁחְקָת לְפָנֵיו בְּכָל עַת:
 מְשַׁחְקָת בְּתַבְלָן אָרֶץ
 וְשְׁעַשְׂעִי אֶת בְּנֵי אָדָם:

“ Cum Jehova cœlos ornaret, Ego adfui ;
 “ Cum super faciem abyssi circulum describeret :
 “ Cum superne firmaret æthera ;
 “ Cum stabiliret abyssi fontes :
 “ Cum mari decretum suum ederet,
 “ Ne aquæ transirent præscriptum limitem ;
 “ Cum designaret telluris fundamenta :
 “ Tum aderam Illi alumna,
 “ Et eram quotidianæ deliciæ ;
 “ Coram Illo ludebam jugiter :
 “ Ludebam in orbe terrarum ejus,
 “ Et deliciæ meæ cum filiis hominum.

Quid illa apud Psaltem divinorum Attributorum Prosepopœia? justa quidem, elegans, splendida, si ex proprio tantum atque apertiore Psalmi argumento interpretemur, de restitutione populi Judæi a captivitate Babylonica: quod si ad diviniorem illum sensum referamus, qui sub ea imagine non obscure adumbratur, supra modum grandis atque excelsa, plenissima mysterii et sublimitatis : ¹

חֶסֶד וְאַמְתָּה נִפְנְשׁוּ
צְדָקָה וְשִׁלּוֹם נִשְׁקָנוּ :

“ Misericordia et Veritas sibi invicem occurunt;

“ Justitia et Pax se mutuo osculantur.

Multæ sunt præterea hujusmodi Imagines præclare formatæ, ipsaque fictionis audacia magnam vim habentes. Talis est apud Habaccum ² Pestis Jehovam Vindicem præcedens: apud Jobum ³ Mors et Perditio de Sapientia affirmantes, Illam ad aures suas tantum fando perveruisse: apud Isaiam denique, ne plura proferam, illa horrenda ⁴ Orci effigies, ingluviem suam dilatantis, atque os avidum in immensum diducentis.

Est etiam in hoc genere alia quædam classis Personarum, in se quidem elegantissima, quam item nobis commendat, et quodammodo familiarem reddit, notissimum linguæ Hebrææ idioma, cui videtur debere originem; quo rei locive subiectum, adjunctum, accidens, effectus, et si quid simile est, ejusdem Filius appellatur. Hinc apud Vates Hebræos Gentes, Regiones, Populi, muliebri habitu induti toties in scenam prodeunt. ⁵ “ De-

¹ P.S. LXXXV. 11,

² HAB. III. 5.

³ JOB. XXVIII. 22.

⁴ ISA I. V. 14.

⁵ ISA I. XLVII. 1, &c.

“ scendit

“scendit sedetque in pulvere mollis illa et delicata Virgo, illa gentium Domina, Filia Babylonis.”

¹ “Luget, sedetque sola humi, Virgo Sionis Filia :

“Flet nocte semper inquies, semper genis madentibus ;

“Manusque tendit supplices, nec invenit solatia.

Nisi illuc respiciamus, duriora videri possint “Filii ² Ar-
“cus, Filii ³ Pharetræ,” pro sagittis ; et insignis illa
apum Jobum Persona, acerbissimum lethi genus exhibens, ⁴ “Mortis Primogenitus.”

Nec minus eleganter rebus Inanimis, quam abstractis
notionibus, Personam tribuit dictio Parabolica. Vates
Sacri, justa indignatione contra ingratum Dei populum
commoti, ⁵ “Cœlos ac Terram obtestantur, totique re-
“rum Naturæ silentium indicunt : ⁶ apud Montes cau-
“fam orant, et audiunt Colles eorum vocem.” Omnia
apud illos vita, spiritu, affectibus animantur :

⁷ יְשַׁמְּחוּ הַשְׁמִים וְתָגֵל הָאָרֶץ

רִאְמְרוּ בְּנֹוִים יְהוָה מֶלֶךְ :

רַעֲם הַיּוֹם וּמְלוֹאוֹ

תָּבֵל וַיְשִׁבֵּי בָּהּ :

נְהֻרוֹת יְמָחָאוּ כָּפָ

יְחִדָּה הַרִּים יָרְנוּ :

¹ THREN. I, 1, &c.

² JOB. XLI. 19.

³ THREN. III. 13.

⁴ JOB. XVIII. 13.

⁵ DEUT. XXXII. 1. ISAIA. I. 2.

⁶ MIC. VI. 1.

⁷ I. PARAL. XVI. 31. PS. XC VIII. 7, 8. XC VI. 13.

לפנִי יהוה כִּי בָא
כִּי בָא לְשֻׁפֵט הָרֶץ :

“ Lætentur Cœli, et exultet Terra,
“ Et edicant per gentes, Jehova regnat.
“ Fremitum edat Mare, et quod eo continetur ;
“ Orbis, et ejus incolæ :
“ Palmas suas complodant Fluvii,
“ Certatim Montes in cantum prorumpant :
“ Coram Jehova, nam advenit,
“ Nam advenit judicatum terram.

רָאוֹךְ מַיִם אֱלֹהִים
רָאוֹךְ מַיִם יְחִילוֹ :
נָתַן תְּהוֹם קָולוֹ
רוֹם יְדֵיהוֹ נְשָׁא :

“ Viderunt Te Aquæ, O Deus ;
“ Viderunt Te Aquæ, dolore correptæ sunt :
“ Vocem suam edidit Abyssus ;
“ Manus suas sublime extulit.

Et mirifice Jobus : ²

הַתְשַׁלֵּחْ בְּרָקִים וַיָּלֹכוּ
וַיֹּאמְרוּ לְךָ הָנָנוּ :

“ Num ire jubebis Fulgura, et ibunt ;
“ Et dicent tibi, En præsto sumus ?

Quod etiam audent feliciter, quanquam periculosius, in iis quoque quæ in ordine et œconomia rerum Naturallium, quibus vitam et sensum quendam facilius concedimus, locum non habent. In quo admirabilis est ex multis ille Jeremiæ Dialogismus : ³

¹ P. S. LXXVII. 17. HABAC. III. 10.

² Cap. XXXVIII. 35.

³ JER. XLVII. 6, 7.

הוּא חָרֵב לִיהְוֹה עַד אֲנָה לֹא תִשְׁקַטִי
הָאָסְפִי אֶל תַּעֲרֵךְ הַרְגָּעִי וְדָמִי :
אֶיךְ תִשְׁקַטִי וַיהְוֹה צָוָה לְהָ
אֶל אַשְׁקָלוֹן וְאֶל חָפֵף הַיּוֹם שֶׁמֶ “עֲדָה” :
“Eheu ! O Ensis Jehovæ, quo usque non quiesces ?
“Recipe te in vaginam, subsiste, et file.
“Quomodo quiesceret, cum Jehova ei mandata
“dederit ?
“Ad Ascalonem et ad oram maritimam, illuc ei
“condixit.

Alterum est genus Prosopopœiæ, cum veræ personæ probabilis Oratio tribuitur. Ut prius illud novitate, varietate, audacia, ad gratiam et admirationem comparatum est; ita hoc ipsa veritatis specie summam habet evidentiam, auctoritatem, et pondus.

Plane infinitus esse in, si omnia vellem percensere, quæ hic occurrunt in sacris carminibus notanda: crebros, elegantes, faciles, acres, improvisos, præcipites in personam transitus; personarum vim, gravitatem, atrocitatem; in primis Dei ipsius orationes divinissimas, tantaque majestate dignissimas; sermones idoneos et personæ congruentes; fictionis credibilitatem, imitationis evidentiam, ac rei ipsius claram repræsentationem. Itaque unum in hoc genere ultimo sufficiat exemplum, quo nullum usquam inveniri potest perfectius; Matris Siferæ αποκρεδονα ex nobilissimo Debora Cantico.¹

Primo maternæ solicitudinis, animique inter spem metumque dubii, clarissimam imaginem et gestus ejus et verba exprimunt :

بعد החלון נשקפה ותיבב
אם סיירה بعد האשןב
מדוע בשש רכבו לבוא
מדוע אחריו פעמי מרכבותיו :

“ Per fenestram prospexit, et clamavit ;
“ Mater Siferæ, per cancellos :
“ Cur pudet currum ejus venire ?
“ Cur morantur quadrigarum ejus incessus ?

Protinus moræ impatiens comitum suarum solatia præ-
venit, animo jam elatior, et in muliebrem levitatem et
jaçtantiam cito effusa ;

“ quidlibet impotens
“ Sperare, fortunaque dulci
“ Ebria :

חכמתו שרותיה תעננה
אף היא תשיב אמריה לה :
הלא ימצאו יחלקו שלל

“ Sapientes primariæ ejus foeminæ certatim ei re-
“ spondent ;
“ Imo ipsa sibi suos sermones illico reddit :
“ Annon jam assequentur, divident prædam ? —

Videamus autem quam consoni sunt personæ loquentis
singuli conceptus, singulæ voces. Non stragem hostium
recenset, non numerum captorum, non virtutum et
facta victoris ; sed, ut quæ

“ Fœmineo prædæ et spoliorum arderet amore,
ea potius omnia, quæ levem vanissimæ mulierculæ ani-
mum capere possent, ancillas, aurum, vestem : nec re-
censet modo, sed omnia iterat, accumulat, auget ; spo-
lia

lia ipsa manibus suis jam videtur versare, ita singulis eorum partibus contemplandis hæret et immoratur.

הָלֹא יִמְצָאוּ יְחַלְקָו שֶׁלֶל
רְחַם רְחַמְתִּים לְרָאשׁ נְבָרָה:
שֶׁלֶל צְבָעִים לְסִירָה
שֶׁלֶל צְבָעִים רְקָמָה
צְבָעַ רְקָמְתִּים לְצֹוָרֵי שֶׁלֶל:

“ Annon jam assequentur, divident prædam ?

“ Ancillam, imo duas unicuique ancillas ?

“ Prædam versicolorem Siferæ ?

“ Prædam versicolorem, acupictam ;

“ Coloratam, utrinque acupictam, collo exuvium ?

Accedit, ad cumulandam hujuscce loci pulchritudinem, in sententiarum poetica conformatione mira concinnitas ; in dictione magna vis, nitor, accuratio ; in ipsa repetitionum redundantia summa brevitas : postremo spei muliebris gravissima frustratio, per subitam atque insperatam illam Apostrophen,

כִּן יַאֲבְדוּ כָּל אֹיְבֵיךְ יְהוָה

“ Sic pereant omnes inimici tui, O Jehova !

tacite insinuata, eo ipso silentio plenius fortiusque exprimitur, quam ullis verborum coloribus depingi potuit.

ו, “ Spolium ornandis cervicibus ;” est forma Constructa pro Absoluta. Vide M I C. VI. 16. T H R E N. III. 14, et 66. quæ eodem modo expedienta sunt. Qui plura veli, adeat B U X - T O R F. Thes. Gram. II. 4. qui tamen ibidem hanc phrasin aliter accepit. LXX. legerunt לְצֹוָרֵן ; SYRUS ; שׁוֹלֵל ; quorum utrumvis ferri potest.

Verum qui hujuscce Figuræ universam vim et virtutem, ac præcipuum in Oda Hebræa splendorem intelligere velit, adeat is scriptorem longe divinissimum Isaiam. Ibi inveniet in breve Carmen conclusa omnia Personarum exempla, omnes sublimitatis fontes derivatos. Locum ipsum præcipuasque ejus virtutes non pigebit brevi enarratione indicare.¹

Vates, postquam Judæis liberationem a dura illa servitute Babylonica et redditum in patriam prædixit, protinus ipsos inducit canentes Carmen quoddam Triumphale in occasum Regis Babylonii, refertum splendidissimis imaginibus, et perpetuis Prosopopœiis, iisque pulcherrimis, continuatum. Carmini exordium facit subita Judæorum exclamatio, gaudium ipsorum et admirationem ob insperatas rerum vices et interitum Tyranni exprimens. Ipsa Tellus cum incolis suis triumphat; Abies et Cedri Libani, quibus Imaginibus stylus Parabolicus sæpe adumbrat Reges et Principes gentium, exultant gaudio, et fractam immanissimi hostis potentiam convitiis insectantur:

נָחָה שְׁקַטָּה כָּל הָאָרֶץ פָּצַחוּ רְנָהָ :
נִמְּ בְּרוֹשִׁים שְׁמַחוּ לְךָ אֲרוֹן לְבָנוֹן :
מָאוֹ שְׁכַבְתָּ לֹא יָעַלְהָ הַכְּרַת עַלְיָנוֹ :

“Quiescit, tranquilla est tota tellus; erumpunt in
“cantum :

“Etiam Abies lætantur propter te, Cedri Li-
“bani;

“Ex quo jacuisti, non ascendit in nos vastator.

Sequitur Orci, sive infernæ regionis, audacissima Prosopopœia: excitat ille incolas suos, Principum Manes

et defunctorum Regum Umbras: protinus omnes de foliis surgunt, et Regi Babylonio venienti obviam procedunt; insultant ei et illudunt, et ex ejus calamitate suæ sorti quærunt solatia:

נִסְתַּחַת חָלֵית כְּמוֹנוּ אֶלְינוּ נְמַשְׁלָתָה:

הָוֹד שָׁאָל נָאוֹנָךְ הַמִּתְּ נְבָלִיךְ

תְּחַתִּיךְ יִצְעָרָם וּמְכַסֵּיךְ תּוֹלָעָה:

“Tune etiam debilitatus es, ut nos? nostri similis

“factus es?

“Demissa est ad Orcum superbia tua, strepitus

“cithararum tuarum?

“Subter te sternitur vermis, et tegumentum tuum

“lumbricus?

Iterum Judæis sermo tribuitur: exclamacione ad momen funebrium Lamentorum conformata, quam fere rationem universa hujus carminis constructio sequitur, insignem ejus occasum pulcherrime exaggerant:

אֵיךְ נִפְלַת מִשְׁמִים חִילֵל בֵּן שָׁהָר

נִגְדֻעַת לְאָרֶץ חֹולֶשׁ עַל גּוֹיִם:

“Quomodo decidisti de cœlo, O Lucifer, fili Au-

“roræ!

“Deturbatus es in terram, qui subegisti gentes!

Ipsum deinde fingunt loquentem, et infana potentiae suæ jactatione supra modum gloriantem, unde mirifice amplificatur ruinæ ejus atrocitas. Nec hoc satis; nova protinus efficitur Persona: inducuntur, qui ejectum Regis Babylonii cadaver inveniunt; attentius eum propiusque contemplantur, ac vix demum agnoscunt:

הַזְּהָרִישׁ מְרַגְּנוֹן הָאָרֶץ מְרַעֵּישׁ מְמַלְכּוֹת

שֵׁם תָּבֵל כְּמַדְבֵּר וּעֲרוֹן הָרֶם :

“ Hiccine vir ille, qui tremefecit terram, commovit
“ regna ?

“ Qui orbem rededit in solitudinem, urbesque ejus
“ diruit ?

Exprobrant ei communem sepulturæ usum ob fævitiam et crudelitatem merito denegatum ; et nomen ejus, stirpem, et posteros execrantur. Scenam claudit Dei ipsius gravissima Oratio, Regi Babylonio, posterisque ejus, urbique ipsi, perpetuam excisionem interminantis, et consiliorum suorum immutabilitatem solennis jurifjurandi sacramento confirmantis.

Quæ Imagines, quam variæ, quam densæ, quam sublimes, quanta vi, quibus verbis, figuris, sententiis, elatæ, in unum locum coacervantur ! Judæos, Cedros Libani, defunctorum Regum Umbras, Regem Babylonum, eosque qui in cadaver ejus incident, ipsum postremo Jehovam, loquentes audimus, et partes suas pene quasi in Dramate agentes intuemur. Continuatur Actio quædam perpetua, seu potius diversarum actionum varia ac multiplex series contexitur : virtus in Odæ sublimiori vel præcipua, quæque, uno ex omnibus vetustatis monumentis pulcherrimo ac plane singulari exemplo, in hoc Isaiæ poemate perfecte exhibetur. Crebræ sunt Personæ, nec tamen confusæ ; audaces, nec tamen duræ : viget per totum spiritus liber, excelsus, vereque divinus ; neque deest quidquam ad summam hujuscce Odæ sublimitatem absoluta pulchritudine cumulandam : cui, ut plane dicam quod sentio, nihil habet Græca aut Romana poesis simile aut secundum.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA:

DE SUBLIMI GENERE;

AC DE SUBLIMITATE DICTIONIS.

Cum in Figurato dicendi genere quæ maxime observatu digna, et ad notandum peculiarem usum et propriam Hebrææ Poeseos indolem præcipue idonea videbantur, superioribus Prælectionibus satis fuse mihi videor exposuisse; cæteris quæ in poetica vel in oratione soluta fere communia sunt omisis, transeo ad Sublimitatem Sacrorum Vatum, multis quidem exemplis, prout res tulit, jam antea illustratam, suo nunc loco distinctius tractandam: hunc enim statui Tertium Hebræorum Styli Poetici Charactera. Is continetur in altera illa notione **משל**, qua Potestatem denotat ac Principatum; quaque non nunquam, cum de stylo agitur, id præcipue videtur significare, quod eminet atque excellit, quod pollet ac dominatur in oratione. Ea sane vis huic voci subjicitur iis in locis, ubi dicitur aliquis **משל**, “extollere “Parabolam suam,” hoc est, Sententiam grandem et elatam edere. Exemplo fit nobis is ipse locus, ubi primum occurrit isthæc loquendi formula. Hoc itaque modo Balaamus Parabolam suam effert: ‘

מן ארם ינחני בלק
 מלך מואב מהררי קדם:
 לכה ארה לי יעקב
 ולכה זעמה ישראל:
 מה יעקב לא קבה אל
 ומה אוזם לא זעם יהוה:
 כי מראש צרים ארנו
 ומגבעות אשורנו:
 הן עם בלבד ישבו
 ובנוים לא יתחשב:
 מי מנה עפר יעקב
 ומספר את רבע ישראל:
 תמות נפשי מות ישרים
 ותה' אחרית' כמהו:

- “ Ex Aramæa me arcessivit Balacus ;
 “ Rex Moabitarum ex montibus Orientis :
 “ Veni, execrare mihi Jacobum ;
 “ Et veni, detestare Israelem.
 “ Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus ?
 “ Aut quomodo detestabor, quem non detestatus
 “ est Jehova ?
 “ Nam e vertice rupium eum aspiciam,
 “ Et ex collibus eum contemplabor ;
 “ En populum, qui seorsum habitabit,
 “ Neque sese gentibus annumerabit !
 “ Quis percensuit pulverem Jacobi ?
 “ Aut numerum vel quartæ partis Israelis ?
 “ Moriatur anima mea morte Justorum ;
 “ Et sit exitus meus illius instar !

Quanam igitur de causa fieri dicamus, quod hæc Vatis oratio לְשׁוֹן appelletur? Est quidem parallelis Sententiis, paribusque membrorum intervallis, accuratissime demensa; neque hujusc distributionis elegantiam multum obruit aut obscuravit interpretatio: quod genus inter Proverbia et Gnomas, quæ מִלְשָׁלֶמֶת vocantur, numerari, ob eandem periodorum conformatiōnē, cum forte nihil habeat adagii aut præcepti simile, supra statuimus. Verum qui hunc ipsum locum, vel cæteros qui eadem inducuntur loquendi formula, attente considerabit, quorum omnium eximia quædam est vel figurarum atque imaginum varietas, vel dictionis ac sensuum elatio, vel etiam utrumque; is facile sibi persuadēbit majus quiddam oportere intelligi, quam sententiosæ concinnitatis commendationem. Quod si eundem ex altera parte spectamus, nihil ibi inveniemus Figuratum, in nostro quidem sensu, ac quatenus מִשְׁלֵם id denotat: nihil plane subest mysticum, nihil allegoricum, nullæ imagines, nulla comparatio, in versiculis quatuordecim una tantum metaphora: adeoque ita non potest accipi, quasi ostenderetur hic locus ex genere esse Parabolico proprie dicto. Restat itaque ut intelligamus ea voce hic præcipue denotari egregios illos sensus, excelsum spiritum, illud denique ἐραργεις καὶ ἐνθυσιασμος, quo Vatis responsum animatur. Quo exemplo exponere volui quibus inductus rationibus crederem voci לְשׁוֹן, cum ex vi tum etiam ex usu suo, subesse notionem Sublimitatis; stylumque poeticum apud Hebræos id ipsum suo nomine ac titulo profiteri, quo aliarum gentium poesi re et veritate longe antecellit.

Sublimitatem autem hic intelligo sensu latissimo sumptam ; non eam modo quæ res grandes magnifico imaginum et verborum apparatu effert ; sed illam quæcunque sit orationis vim, quæ mentem ferit et percellit, quæ movet affectus, quæ rerum imagines clare et eminenter exprimit ; nihil pensi habens, simplici an ornata, exquisita an vulgari dictione utatur ; in quo Longinum sequor, gravissimum in hoc argumento et intelligendi et dicendi auctorem.

Sublimitas vel in Dictione vel in Sensibus posita est. Oritur quidem plerumque ex utraque parte simul sumpta, cum altera alteri auxilio est, et inter utramque intercedit vis et ponderis amica quædam communicatio et societas : quod tamen non impedit, quo minus alterutram seorsum commode fatis tractare possimus. Primum itaque videamus, quid habeat Dictione Poetica apud Hebræos, tum in se spectata, tum cum soluta oratione collata, quo mereatur nomen ex Sublimitate impositum.

Habet Poesis, quacunque utatur lingua, proprium quoddam ac suum dictionis genus, acre, grandiloquum, sonans, verbis amplum et exaggeratum, compositione exquisitum factumque, toto denique habitu et colore a vulgari consuetudine abhorrens, et persæpe etiam veluti cum libera quadam indignatione perrumpens claustra, quibus communis sermo continetur. Loquitur Ratio remisse, temperate, leniter ; res ordinate disponit, aperte signat, distincte explicat ; studet imprimis perspicuitati, ne quid confusum, ne quid obscurum, ne quid involutum relinquatur. Affectionibus vero nihil horum admodum curæ est : turbide confluunt, intus luctantur, conceptus ; ex iis vehementiores

res temere, qua licet, erumpunt; quod vividum, ardens, incitatum, non quærunt sed arripiunt: ut verbo dicam, mero sermone utitur Ratio, Affectus loquuntur poetice. Animus, quoctunque concitetur affectu, in eo, unde concitatur, penitus inhæret defixus; id laborat eloqui: nec satis habet rem nude, ac plane qualis est, exprimere; sed ita qualem ipse concepit, splendide puta, vel luctuose, vel exultanter, vel atrociter. Et enim affectiones sua vi ac natura feruntur in amplificationem; omnia in animo mirabiliter augent et exagge-
rant, eaque sublate, magnifice, atque eminenter ges-
tiunt exprimere: quod duobus potissimum modis asse-
quuntur; partim splendidis imaginibus aliunde arcessi-
tis rem ipsam illustrando; partim in elocutionem novas
atque mirabiles quasdam dicendi formas inducendo,
quæ magnam vim habent, eo unice quod præsentem
animi habitum et figuram aliquo modo imitantur atque
effingant. Hinc illa Schemata de quibus tam multa
Rethores, id arti tribuentes, quod unum omnium vel
maxime est naturæ:

- “ Format enim natura prius nos intus ad omnem
- “ Fortunarum habitum: juvat, aut impellit ad
- “ iram,
- “ Aut ad humum mœrore gravi dedit et angit;
- “ Post effert animi motus interprete lingua.

Quod in universa poeseos natura obtinet, id in He-
bræorum poesi vel præcipue locum habere facile con-
statbit. Ac primum quidem, quantum in transferendis
atque accommodandis Imaginibus valeat, quantumque
exinde nitorem, majestatem, elationem, derivârit, jam

antea vidimus. In dictione etiam, quam vim habeat ad ornatum et dignitatem Dialectus poetica, qua frequenter utitur, nec non artificiosa sententiarum distributione, quæ cum metrica ratione, quanquam penitus jam deperdita, appareat tamen arcta quadam necessitudine fuisse conjuncta, prius observatum est. Videndum itaque si quæ restant alia, quæ in Hebræorum elocutione poetica multum pollutum, eamque a soluta oratione secernunt et discriminant.

Nihil vulgari Hebræorum sermone simplicius et inornatus concipi potest: nuda, recta, sana, atque sincera sunt omnia; voces nec exquisitæ, nec lectæ; periodorum nulla cura, ac ne cogitatio quidem: ipse vocum ordo plerumque constans est, et sui similis; præit verbum, subjicitur nomen agentem denotans, sequuntur cætera: res ipsæ singulis enunciationibus singulæ exponuntur, adjuncta seorsum subjunguntur, sine ulla inter se partium implicatione aut impedimento; et quod vel præcipuum est, unius fere particulæ ope ab initio ad finem perpetua quadam serie aliud ex alio nequit, ita ut nihil dissipatum, aut abruptum, aut turbatum appareat. Tota denique oratio cernitur eo ordine disposita, eaque partium continuatione colligata, ut plane æquabilem ipsius scriptoris habitum demonstret, animique sedati et tranquilli imaginem quandam exhibeat. In poesi vero Hebræa, plerumque ex aliqua parte, in omnibus nonnunquam, plane aliter se res habet. Præcipitatur liber spiritus, cui nec vacat nec luet tam minutis ac frigidis curis invigilare: saepè non tam vestit oratione et exornat conceptus, quam plane detegit ac nudat; ut quasi velo detracto omnes animi status

status motusque, subitos impulsus, celeresque impetus,
et multiplices flexiones, palam intueri videamur.

Qui de his certior fieri velit, non dubito quin sibi ipse facile probaturus sit ita rem habere, modo faciat periculum. Sumat in manus Librum Jobi; Proœmium Historicum perlegat; tum procedat ad Metrica, et primam Jobi orationem diligenter evolvat. Fatebitur jam credo id sibi accidisse, ut, cum ventum esset ad carmina, in aliam pene linguam se repente delatum putaret; et multo sibi majorem visam esse styli utriusque inter se dissimilitudinem, quam si a Livii lectione ad Virgilium accederet, aut etiam ab Herodoto ad Homerum transfiret, aut denique Xenophonte deposito in Chorum aliquem Sôphoclis aut Æschyli subito incideret. Neque sâne immerito; nam cum hic locus imitetur vehementissimum παθος, quo nihil ardentius atque incitatius quisquam poetarum unquam tentavit, non modo sensuum atque imaginum admirabilis est vis, pulchritudo, sublimitas, sed et is etiam est universæ dictionis character, tam vividi verborum colores, tam crebra rerum coacervatio, tam densa continensque frequentatio sententiarum, tam animosa et affectibus plena tota constructionis forma, ut nihil habeat Poësis ipsa magis poeticum. Horum pleraque apertiora sunt, quam ut diligentem lectorem possint fallere: sunt quidem nonnulla, ad structuræ formam præcipue spectantia, quorum subtilior quædam est ratio; fit etiam interdum, ut quæ magnam vim habent, et facile animo concipi possunt, eadem tamen difficiles habeant explicatus; dum contemplaris, satis clare forsan apparent; si manibus contrectes, sâpe videntur evanescere. Cum vero ad rem nostram præcipue pertinet, vestra, Academici, fre-

tus indulgentia, tentabo si quod harum elegantiarum specimen possim exhibere.

Primum itaque advertat Lector, quam violenter erumpit jamdudum inæstuans præcordiis diuque compressus Jobi dolor :

יְאָבֶד יּוֹם אֹלֵד בָּנוֹ
וְהַלִּילָה אָמַרְתָּ הָרָה גָּבָרָה :

“ Pereat dies, nasciturus eram in eo ; [i. e. quo
“ nasciturus eram]

“ Et Nox [quæ] dixit, Conceptus est vir.

Attendat primi versiculi concisam et præcipitem structuram ; tum vero in sequente audacem illam Figuram, et constructionem adhuc præruptiorem. Reputet modo secum, an tam acris et contorta locutio in ulla soluta oratione aliquo modo ferri potuisset ; aut etiam in versu, nisi subesset eamque sustentaret πάντας gravissimum. Et tamen agnoscat, credo, valde perspicuam esse hujuscè periodi sententiam ; imo vero tantam habere evidentiā, ut, si plenior et explicatior efficeretur, eo minus apte clareque mentem atque affectum loquentis exprimeret. Opportune accidit, ut id experiri possimus ; est enim apud Jeremiam locus huic similis ac plane geminus, ita ut videri possit ex hoc ipso exscriptus. Idem est sensus, nec voces multum dissimiles ; sed Jeremias structuræ ellipses supplevit, locutionem Jobi præfraciorem complanavit, et breve distichon dilatavit in duo paria versuum longiusculorum, quibus ille multum utitur.²

¹ JOB. III. 3.

² JER. XX, 14, 15.

אָרוֹר הַיּוֹם אֲשֶׁר יִלְדַּתִּי בָּו
 יוֹם אֲשֶׁר יַלְדַּתִּי אַמֵּי אֶל יְהִי בָּרוּךְ:
 אָרוֹר הָאִישׁ אֲשֶׁר בָּשָׂר אֶת אָבִי
 לְאמֹר יָלֵד לְךָ בָּן זָכָר שְׁמַחְהוּ:
 “ Maledictus sit dies ille, in quo natus sum !
 “ Dies, quo peperit me mater mea, sit nefastus !
 “ Maledictus sit vir ille qui nuntiavit patri meo,
 “ Dicens, Natus est tibi filius mas, magno eum
 “ gaudio affecit.

Ita fit, ut Jeremiæ imprecatio plus habeat querimoniæ quam indignationis ; lenior est, remissior, flebilior, ad miserationem concitandam præcipue comparata, in quo affectu Vates ille plurimum pollet : cum Jobus non tam misericordiam moveat, quam incutiat terrorem.

Sed progrediamur paulum ; et ut omittamus, quæ satis manifesta sunt, sententias densas, parum inter se connexas, vi atque impetu quodam ex ardenti pectore erumpentes ; verba grandia et magnifica, quæ præcipiti facundia devolvit indignatio ; quorum hic habemus quatuor¹ intra bis totidem versiculorum spatum, quæ videntur omnino esse Poetica ; sane ex his vocibus duæ in Poeticis passim extant et alibi nusquam, reliquæ sunt adhuc insolentiores : his, inquam, ne immoremur, quid sibi vult ea non jam, ut prius, decurtata brevitas, sed redundantia orationis ?²

הַלִּילָה הַהּוּא יִקְהַחְוּ אֶפְלָל

“ Nox illa — occupet illam caligo.
 In hoc etiam vehementis affectus animique perturbati

¹ Vers. 4, 5, 7. צְלָמוֹת, כְּמַרְיִי, גַּלְמָז.

² Vers. 6.

indictum est. Erat ei nimis in animo primum sententiam tali forma efferre ;¹

הַלִּילָה חַהוֹא יְהִי אֲפָלָה

“ Nox illa sit Caligo !

sed cum jam ingressus esset, id subito arripuit quod animosius et intensius videbatur. Quod nescio an possim melius illustrare, quam si adducam Horatii locum, ubi poetæ indignanti plane similis excidit αγαναλεψία. ²

“ Ille et — nefasto Te posuit die

“ Quicunque primum et sacrilega manu

“ Produxit, Arbos, in nepotum

“ Perniciem opprobriumque pagi —

“ Illum et parentis crediderim sui

“ Fregisse cervicem, et penetralia

“ Sparsisse nocturno cruento

“ Hospitis ; ille venena Cholcha,

“ Et quicquid usquam concipitur nefas,

“ Tractavit.

Nam proculdubio ita exorsus est poeta ac si sententiam suam hac forma esset explicaturus : “ Ille et parentis sui fregit cervicem, et sparsit penetralia cruento hospitis ; ille venena tractavit, quicunque Te posuit, Arbos ! ” — sed verborum ordinem et rationem constructionis penitus ei ex animo excussit iracundia et stomachus. Quod si hic nobis praesto esset officiosus aliquis Grammaticus, ut est genus hominum diligens, et interdum plus satis curiosum ; et poetæ etiam, laboranti et impedito, subsidio veniens, loco suam integritatem scilicet et nitorem restitutum iret ; periret protinus exordii

¹ Vide v. 4.

² LIB. II. ODE XIII.

pulcherrimi decor, omnis ille impetus atque ardor plane
frigesceret et restinguatur.

Sed ad Jobum redeamus :

הנה הלילה והוא יהי גלמוד

“ Ecce ! Nox ista sit desolata !

videtur formam quandam atque imaginem istius Noctis
ante oculos positam coram intueri, eamque quasi digito
demonstrare. “ ² דָלְתִי בָטְנִי ” “ ostia ventris mei,” pro
dem ellipsis facile supplenda, sed quam nemo animo
tranquillo ac sui compos hoc modo periclitari vellet. Ne
longior sim, unum præterea proferam locum, sub finem
hujusce orationis. ³

לְמַה יִתְןַ לְעֵמֶל אֹר
וְחַיִם לְמַרְיָ נַפְשׁוֹ
הַמְחַכִּים לְמוֹת וְאַינְנוּ
וַיְחַפֵּרוּ מִמְטָמוֹנִים :
הַשְׁמַחִים אֶלְיָ נִיל
יְשִׁישׁוּ כִּי יִמְצָאוּ קָבֵר :
לְגָבָר אֲשֶׁר דָרְכוֹ נִסְתָּרָה
וַיִּסְךְּ אֱלֹהָ בְּעֵדוֹ :
כִּי לְפָנֵי לְחָמֵי אֲנַחְתִּי תְּבָא
וַיַּתְכּוּ כְמִים שָׁגַתִּי :

“ Quianam dabit ærumnoso lucem,

“ Et vitam amaris animæ ?

¹ III. v. 7.

² v. 10.

³ v. 20, ————— 24.

“ Qui avide expectant mortem, et nulla est ;
 “ Eamque effoderent præ thesauris abditis :
 “ Qui lætantur usque ad exultationem,
 “ Triumpharent gaudio si invenirent sepulchrum :—
 “ Viro, cuius via e conspectu Dei remota est,
 “ Et cui aditum ad se præclusit Deus ?
 “ Nam cibum meum perpetuo præveniunt mea
 “ suspiria,
 “ Et pariter cum potu effunduntur rugitus mei.

Admirabilis est tota hujusc loci compositio : singula attingamus breviter. “ Quianam dabit ærumnoso lu-
 “ cem ? ” — Quis autem dabit ? nimirum Deus, quem
 in animo habuit, sed haud advertit, nullam de illo in
 præcedentibus factam esse mentionem. De miseris ge-
 neratim atque universe videtur loqui ; sed ea præcipiti
 quadam argumentatione ad se subito transfert, “ Nam
 “ cibum meum præveniunt mea suspiria ; ” unde patet
 omnia hacenus dicta speciatim de seipso esse intelligen-
 da. De singularibus transit ad pluralia, et contra ite-
 rum ; interposita tamen prius insigni amplificatione,
 qua desiderium mortis exprimit, cuius est vis et audacia
 plane singularis ; tum denique sententiam priorem, quam
 absolvisse videbatur, ex improviso arreptam resumit et
 continuat. Ex quibus omnibus satis, opinor, patet,
 æstum et perturbationem loquentis non magis felici qua-
 dam sensuum atque imaginum audacia, ac verborum
 etiam pondere, quam ipso totius orationis habitu gestu-
 que exprimi.

Quod in hoc loco insigni demonstrare hacenus cona-
 tus sum, id in universa Hebræorum poesi, habita re-
 rum et materiæ ratione, præcipue obtinere existimo ;
 nimirum, illam uti charactere quodam dictionis admo-
 dum

dum actuoso atque ardenti, et ad notandos animorum motus nato. Hinc est quod plurimis scateat dicendi formis, quas ipsorum prosa oratio plane reformidat, quæque nonnunquam videntur dure atque insolenter, ne dicam barbare, sonare; quas tamen suam habere vim et rationem, cum id nos vel maxime latet, et licet et æquum est suspicari. Porro autem erit fortasse operæ pretium in hujusmodi aliis nonnullis periculum saltem facere, si quid expediri poterit.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA:

DE SUBLIMITATE DICTIONIS.

Ut in lingua Hebræa poetici characteris sublimitas cum solutæ orationis simplicitate collata evidentius appareret, ad Jobum lectorem remisi, facile animadversurum in proœmio historico et metris proxime sequentibus, ut rerum ita etiam Dictionis magnam discrepantiam. Quod si eo in loco plane inique instituta videatur comparatio, ubi etsi pars utraque pariter vel metrice vel mero sermone fuisset scripta, tamen magnam styli diversitatem necessario postulavisset diversa materiæ ratio, age alicubi idem experiamur, ubi eadem materia et soluta oratione tractatur et poetice insuper exornatur. Cujus rei egregium exemplum præbebit Liber Deuteronomii, in quo Moses et Oratoris et Poetæ munus sustinet. Primo quidem gravissima Oratione¹ Israelitas ad pacti fœderis observantiam præmiis amplissimis propositis hortatur, et ab ejusdem violatione pœnarum maximarum interminatione deterret: quæ ut altius insiderent penitusque infixa inhærerent in eorum animis, idem deinde argumentum, ex Dei ipsius mandato, Carmine² plane divino exornat. Quibus in locis omnino cernitur, si quid usquam habent

¹ DEUT. Cap. xxviii. xxix. xxx. xxxi.

² DEUT. xxxii.

Hebræi in diversis generibus vehemens, grande, magnificentum; quantumque vel in prosa eloquentia vel in poesi pollent: atque ita quidem, ut simul videre possimus, quid inter utramque interfit, in sensibus, in imaginibus, in materiæ dispositione, in habitu denique et colore Dictionis. Qui itaque propriam indolem ac genium elocutionis poeticæ apud Hebræos penitus perspectam habere velit, hos locos diligenter inter se conferat; videat quantum interest inter genus illud orationis grande quidem, vehemens, exaggeratum, sed simul ordinatum, fusum, tractumque, et in illo impetu et violentia æquabiliter tamen profluens; et has poeseos acres, incitatas, et vibrantes sententias, sensibus elatas, verbis ardentes, compositione novas, constructione varias; dum Vatis animus huc illuc identidem sese proripit, neque usquam in uno loco situque consistit. Quorum pleraque ejusmodi sunt, ut multo facilius meliusque diligens lector usu et observatione percipere et notare possit, quam quisquam aut explicata intelligere, aut intellecta explicare. Est quidem unum atque alterum in hoc insigni Carmine animadvertisendum, quod, cum ex eo sit genere, cuius in poesi Hebræa frequens est usus, magna saepè vis, ac nonnunquam perdifficilis ratio, attentiorem paulo disquisitionem postulare videtur.

Ac primum quidem quod, sumpto ex hoc Poemate exemplo, in universum notari velim, est subita ac frequens Personarum Mutatio, idque in allocutionibus; nam de variis personarum inductionibus jam antea satis tractatum est. Sub ipso carminis exordio Moses veritatem et justitiam in omnibus Dei consiliis factisque sanctissime servatam prædicat; unde arrepta occasione
in

in Populi ingrati perfidiam et flagitia ex improviso inventur; primum quasi in absentes,¹

שְׁחַת לֹא בְנֵי מוֹמָם

“ Corrupti illi filios, non jam suos, ipsorum pra-
“ vitas;

tum ipsos statim alloquitur;

דָּר עֲקָשׂ וֶפְתַּחְתָּל :

הַלִּיהוֹה תְּגִמְלֹו זָאת :

עַם נְבָלׂ וְלֹא חַנְסָט :

הַלּוֹא הוּא אָבִיךְ קָנָר :

הַוְאָ עַשְׂךְ וַיְכַנֵּן :

“ Genus perversum et distortum!

“ Hoccine ergo Jehovahe rependetis,

“ Natio stulta atque insipiens?

“ Nonne ipse pater est tuus et redemptor tuus,

“ Ipse te fecit et formavit?

Postea defervescente paulum indignatione, et re altius repetita, Dei erga Israelitas indulgentiam et affectum plusquam paternum, ex quo eos in propriam sibi gentem elegerat, perpetuo testatum pulcherrime amplificat; atque haec omnia iterum averso ab Israelitis sermone: exinde mirabiliter exaggerat ingrati atque impii populi, seu potius pecudis, stuporem et immanitatem; et quo impetu jam iterum erumpit Vatis indignatio, quæso, advertite:²

¹ Vers. 5, 6. Lectionem Codicis Hebrei in initio prioris Commissatis aliquo modo interpretari conatus sum: sed verior forsitan est Lectio, quam exhibent SAMAR. LXX. SYR.; שְׁחַת לֹא בְנֵי מוֹמָם; quam etiam partim confirmant AQUILA, VULG. SYMMACHUS.

² Vers. 15.

וַיָּשֶׁמְנָן יִשְׁרוֹן וַיַּבְעֶט
שְׁמַנְתָּה עֲבֵית כִּשְׁיָת
וַיַּתְשַׁ אֱלֹהָה עֲשָׂהוּ
וַיַּגְבֵּל צָרָד יְשֻׁעָתוֹ:

“ At saginatus est Jeshurun et recalcitravit ;
“ Saginatus fuisti, incrassatus, adippe obducto coo-
“ pertus !
“ Et deseruit Deum Creatorem suum,
“ Et Rupem salutis suæ vilipendit.

In una brevi sententia ex abrupto ad Israelitas conversa, et ab iisdem denuo aversa oratio, admirabilem vim habet; fervida est, vehemens, aculeata, plenissima odii et indignationis. Digna sane est, quæ cum hoc Mosis loco conferatur illa Virgilii, quanquam minus ardens, imprimis tamen ingeniosa Apostrophe, qua Prodigiori suum crimen exprobrat, simulque a Rege crudelitatis invidiā amovet :

“ Haud procul inde citæ Metium in diversa qua-
“ drigæ
“ Distulerant : at tu dictis, Albane, maneres :
“ Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
“ Per sylvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.

Possim ulterius procedere, et ejusdem rei exempla, plura quidem ex hoc ipso carmine proferre, aliunde innumera congerere, quorum varia est vis et ratio : verum hæc sufficiunt ad demonstrandum, magnam saepe in hoc genere vim inesse, in vehementioribus affectibus exprimendis, et in notandis subitis illis motibus et incitatissimis animi conversionibus, sepe huc illuc paulo mo-

mento impellentis, et in varias partes rapientis. Qui autem in Hebræis carminibus diligenter versabitur, is facile animadvertiset, multo plura hujusmodi, ac perpetuo fere, occurrere, quam quæ ullo modo ferre posset vel Græca, vel Romana, vel nostra denique poësis: ex his multa esse quorum difficilior est ratio, quorum consilium et vis, si singulatim ea expendimus, ægre explicari aut etiam percipi potest. Quod etsi omnino verum est, non tamen idcirco existimandum est protinus, ea ipsa, quæ maxime obscura sunt, absurdâ esse, nullamque in universo genere vim et effectum obtinere in distinguenda dictione, in sustentando spiritu poetico, in formando illo Charactere, qui, quantumcunque a nostra consuetudine abhorret, est tamen in suo genere probandus. Attendenda est poëeos Hebrææ propria indoles; libera est, animosa, plena fervoris et audaciæ: poeticam quasi proprium quendam sermonem esse, quo Affectus loquuntur, existimant Orientales; adeoque in eo sermone si omnia recte et ordinate exprimantur, si ad certas regulas anxie et subtiliter omnia expendantur, id demum fore longe ineptissimum, omnique Solœcismo multo absurdius.

Alterum est, quod, ut in hoc Poemate, ita in omni fere Hebræorum poësi observari potest: Temporum nimirum ratio a vulgari consuetudine sæpius mutata. Hujus rei plerumque finis est Evidentia, sive in narrationibus vel descriptionibus illustrior rerum repræsentatio. Itaque omnibus linguis, cum in poësi tum in oratione soluta, familiaris est eventuum sive Præteriorum sive Futuronum in Præsenti tempore enunciatio: quo fit, ut quæ verbis explicantur, ea quodammodo cernere videamus; nec tam retro respicere, aut in futurum providere,

quam ante oculos posita coram intueri. Sed in hoc genere linguæ Hebrææ peculiaris quædam est ratio. Nam Hebræorum Verba nullam habent formam, qua Tempus Præsens Imperfectum, sive Actio jam instans, proprie exponi potest; id fit per Participium solummodo, vel per Verbum Substantivum subintellectum, quorum neutrum in hujusmodi locis usu multum obtinuit, aut semper commode admitti potest. Alio itaque modo eundem finem consequuntur; nam Evidentiæ gratia Futura sœpe exponunt in Temporis Præteriti, seu potius Præsentis Perfecti, forma, quasi jam peracta sint et eventum suum habuerint; contra Præterita in Futuro enunciant, quasi jam agenda instarent et ad eventum festinarent. Ac prioris quidem constructionis, nimirum ubi Futura in Præteriti Temporis forma expoununtur, et ratio et effectus exemplo proposito facile sentietur.

Moses cœlesti mentis instinctu prospiciens nefariam illam divini cultus derelictionem, in quam mox conjuratura erat perfida Israelitarum natio, ita eorum crimina infectatur, quasi se præsente et inspectante jam antea commissa:

שָׁחַת לֹא בְנֵי מֹמֶךְ

“Corrupit illi filios, non jam suos, ipsorum præ-
“vitas :

ita loquitur quasi ipse testis esset eorum impietatis, et nefandis illis sacris, quibus religionem a se divinitus institutam aliquando violaturi erant, interfuisset. Qua anticipatione nihil potest esse efficacius ad res clare et evidenter demonstrandas, et pene sub aspectum subjiciendas: adeoque in Poesi Prophetica sœpissime locum habet. In hoc, ut in cæteris, admirabilis est Isaías : attendite

attendite modo quam clare exposuit iter Senacharibi adversus Hierosolymam, variasque exercitus stationes; utque rerum gerendarum prædictioni eam evidentiam et lucem intulit Vates, quam in gestarum narratione vix consequi potuisset Historicus.¹

בָּא עַל עֵית עֲבָר בְּמִגְרוֹן
לְמִכְמֵש יְפָקֵיד כָּלָיו :
עֲבָרוּ מִעֲבָרָה גְּבֻעָה מְלוֹן לְנוּ
חֲרֵדָה הַרְמָה גְּבֻעָת שָׁאוֹל נְסָחָה :
צָהָלִי קוֹלֶך בָּת גְּלִימָה
הַקְשִׁיבִי לִישָׁה עֲנֵיה עֲנֵתָות :
נְדָדָה מְדִמָּנָה יְשִׁבָּי הַגְּבִים הַעֲזָוָה :
עָוֹד הַיּוֹם בְּנֵב לְעָמָר
יַנְפָּח יְדוֹ הַר בֵּית צִיּוֹן גְּבֻעָת יְרוּשָׁלָם :

“ Venit Aiatham ; transiit per Migronem ;
“ Michimæ commisit impedimenta sua :
“ Superârunt transitum ; Geba illis mansio ;
“ Trepidavit Rama ; Gibeä Sauli fugit :
“ Ede ejulatum, O Filia Gallimorum ;

¹ ISAI. x. 28, — 32. Commate 29. pro legendum ex-
istimo cum PARAPH. CHALD. Quomodo cæteri plerique le-
gerint, haud satis liquet: perinde est ad sensum; ad phraseos ele-
gantiam haud parum, opinor, interest. Commate 30,
עֲנֵיה עֲנֵתָות, alludit Epithetum ad significationem nominis; tanquam si diceret,

“ Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Quod ea de causa noto, ut si quis intelligere velit, quantum ament Prophetæ, et in primis Isaias, hujusmodi elegantias, consulat locos sequentes: ISAI. v. 7. XIII. 6. XXIV. 17. XXVII. 7. XXXIII. I. LVII. 6. LXI. 3. LXV. II, 12. JER. LI. 2. EZEK. VII. 6. HOS. IX. 15. AMOS. V. 5. MIC. I. 10, — 15. ZEPH. II. 4. VID. etiam GEN. IX. 27. XLIX. 8, 16, 19.

“ Attende

“ Attende Laisam versus, O afflicta Anathotha !
 “ Migravit Madmena ; Gebimenes confugerunt.
 “ Adhuc hodie Nobæ ei subsistendum est ;
 “ Agitabit manum in montem Filiæ Sionis, collem
 “ Hierosolymæ.

Ita denuntiatur a Joele, et quasi jam immissa describitur,
 Pestis Locustarum : ¹

כִּי גֹוי עַלְהָ עַל אֶרֶץ
 עַזּוּם וְאֵין מַסְפֵּר :
 שְׁמָנִי לְשָׁמֶה :
 וְתַאֲנִתִי לְקַצְפָּה :
 חַשְׁפָּחָה וְחַשְׁלִיךְ
 הַלְבִּינוֹ שְׁרִיגִיה :
 שַׁדְדָר שְׂדָה אֶבְלָה אֶדְמָה

“ Nam invasit terram meam natio ;
 “ Robusta atque innumerabilis :
 “ Vitem meam desolatam reddidit,
 “ Et ficum meam decorticavit :
 “ Penitus nudavit eam, et abjecit ;
 “ Dealbati sunt ejus palmites.
 “ Vastatus est ager, luxit terra : —

De eventu futuro loquitur : nam eandem devastacionem, quam hic depinxit Vates evidentiæ causa quasi jam illatam, in sequentibus ² sub alia imagine quasi postmodum inferendam, nisi populum flagitorum pœniteret, interminatur. Hac itaque ex parte Hebraæ linguae idem fere est usus ac cæterarum : quæ alii scriptores evidentiæ gratia, quanquam futura, in tempore

¹ JOEL I. 6, 7, 10, &c.

² JOEL. II.

Præsenti Imperfecto exponunt, ea Hebræi in Præsenti Perfecto efferunt: quod ad claram rei repræsentationem pariter valet.

Ex altera autem parte multum fane ab aliorum consuetudine videntur abhorrere: nimirum cum Præterita in Temporis Futuri forma enunciant: atque ea res magnam habet difficultatem. Si adeamus Interpretes, ii nodum non modo non expediunt, verum etiam dissimulant; Temporum rationem quantum possunt ad rem de qua agitur accommodantes, et ex suo sensu potius quam ex Grammaticæ legibus, aut ex ulla certis principiis, expromentes. Si Grammaticos consulamus, nihil proficimus magis: rem quidem notant, sed nec explicant, neque tamen suam ignorantiam profitentur; Græco enim vocabulo nobis fucum faciunt, nescio quam Temporum Enallagen semper in promptu habentes, qua, ne nihil dicant, occurrant quærentibus; quasi scilicet temere et sine ulla ratione aut causa fieret Mutatione; quo nihil absurdius aut insulsius concipi potest. Quin hujusmodi omnia suam vim habeant et proprietatem, dubitari omnino nequit; quod ex his multa obscura jam sint et impedita, in tanta linguae Hebrææ vetustate minime est mirandum: quibus tamen ipsi aliquia fortasse lux nonnunquam induceretur, si diligenter attenderemus, quoniam esset Scriptor mentis habitus situs cum ea ederet; quas apud animum suum rerum imagines tum conciperet. Est apud Mosen in eadem illa Ode hujuscæ constructionis insigne exemplum. Postquam mentionem fecit divini decreti, quo Israelitæ in proprium Dei populum electi sunt, pergit exponere, quo eos amore et caritate, inde ab eo tempore, cum ab Ægypto eos liberaret, amplexus esset Deus, in solitudine

dine pasceret, per deserta manu duceret, ac veluti in finu portaret; quæ omnia, quanquam manifeste Præterita, tamen in Futuri Temporis forma efferuntur.¹

מִצְאָהוּ בָּאָרֶץ מִדְבָּר

וּבְתַחֲיוֹ יְלֵל יְשֻׁמָּן:

יְסַבְּבָנָהוּ יְבוֹנוֹנָהוּ

יְצַרְנָהוּ כָּאִישׁוֹן עַינָּו:

“Inveniet eum in terra deserta,

“Et in vasta ejulanti solitudine :

“Circumdabit eum, edocebit eum ;

“Custodiet eum tanquam pupillam oculi sui.

Quod anne ex eo explicari possit, quod Moses sese finit in re præsenti interesse, cum Deus Populum suum a reliquis gentibus jam segregaret, atque inde tanquam ex specula quadam contemplari, quid ex eo consilio tum esset continuo consecuturum ? Ita fane nonnullis in locis se res habere videtur; ut in Psalmo illo Historico Asaphi nomine inscripto plus semel. Postquam Populi perfidiam et delicta in ipso pene egressu ex Ægyptiaca Servitute commissa exposuit Vates, clementiam Dei et Israelitarum denuo repetita flagitia animo quasi prævenit, et veluti mox futura prædictit.²

I D E U T. XXXII. IO. “In Codice s A M A R . hoc modo legimus :

אָמַצָּהוּ בָּאָרֶץ הַמִּדְבָּר

וּבְתַחֲלָלוֹת שְׁמוֹנָהוּ :

“i. e. secundum Versionem Latinam, *Confortavit eum in terra deserti, atque in jubilationibus pinguiser sustentavit eum*: quod hic profertur eum solummodo in finem, ut cum Hebræo conferri et expendi possit.” H. Vide H O U B I G A N T . in loc.

2 P S. LXXVIII. 38, 40.

וְהִיא

וְהוּא רֹחוֹם יִכְפֶּר עָוֹן וְלֹא יִשְׁחַת
 וְהַרְבָּה לְהַשִּׁיב אֲפֹו
 וְלֹא יִעַר כָּל חַמְתוֹ:
 כִּמֵּה יִמְרוּהוּ בָּמְדֻבָּר
 עַצְיָבוּהוּ בִּישִׁימֹוּ:

“ Ille tamen misericors condonabit iniquitatem,
 “ nec perdet;
 “ Sæpius avertet iram suam,
 “ Neque excitabit omnem suam indignationem.—
 “ Quomodo jam irritabunt eum in deserto,
 “ Discruciaabunt in solitudine !

Hujus etiam constructionis admodum elegans exemplum præbet Psalmi Centesimi quarti tota dispositio: Vates enim Dei magnitudinem et sapientiam prædicans ex rerum naturæ constitutione ac conservatione, opera Creatoris, facta ipsa ac decreta, quasi illi jam primum omnia ordinanti ipse adesset, in præsenti tempore enunciat; eorundem autem consequentia, variosque usus, et causas quas vocant finales, veluti ea inde a principio prospiciens in posterum, in Futuro exponit.

Quanquam autem hæc atque hujusmodi alia modo quo dixi satis commode explicari posse videantur; restant tamen adhuc quamplurima quæ eodem referri nequeunt, et in quibus non tam respiciendus est situs ille atque habitus animi, quem sibi nonnunquam inducit Scriptor, quam linguæ ipsius propria quædam natura atque indoles. Nam Hebræi videntur sæpenero ita usurpare Futuri Temporis formam, ut non tam ipsius loquentis habeat rationem, quam rei de quæ proxime loquutus est: quæ itaque aëtio alteri actioni connexa est et consequens, vel quæ seipsum consequitur,

tur, iterata nimirum aut continuata; quod quis facit et pergit facere; quod frequenter, assidue, certatim, sedulo facit; id efferunt quasi Futurum. Quam ob causam Formam hanc Grammatici יתע appellant; quasi dicas, promptam, expeditam, imminentem. Cujus rei exempla possem proferre haud pauca ex locis alias ob causas antehac laudatis: ut ¹ ex elegantissima Prosopopœia Matris Siferæ; ex ² Allegoria Vitis ex Ægypto educata; ex ³ Comparatione petita ab Aquilæ paterna pietate et solicitudine in hoc ipso Mosis Cantico: quorum omnium vim sentiet credo attentus lector, sed haud facile exprimet diligentissimus interpres.

Quod si ita uti dixi se res habeat; si hujusmodi insolentior constructio, vel ex subito aliquo motu loquentis, novoque animi situ inducto proveniat, vel aliam aliquam vim peculiarem habeat secum conjunctam, ex rei ratione aut ex linguæ ingenio quærendam; vix fieri potest, quin multo frequentius in poetica dictione quam in vulgari sermone occurrat, cum sit ad poeseos naturam, ad mobilitatem, et varietatem, et ad impetum exprimendum valde accommodata; a temperatione et lenitate solutæ orationis, uno atque eodem tenore plerumque profluentis, paulo alienior. Adeoque qui in Hebræorum poesi diligenter versabitur, seseque exercebit in percipiendo ac distinguendo styli charactere, vix quicquam inveniet, si sententiarum conformatiōnē excipiāmus, quod eum a mero sermone evidentius discriminat. Quanquam enim hoc genus non ita abhorret a prosa oratione, ut non unum atque alterum inde exemplum

I J U D . V . 29.

2 P S . LXXX . 9 , 12 , 14 .

3 D E U T . XXXII . 11 .

aliquando

aliquando liceat depromere, ¹ tamen ejusdem frequentior ac liberior usus pro certa Poeticæ Dictionis nota merito, ni fallor, haberi potest.

Hæc autem atque alia hujusmodi quantum vim habent in distinguenda Hebræorum Dictione Poetica, et in conservanda elocutionis sublimitate et splendore, ex pauculis exemplis prorsus demonstrari aut percipi posse minime est existimandum; neque vero, id ut efficeretur, in me suscepi: erat solummodo consilium, unum atque alterum ex iis notare, quæ hoc curriculum ineuntibus occursura erant, quæque aliquam cogitationem et curam viderentur postulatura. Universæ formæ comprehensio, et coloris poetici perfecta cognitio, nec præceptiunculis contineri, nec via et arte tradi potest: usum et exercitationem cum aliqua judicandi solertia conjunctam desiderat.

¹ Hactenus mihi animadversa sunt solummodo sequentia: JUD. II. I. (sed vide H O U B I G A N T. in loc.) et XXI. 25. I. SAM. XXVII. 9, II. II. SAM. XII. 31. I. REG. XXI. 6. I. PARALIP. XI. 8. Vide etiam PETERS in JOB. p. 202.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA:

DE SUBLIMITATE CONCEPTUUM.

QUÆ in Sensibus unice posita est Sublimitas, nulla Dictionis habita ratione, (ea enim species quam ad Dictionem retulimus, utpote cum qua arctiori quadam necessitudine conjuncta est, ultimo quidem ad Sensus etiam plerumque referri possit; quæ autem Sublimitas proprie est Sensuum,) ea oritur, vel ex insita quadam animi elatione, et felici audacia in formandis conceptibus; vel ex violento impetu mentis vehementioribus affectibus commotæ: quorum alterum vocat Longinus τὸ μὲν τὰς νοητικὰς ἀρπαγὰς, alterum τὸ σφράγον καὶ εὐθεστασίαν παῖδες appellat. Utrumque ita in hoc argumento usurpamus, atque ita Sacris Vatis tribuimus, ut nihil derogemus Divini Spiritus afflatui: et si suam interea vim propriæ cuiusque scriptoris naturæ atque ingenio concedamus. Neque enim instinctu divino ita concitatur Vatis animus, ut protinus obruatur Hominis indoles: attolluntur et eriguntur, non extinguntur aut occultantur, naturalis ingenii facultates; et quanquam Mosis, Davidis, et Isaiæ scripta semper spirent quiddam tam excelsum tamque cælestis, ut plane videantur divinitus edita, nihilo tamen minus in iis Mose, Davidem, et Isaiam semper agnoscimus.

Quæ

Quæ ex priore illo genere oritur Sublimitas, nimirum ex audaci spiritu et animi elatione, sive ingenita sive etiam divinitus infusa, ea tribus in rebus præcipue certinatur: primo in excelsis magnisque Rebus concipiendis; tum in delectu Adjunctorum, quorum pondere et magnitudine earum descriptionibus vis et elatio accedit; postremo in Imaginum splendore et magnificentia, quibus eadem cum suis adjunctis illustrantur. Quibus omnibus Vates Hebræi unice eminent et excellunt. Rerum ipsarum et Conceptuum magnitudinem quod attinet, non modo cæteros omnes scriptores post se relinquunt, sed et cancellos etiam humano ingenio circumscriptos longe transcendunt. Dei magnitudo, potentia, justitia, immensitas; divinorum factorum et consiliorum infinita sapientia, argumenta sunt, in quibus perpetuo et semper digne versatur, in quibus plane triumphat, Hebræorum Poesis. Reputemus modo quanto intervallo ab iis distant, cum in his rebus versantur, Poetæ exteri; quam longe infra materiæ dignitatem cadunt excelsissima quidem, sed humana, ingenia; et Hebrææ Poeseos non modo singularem Sublimitatem agnoscemus, verum etiam adorabimus Divinitatem. Neque vero solum in rebus et Conceptibus, in quibus versatur Poesis Sacra, ea ineſt magnitudo, quæ quomodounque explicata suam habebret vim et dignitatem; sed et valde admirabilis est etiam modus, quo conceptus menti ingeruntur, rerumque descriptiones adornantur; sive Adjunctorum delectum spectemus, ex quibus ad rerum magnitudinem cumulus quidam accedit; sive Imaginum amplitudinem, quibus ea quæ ab sensibus nostris sunt remotissima ita explicantur, ut, quanquam humanitus adumbratæ, suam tamen divinitatem retineant. Et quoniam Vatum sacrorum

Subli-

Sublimitas satis magna copia exemplorum diversi generis antehac illustrata est, sufficiat in illorum accessionem pauca hic apponere, quæ pertinent ad ea quæ jam dixi illustranda; ex eis nimirum locis petita, in quibus Divina Majestas exprimitur.

Ac primum quidem Dei Creatoris Potentia in rerum universitate condenda qua magnificentia exponitur! Quo fane in loco religio est præterire toties laudatum illud Sacri Historici, in quo rei et Conceptus magnitudinem (nihil autem majus mens humana potest concipere) commendat brevitas et simplicitas Diæctionis:² זיאמר אלהים³ : “*Dixit Deus, Esto lux, et fuit lux.*” Quantum addideris verbis, tantum de sublimitate detraxeris: nam potentiam divinam non aperte declaratam animus protinus colligit et melius ex effectu; rei magnitudine multo magis percussus eo quod ex se ipse eam concepisse videatur. Id ipsum poetice exprimunt Vates, nec minori cum vi et magnificentia. Excitantur res omnes creatæ ad celebrandas Dei laudes:

יְהֹלָלו אַת שֵׁם יְהוָה

כִּי הוּא צָוָה וּנְבָרָא;

“*Laudent nomen Jehovæ;*

“*Nam Ille jussit, et creatæ sunt.*

Et alio in loco: ³

כִּי הוּא אָמַר וַיֹּהִי

הָוּא צָוָה וַיַּעֲמֹד;

“*Nam Ille dixit, et fuit;*

“*Ille jussit, et constituit.*

¹ GEN. I. 3.

² PS. CXLVIII. 5.

³ PS. XXXIII. 9.

Idem argumentum sæpe explicant latius, additis pluribus Adjunctis, variisque Imaginibus inductis, ad illustrandam descriptionem: quæ an faciant pro rei magnitudine et dignitate, et sine imminutione sublimitatis, ex uno alteroque exemplo de pluribus aliis facite conjecturam.¹

אִיפָה הַיְתָ בִּסְדֵי אָרֶץ
 הָנֶד אָם יְדֻעַת בִּינָה:
 מֵ שֵׁם מִמְדֵיה כִּי תְדֻעַ
 אוֹ מֵ נְטָה עֲלֵיה קוֹ:
 עַל מָה אַדְנִיה הַטְבָעוֹ
 אוֹ מֵ יְרָה אַבָן פְנַתְחָה:
 בָּרוֹן יְחִיד כּוֹכְבֵי בָקָר
 וַיְרִיעַו כָל בְנֵי אֱלֹהִים:
 וַיַּסְךְ בְּדָלְתִים יִסְמַךְ
 בְגִינְחוֹ מְרַחַם יִצָא:
 בְשָׂומֵי עַנְן לְבָשָׂו
 וַעֲרָפֵל חַתְלָתוֹ:
 וַאֲשָׁבָר עַלְיוֹ חַקִּי
 וַאֲשִׁים בְּרִיחַ וּדְלָחִים:
 וְאָמַר עַד פָה תְבוֹא וְלֹא חַסִיף
 וְפָא יְשִׁית בְגָאוֹן נְלִיךְ:

“Ubinam fuisti cum fundarem terram?
 “Indica, si intelligentia polles.
 “Quis disposuit mensuras ejus, quandoquidem
 “nôsti;

I J O B. XXXVIII. 4, —— II.

N

“Aut

“Aut quis super eam extendit lineam ?
 “Quonam demersæ incumbunt bases ejus ;
 “Aut quis posuit lapidem ejus angularem ?
 “Quum simul ovarent stellæ matutinæ ;
 “Unaque clangerent omnes filii Dei.
 “Et foribus occlusit mare ?
 “Cum erumperet, ex utero exiret :
 “Cum involverem illud indumento nubis,
 “Et fascia densæ caliginis :
 “Et diffrigerem illi decretum alveum,
 “Poneremque repagula et valvas :
 “Diceremque, huc usque veni, nec progreditor ;
 “Et hic obstaculum esto tuorum fluctuum su-
 perbiæ.

מֵ מֶדֶד בְּשָׁעַלְוֹ מִים :

וּשְׁמִים בְּזֹרֶת תָּכֵן
 וְכָל בְּשָׁלַשׁ עַפְרַת הָאָרֶץ :
 וּשְׁקָל בְּפֶלֶם הָרִים
 וּנְבָעוֹת בְּמַאוֹגִים :
 שָׂאו מְרוּם עַיִנִים
 וּרְאוּ מֵי בְּרָא אֱלֹהִים :
 הַמּוֹצִיא בְּמִסְפֵּר צְבָאָם
 לְכָלָם בְּשֵׁם יְקָרָא

מְרֻב אֲוֹנִים וְאָמִין כֵּחַ אֵישׁ לֹא נָעַדר :
 “Quis mensus est pugillo suo aquas ;
 “Et cœlos palmo aptavit ;
 “Et comprehendit triente pulverem terræ ?
 “Et ponderavit trutina montes,
 “Et colles bilance ?

“ Attollite in sublime vestros oculos,
 “ Et contemplamini, quis creavit ista :
 “ Qui educit numero exercitum eorum,
 “ Eaque omnia nominatim appellat ;
 “ Præ magnitudine virium et robore potentiaæ, ne
 “ unum deest.

Videlis, Academicæ, potentiam ac sapientiam Divinam in rerum naturæ constitutione et gubernatione testatam, opera ipsa ac facta Creatoris, magnam præbere Adjunctorum et Imaginum copiam, quæ valde grandia sunt nec argumento indigna. Verum aliter se res habet, quando agitur de Attributis Dei in se spectatis, generatim et abstracte, sine ulla particulari inductione aut amplificatione operationum et effectuum exinde profluentium. Hic penitus absorbetur mens humana, planeque obruitur, veluti in profundam quandam voraginem demersa ; et frustra conatur aliquid apprehendere, quo sese expedire et extrahere possit. Sed ex rei difficultate æstimamus ejus magnitudinem ; dumque animus laborat id complecti quod ejus angustiæ non capiunt, is ipse labor atque irriti conatus incredibilem quandam granditatem exprimunt. Quam ob causam valde sublimis est sequens locus, cum ad immensam rei magnitudinem summo nisu contendere videatur, quanquam eam assequi non possit ; iis Imaginibus utens, quæ minime quidem sunt ei adæquatæ, quibus tamen majus nihil universa natura suppedavit :

יהוה בהשדים חסוך
אמונתך עד שחכים :

I P S. xxxvi. 6, 7.

N 2

צְדָקַת

צְדָקַתְךָ כְּהֶרְרוִי אֵל
מִשְׁפְּטִיךָ תְּהוֹם רַבָּה :

“ O Jehova, ad cœlos pertingit Benignitas tua ;
 “ Veritas tua, usque ad nubes :
 “ Justitia tua instar montium validorum ;
 “ Judicia tua Abyssus magna !

Verum in hoc genere nihil est majus, quam cum per continuam negationem descriptio instituitur; cum fit congeries maximarum altissimarumque Imaginum, quæ cum re, de qua agitur, comparatæ valde impares longe-que inferiores reperiuntur: hoc modo quaquaversum extenduntur, tandemque omnino tolluntur limites; animus deducitur paulatim in Infinitudinem, atque ingenti admiratione et jucundo quodam horrore percellitur, cum primum fese in illa immensitate expatiari persenserit. Multa sunt in sacris carminibus hujus rei exempla, quo-rum unum atque alterum cætera etiam vobis in mentem reducent. ¹

הַחֲקָר אֱלֹהָה תְּמִיצָא
אֵם עַד תְּכִלִּית שְׁדֵי תְּמִיצָא :
גְּבוֹהַי שְׁמִים מִה תְּפֻעַל
עַמְקָה מִשְׁאָול מִה תְּרַעַע :
אַרְכָּה מָאָרֶץ מִדְרָה
וּרְחַבָּה מִנִּי יִסְׁ :

“ Numquid Dei intima perveftigabis ?
 “ An invenies etiam perfectionem Omnipotentis ?
 “ Altitudines cœlorum ? quid ages ?
 “ Orco profundior ; quid cognosces ?
 “ Mensura ejus terra longior,
 “ Et latior est mari.

אנה אל מרווח
 ו Анаה מפני אברח :
 אם אסק שמיס שם אתה :
 ואצעה שאול הנך :
 אשא כנפי שחר
 אשכנה באחרית ים :
 גם שם ירד תנחני
 ותאחוני ימינך :

“ Quo discedam a spiritu tuo ;
 “ Et quo a facie tua fugiam ?
 “ Si ascendam cœlos, ibi Tu ;
 “ Et in orco cubem, ecce Te !

I P.S. CXXXIX. 7, — 10. Mihi non satisfacit Commatis noni vulgo jam recepta interpretatio; quasi exprimeretur motus continuus ab oriente in occidentem, ejusque motus velocitas cum radiorum solis velocitate compararetur. Videntur mihi hujuscce Distichi, plane sicut prioris, duo membra inter se opponi, non esse alterum alteri consequens; idque tam clare apparere ex ipsa sententiarum constructione, ut de eo dubitari non possit; transitum itaque duplum exprimi, unum ad orientem, ad occidentem alterum; fugæ denique longinquitatem, non celeritatem motus, amplificari. Ita THEODORET. in loc. Οερθρον τας ανατολας εγιλεσε, δυσμας δε της θυλακης τα εχεται τω γαρ οψι και τη βαθει το μηνος και το αλετος αποστηκε, διδυσκων το της θειας Φυσεως απειλυσφον. In voce, est, אשא כנפי שחר, in loco της θειας Φυσεως απειλυσφον. Pronomen Affixum, secundum LXX. SYR. VULG.

“ Auctor Collectionis perutilis Commentariorum Judaicorum,
 “ cui Titulus *Miclol Yophe*, ita accipere videtur hanc phrasin,
 אשא כנפי שחר,
 “ ac si esset ratio loquendi Orientalibus usitata ad no-
 “ tandem volatum five fugam in Orientem. Hæc sunt e'us verba:
 “ אשא כנפי שחר, וاعוף בהם כלומר אם אלך לקצתה המורחה
 “ Si sumam pellas Aurora, iisque volitem; i.e. si eam ad extremitatem
 “ Orientis.” H.

“Fugam capiam auroram versus;
 “Habitem in extremitate maris occidui:
 “Etiam illic manus tua ducet me;
 “Et apprehendet me dextera tua.

Exprimitur, uti videtis, notio Infinitatis; quæ tamen haud facile in animo consignatur: si simpliciter et abstracte nullaque re adjuncta exponitur, fugit intelligentiæ nostræ vim, ac pene elabitur. Confugiunt itaque Sacri Scriptores ad Adjuncta quædam et Imagines, quarum ope rei tam tenui et subtili quandam inducant soliditatem, et notionem lubricam ab intellectu ad sensus revocent. Deducunt nos per omnes spatii dimensiones; per longitudinem, latitudinem, altitudinemque; has ipsas non generalibus et confusis vocabulis designant, sed evidenti quadam mensura, eaque maxima, quam aut natura præbet, aut mens nostra recipit. Cum ultra hos limites provehitur animus, non habet quo possit consistere; in omnes partes evagatur, et rerum metas frustra conatus attingere, devenit tandem in Infinitatem: ejus species vasta atque informis, cum in animo evidenter imprimitur, quod hoc modo consequuntur Sacri Scriptores, semper magnam vim habet, et cum horrore quodam conjunctam admirationem.

Convenit etiam vel maxime ad imprimendam imaginem Divinæ Majestatis et Potentiæ acrior illa et vehementior Negatio vel Affirmatio, quæ fit per confidentiam Interrogationis; in quo eam sæpius usurpant Sacri Vates:

זאת העצה היועצת על כל הארץ
 וזהת היד הנטויה על כל הגוים:

כִּי יְהוָה צָבָאות יְעַז וְמֵי יִפְרֹך
וַיְדֹו הַנְּטוֹיה וְמֵי יִשְׁבְּנָה :

“ Hoc est decretum de omni terra consilium,
“ Et hæc est manus extensa in omnes gentes :
“ Nam Jehova Exercituum decrevit, et quis irri-
“ tum faciet ?
“ Et ipsius est manus quæ extenditur, et quis eam
“ avertet ?

ההוא אמר ולא יעשה
ודבר ולא יקימנה :

“ An Ille dixit, et non faciet ?
“ An locutus est, et non effectum dabit ?

Nec minorem vim habet simulata concessio et Ironia
ipfi Deo attributa : in quo admirabilis est ille Jobi lo-
cus :²

עדת נא גאוֹן וגבהּ
והוֹד והדר תלבש :
הפש עברות אֲפָךְ
וראה כל גאה והשפילהו :
ראה כל גאה הבניעהו
והדר רשיים תחתם :
טמנם בעפר יחר
פניהם חבוֹש בטמוֹן :
ונם אני אודך
כִּי תושיע לְךָ ימִינֶךָ :

“ Orna te, age, magnificentia et celsitudine ;
“ Et indue majestatem et gloriam :

I NUM. XXIII. 19.

2 JOB. XL. 10, — 14.

“ Effunde

“Effunde quaquaversum æstus iræ tuæ;
 “Et aspectu tuo omnem elatum deprime,
 “Aspice omnem elatum, prosterne eum;
 “Et contere impios in vestigio suo:
 “Obrue eos in pulvere pariter;
 “Invoke eorum vultus, et in obscurum demerge.
 “Tum etiam Ego tibi confitebor;
 “Cum tibi salutem præstiterit dextera tua.

Divina omnipotentia et humana infirmitas, inter se collatæ, invicem augentur: portentosa illa absurditas, quæ in rerum maxime inæqualium comparatione appareat, clarissime demonstrat illam inæqualitatem, easque plane infinito intervallo disjungit.

Cum vero Vates Sacri semper de Deo humanitus loquuntur; humanas actiones, humanos affectus, humana etiam membra illi tribuentes; qui fieri potest, ut omnino existimentur Divinam Majestatem unquam digne expressisse, ac non potius, quantum in ipsis fuit, immuniisse ac violâsse videantur? Nonne id de illis etiam verum erit, quod Homero merito vitio vertit Longinus; nimirum illum Deos suos homines fecisse, vel etiam infra humanam fortem depresso? — Verum longe aliter se res habet. Homerus cæterique vanissimis opinionibus ducti ea de Diis suis prodiderunt, quæ, utcunque absurdâ atque impia in sensu proprio accepta, vix tamen, ac ne vix quidem, possunt Allegorice intelligi: ¹ contra Vates Sacri Naturam Divinam sub humanis imaginibus adumbrant, eo quod illud necessario postulet humanæ mentis imbecillitas; eoque modo, ut quæ a rebus humanis ad Deum transferuntur nun-

¹ Vide FABRICII *Biblioth. Græc.* Lib. v. Cap. 26, §. 16.

quam proprie accipi possint. Semper remittitur intellectus ab umbra ad veritatem; neque in nuda hæret imagine, sed protinus quærit et investigat id quod in Divina natura ei imagini est Analogum; grandius quidam et excelsius, quam quod possit plane concipere aut apprehendere, sed quod animum metu quodam et admiratione percellit. Atque hoc, ni fallor, rei cujusdam satis notabilis rationem aliquantum reconditam explicabit; nimirum, cur ex iis rerum Imaginibus, quæ ad Deum transferuntur, illæ potissimum, quæ in sensu proprio acceptæ ab ejus natura alienissimæ ejusque maiestate indignissimæ viderentur, tamen in Metaphora aut Comparatione longe maximam habent Sublimitatem. Verbi gratia, quæ a Corpore et Membris humanis ducuntur, plerumque grandius quiddam habent et magnificentius, quam quæ transferuntur ab Affectionibus aut Intellectu? quæque a brutis Animalibus sumuntur, saepè sublimitate exsuperant ea, quæ petuntur ab Hominis natura. Ea enim est mentis nostræ ignorantia et cæcitas in Divinæ naturæ contemplatione, ut ejus notionem simplicem et puram nullo modo possimus attingere: semper admiscemus humani aliquid; crassiora quidem corporis adjuncta facile fecernimus, sed ægre separamus Animæ Rationalis, aut alias etiam Sensitivæ, facultates. Hinc fit, ut saepè in iis imaginibus, quæ a præstantiori hominis parte ad Deum transferuntur, acquiescamus, quasi ei proprie tribuerentur; contra, eas, quæ remotius petitæ et alienius attributæ vindentur, ultro aspernatur ac respuit cogitatio nostra, et dum continuo consequatur *το αναλογον*, semper ad aliquid admodum grande et magnificum, quanquam obscurum, consurgit. Videamus anno ita se res habeat in sequentibus:

tibus : cum Psaltes Hominis ob injuriam insperato acceptam commoti perturbationem ad Deum transfert, ea Imago nihil in se habere videtur insigniter admirabile aut excelsum : ¹

שמע אלהים ותעביר
וימאמ מאד בישראל :

“ Audivit Deus, et ira exarsit;

“ Et Israelem cum summo fastidio rejicit.

Sed cum paulo post eadem res Imaginibus multo craf-
fioribus et audacius translatis adumbratur, nihil facile
potest esse sublimius : ²

ויקץ כיישן אדני
כגבור מתרונן מײַן :

“ Tum expergefactus est Dominus veluti ex somno;

“ Tanquam Athleta præ vino in clamorem erum-
“ pens.

Eadem in sequentibus etiam videtur esse ratio, ubi ex
leonis rugitu, ex rusticarum operarum clamore, et ex
ferarum immanissimarum rabie, Imago ducitur : ³

'הוה ממרום ישאג
וממעון קדרשו יתנו קולו :
ישאג ישאג על נווה
הידר כדרכים ענה :

“ Ex alto rugiet Jehova;

“ Et ex sacrofanco habitaculo edet vocem :

“ Horrendum rugiet super sedem suam ;

“ Edet celeusma sicut calcantes uvas.

¹ P.S. LXXXVIII. 59.

² P.S. LXXXVIII. 65.

³ J E R. XXV. 30.

וְאַהֲרֹן לְהָמִים כְּמוֹ שְׁחַלְתִּי
כְּנֵמֶר עַל דָּרְךָ אֲשֶׁר:
אֲפָגָשָׂמִים כְּדָבָר שְׁכוֹלָת
וְאַקְרַעַ סְגֻור לְבָם:

“Et ero illis instar Leonis;
“Sicut pardus juxta viam infidiabor:
“Occurram illis ut ursa orbata,
“Et discerpam eorum præcordia.

Cum Imagines in se spectatæ crassum quiddam et plane
absonum spirent, tantaque materia quam maxime in-
dignum, eo citius inde abripitur animus, et ad rei ip-
sius magnitudinem contemplandam subito transit.

H O S. XIII. 7, 8.

PRAELECTIO DECIMA SEPTIMA;

DE SUBLIMITATE AFFECTUUM.

ALTERUM Sublimitatis fontem cum Longino statuimus, commotæ mentis vehementiam, et Affectuum impetum: vocat is πορφύρη καὶ εὐθυτασικόν πάθος. Videamus paulum quid sit ille εὐθυτασμός; quam vim habeat in poesi Affectuum cum concitatio, tum imitatio; quænam inter Affectus et Sublimitatem cognatio intercedat.

Dictionem poeticam germanum esse incitatæ mentis effectum, plus semel jam observatum est; ipsam etiam Poesin suam habuisse originem, habitum suum, colorrem, sonum, gestumque traxisse, ex eo quod patitur animus corpusque, imaginatio, sensus, sermo, vox, spiritus; cum Affectus vehementius concitantur. Omnis animæ humanæ Affectio, ubi imperiosius dominatur, est brevis quidam furor: cum poeta ita ingenio vel potius imaginatione valet, (εὐφαντισιωνον vocant Græci¹) ut facile quemvis animæ motum induere, ut alienos affectus in se transferre, eosque apte, vivide, fortiterque pro rei natura exprimere possit, eum Furore poetico concitari vulgo dicimus; et cum Aristotele μάνικον, cum Platone εκφρονία, εὐθεος, καὶ εὐθυτασίοντα, cum Latinis divino spiritu afflatum Deoque plenum, appellare pos-

sumus: non quasi "Dī ardorem hunc mentibus ad-
" dant," sed quod "sua cuique Deus fit dira cupido." Hanc igitur speciem *ενθεοτασμός* appellarem Naturalem, nisi viderer plane inter se repugnantia conjungere: est certe longe diversus, et altioris quidem originis, verus ille et germanus *ενθεοπασμός*, eoque nomine unice dignus, quo solummodo Hebræorum Poesis sublimior, ac maxime Prophetica, incitatur.

Porro ut vehementioribus animæ Affectibus originem suam debet poesis, ita in Affectibus exprimendis vim suam præcipue exerit, et Affectus concitando finem suum optime consequitur.

Imitatione constare dicitur Poesis: quicquid humana mens cogitatione complectitur, id omne imitatur; res, loca, imagines vel naturæ vel artis, actiones, mores, affectus: et cum omni imitatione magnopere delectatur mens humana, fieri vix potest, quin illam et delectet maxime et percellat ea imitatio, quæ ei suam ipsius imaginem exhibet, omnesque eos impulsus, flexiones, perturbationes, motusque secretos exprimit, quos in se agnoscit sentitque. Commendat imprimis hanc imitationem ipsius rei subtilitas et difficultas: habet magnam admirationem, cum cernimus id effectum dari, quod omnino vix effici posse judicamus. Cæterarum rerum descriptiones accuratas esse et naturæ congruere, memoriæ subsidio ac veluti per medium quoddam, mens tardius intelligit: cum exprimitur Affectus aliquis, rem ipsam quasi nude intuetur; ipsa per se conscientia est et sui et suorum motuum, nec rem perspicit solum, sed et vel idem vel simile quiddam statim patitur. Hinc fit, quod ea Sublimitatis species, quæ ex vehementi Affectuum impulsu eorumque imitatione oritur,

apud

apud animum humanum multo maximam vim habet: quicquid ei extrinsecus exhibetur, utcunque grande et magnificum, minus eum ut par est commovet, quam quod intus percipit, cuius magnitudinem et impetum et vehementiam ipse apud se persentit.

Utque Imitatio Affectuum poeseos perfectissimum est opus, ita per eorundem Concitationem maxime ad finem suum et effectum perducitur. Poetics finis est, Prodeesse Delectando: Concitatio autem Affectuum, per imitationem facta, est summe et utilis, et jucunda.

Utilis est in primis hujusmodi Concitatio Affectuum, si recte legitimeque fiat; nimirum si ita moveantur Affectus, ut ad suum finem dirigantur, ut naturæ consilium et rerum veritatem servent; hoc est, si excitetur mali aversatio, boni amor: quod si aliqui poetæ contra faciunt, ii sua arte pessime abutuntur. Affectiones enim principia sunt atque elementa humanarum actionum; omnes in se sunt bonæ, utiles, honestæ; et cum debite exercentur, non modo recta ducunt, sed stimulant etiam et incidunt ad Virtutem. Poeticæ partes sunt, eas incitare, dirigere, moderari, minime autem extinguere: Affectuum exercitationem, emendationem, disciplinam profitetur; id quod Aristoteles per παθηματων καρδιας unice intelligere videtur, quanquam Interpretes quidam alio sensum ejus detorserunt.

Ad hoc, eo utilior est istiusmodi Affectuum Concitatio, quod valde delectet: omnem enim Affectuum commotionem, etiam eorum qui cum dolore primitus cognationem habent, cum per imitationem fiat, summa eaque exquisita quædam voluptas semper comitatur: partim ex ipsius imitationis contemplatione orta; partim ex nostræ felicitatis cum aliorum miseriis compa-

ratæ

ratæ conscientia; præcipue vero ex Sensu Morali. Homini enim generosum quendam spiritum natura indidit, jussitque non se solum respicere, sed aliorum etiam curam et rationem habere, nihil humani a se alienum ducere. Gaudere itaque in aliorum felicitate, dolere etiam in aliorum miseriis, pietatem et benevolentiam amore amplecti, immanitatem et injustitiam odio et indignatione prosequi, id est, naturæ suæ obtemperare, rectum est, honestum, pulchrum, jucundum.

Multum quidem genere differunt Sublime et Patheticum, et tamen aliqua necessitudine inter se conjunguntur. Patheticum continet in se Affectus quos patimur, et quos concitamus. Exprimuntur aliqui Affectus sine Sublimitate; est item Sublimitas, ubi nulli Affectus exprimuntur: sed id neutquam potest esse Sublime, quod nullum Affectum concitat. Quæ ex ipsa Conceptuum atque Imaginum magnitudine oritur Sublimitas semper habet Admirationem, eamque vel cum gaudio, vel amore, vel odio, vel metu, plerumque conjunctam: id quod satis liquet ex exemplis in eo genere proxime allatis.

Quantum vero in Affectibus commovendis et ad suum finem rite dirigendis præstat sacra Hebræorum Poesis; quomodo eos in debitis objectis exercet, et veluti in suo quemlibet centro et cardine convertit; Admiratione per Divinæ Majestatis contemplationem animum percellit et incendit; Gaudium, Spem, Amorem, a rerum terrenarum et abjectarum amplexu revulsum, ad Summum Bonum traducit; Odium, Metum, Dolorem, in levioribus vitae miseriis nimis sedulo occupatum, ad Summi Mali averstationem excitat: hæc omnia neque hic loci egent explicatione, nec, quanquam cum

summa

summa Sublimitate plerumque conjuncta, et ad finem suum egregie perducta, proprie ad rem præsentem faciunt. Non enim agitur de Sublimitate quatenus concitat Affectus; sed de ea ejusdem specie quæ oritur ex vehementi impulsu, ex Imitatione sive repræsentatione Affectuum.

Atque hic campus plane immensus nobis ostenditur. Quid enim est aliud pars longe maxima Poematum Sacrorum, quam perpetua diversorum Affectuum Imitatio? quæ alia materia et argumentum tot Čarminum, quam Admiratio ex Divinæ potentiae et majestatis contemplatione orta; Gaudium ex sensu Divini favoris prosperoque rerum exitu; Iracundia et Indignatio contra impios Deique ofores; Dolor ex peccati conscientia, et poena delictorum divinitus irrogata; ex interminatione judiciorum Divinorum Terror? Neque horum omnium, aut si qui his finitimi sunt animorum motus, exempla desiderare quisquam potest, qui in Libro Jobi, in Psalmis, in Canticis aut Vaticiniis Prophetarum, velit periculum facere, vel etiam in aliquam eorum partem, nullo consilio aut delectu habito, forte inciderit. Quocirca exhibenti mihi vobis, Academici, in horum singulis breve aliquod specimen, multo minus erit laborandum, ut idonea atque eximia feligam, quam ut quæ ultro occurrunt, non dico pro rei dignitate, sed sine gravissima sublimitatis imminutione, possim exponere.

Admiratio, ut est effectus semper consequens Sublimitatem, ita saepe etiam Sublimitatis est causa efficiens. Concipit sensus magnificos, dictione utitur elata et audaci, sententiis brevibus, concisis, interruptis.¹

יְהוָה מֶלֶךְ יְרֻגּוֹ עַמִּים
יְשֵׁב כְּרוּבִים תָּנוֹת הָאָרֶץ :

“Jehova regnat: contremiscant populi :
“Cherubis insidet; commoveatur tellus.

קֹול יְהוָה עַל הַמִּים¹
אֶל הַכָּבוֹד הַרְעִים
יְהוָה עַל מִים רַבִּים :
קֹול יְהוָה בְּכָח
קֹול יְהוָה בְּחֶדר :

“Vox Jehovæ super aquas;
“Deus gloriæ intonat;
“Jehova super aquas validas.
“Vox Jehovæ potens;
“Vox Jehovæ plena majestatis.

מֵ לִמְכָה בְּאָלִים יְהוָה²
מֵ לִמְכָה נָאָרֶר בְּקָדְשָׁו
נוֹרָא תְּהִלָּת עֲשָׂה פָּلָא
נְטִיתָ יְמִינָךְ תְּבָלָעָמוּ אָרֶץ :

“Quis Tui similis inter Deos, Jehova !
“Quis Tui similis, verendus sanctitate !
“Terribilis laudum, faciens mirabilia !
“Extendisti dextram, absorbet eos tellus.

Effert se Gaudium atque exultat audacius: grandes habet conceptus, splendidas imagines arripit, verba injicit ardentia; nec veretur figuræ maxime præcipites et insolentes periclitari. In Mosis, in Debora Carmine ἀναστησις, quæ sensuum, quæ dictionis et compositionis

1 P.S. XXIX. 3, 4.

2 EXOD. XV. 11, 12.

Sublimitas ! Quid illa in Psalmis toties celebrata universæ naturæ jubilatio, quum res omnes creatæ, cum animalibus inanimæ, Creatoris laudes certatim efferunt ? nonne ipsa Poesis triumphare gaudio, lætitia, insolefcere, et prope bacchari videtur ? ¹

Dicite, Regnat Deus Omnipotens ;
 Dicite populis, Ipse Jehova
 Posuit stabilis moenia mundi,
 Rerum validas torquet habenas.
 Cœli exultent ; concinat Æther ;
 Resonet cantu conscia Tellus ;
 Resonent Sylvæ ; resonent Montes ;
 Geminant palmis Flumina plausum ;
 Fremitu læto reboet Pontus :
 Psallite, clangite, quæque patentes
 Colitis terras, quæque profundum.
 Advenit, advenit ipse Jehova ;
 Regat ut populos legibus æquis,
 Totum numine temperet orbem.

Nihil autem potest esse magnificentius et grandius quam Iracundiæ et Indignationis præfertim Divinæ repræsentatio ; cuius rei insigne exemplum præbet tota Mosis Ode Prophetica, quæ perpetuo æstu iracundiæ exardescit et inflammatur. Nonnulla antehac in genere paulum diverso exinde protuli ; nec omitti debent sequentia : ²

כִּי אָשָׁא אֶל שְׁמֵיכִים יְהִי
 וְאַנְרָתִי חִי אֲנָכִי לְעָלָם :

¹ PS. XCVI. 10, — 13. et XCVIII. 7, — 9.

² DEUT. XXXII. 40, — 42.

אם שנותי ברק חרב;
ותאזו במשפט ידי:
אשר נקם לצרי
ולמשנאי אשלם:
אשר חצ' מדם
וחרביו תאכלبشر
מדם חלל ושביה
מראש פרעות אויב:

“Nam manum meam ad coelos attollo,
“Et dico, Ut Ego in æternum vivo,
“Ita acuam gladii mei fulgur,
“Et manus mea arripiet arma judicii;
“Hostibus meis ultionem reddam,
“Eisque qui me oderunt rependam:
“Inebriabo sagittas meas sanguine,
“Et gladius meus devorabit carnes;
“Sanguine confosorum captorumque,
“De capite capillato inimicorum.

Nec in simili materia cautior aut remissior Isaias :

כִּי יוֹם נַקְם בָּלְבִי
וְשָׁנַת גָּאוֹלִי בָּאָהֶה:
וְאַבִיט וְאֵין עֹזֶר
וְאַשְׁחֹומֶס וְאֵין סֻמֶךְ:
וְתוֹשֵׁע לִי זְרוּעִי
וְחַמְתִי הִיא סְמַכְתִני:
וְאַבּוּס עֲמִים בָּאָפִי

ISAI. LXIII. 4, — 6.

ואשכרים בחמת
ואוריד לארץ נצחים :

“Nam dies ultiōis in corde meo est,
“Et annus quo meos redimam venit :
“Et circumspexi, neque erat adjutor;
“Et obstupui, neque enim erat sustentator :
“Tum mihi salutem præsttit brachium meum,
“Et indignatio mea ipsa me sustentavit :
“Et conculcavi populos in ira mea,
“Et in æstu meo ebrios et attonitos reddidi,
“Et cædem eorum derivavi in terram.

Et valde sublimis est illa apud Mosem hostici furoris et minarum Imitatio, qua mirifice amplificatur insperatae cladi atrocitas : ¹

אמר אויב אריך אשיג
אהליך שלל חמלאמו נפש
אריך חרביו תוריישמו ירי
נשפת ברוחך כסמו ים :

“Dixerat hostis, persequar, adsequar ;
“Dividam spolia, exsaturabitur anima mea ;
“Stringam gladium, excindet eos manus mea :
“Spiritu tuo flavisti ; operuit eos mare.

Humilis plerumque, et abjectus, et a Sublimitate paulo alienior est Dolor ; sed cum excessit modum et in animo penitus dominatur, insurgit audacius, et in rabiem quandam et furorem excandescit. Num se cohibet et comprimit Jeremias, dum Sionis miseras exag- gerat ? ²

¹ EXOD. XV. 9, 10.

² THREN. II. 4.

דָּרֶךְ קַשְׁתָו כָּאוֹיב נִצְבֵּה יְמִינֵנוּ כָּצֶר
בָּאָהָל בְּתַ צְיוֹן שְׁפָךְ כָּאַשׁ חַמְתוֹ :

“ Arcum suum hostili more intendit; dextram fir-
“ mavit velut inimicus;
“ In tentoria filiæ Sionis iram suam instar ignis
“ effudit.

Sed nihil in hoc genere æquat Jobi dolorem, acrem,
vehementem, fervidum, in gravissimis miseriis semper
animosum quiddam et excelsum spirantem; nimirum

“ æstuat ingens

“ Uno in corde Pudor, Luctusque, et conscia Virtus.

אֲפֹו טְרָף וַיְשַׁטְמָנִי *

חַרְק עַל בְּשַׁנִּיו

I JOB. XVI. 9. ——— 14. “ Vers. 10. Habent LXX, יְתַמְלָאוּן. ————— 14. “ Vers. 10. Habent LXX, ομαργυρισθεντες δε κυριεραρχειον: R. L. B. GERSHOM, יְתַקְבָּצָן, congreg-
“ gati sunt. Et verbum Arabicum מלָא notat in vi Conjugatione
“ Invicem juverunt, ac unanimes fuere, (nempe quasi congregati pleno
“ numero,) et construitur cum præpositione לְ, ut hoc in loco.
“ Vide etiam ISAIA. XXXI. 4. infra PRÆL. XIX. citatum, ubi מלָא
“ redditur turba. Verum hæc significatio, quanquam satis bene
“ confirmata, iis, quæ præcedunt, expensis, minus forsan ardens
“ ac vehemens hoc in loco videri possit. Vers. 11. יְרַטְנִי, me præ-
“ cipitavit: Hanc veram istius vocis significationem esse arbitror,
“ quæ inter ἀπαξ λεγουμενα numerari debet: nam alter ille locus,
“ ubi vulgo legitur, NUM. XXII. 32. הַרְקָע depravatus est,
“ et sine dubio corrigendus e Cod. SAMAR. qui habet רַטְהָ דְרָכָךְ
“ בְּהַרְעָה, quia mala est coram me via tua: cui congruit Balaami re-
“ sponsum, v. 34. אֲסֵךְ רַע בְּעַינֵךְ, si malum sit in oculis tuis. Ne-
“ que vero constat constructionis ratio in hac phraesi, יְרַטְהָ דְרָכָךְ
“ nisi forsan statuamus veram lectionem esse. Hoc au-
“ tem ut mittamus, recte omnino habet, uti dixi, hoc in loco in-
“ terpretatio vocis יְרַטְנִי; nam verbi Arabicici וַיְרַטְנִי nota et pervul-
“ gata est significatio, Præcipitem se dedit in rem, unde expedire se non
“ posset.” H.

צָרִי יַלְטוֹשׁ עַנֵּנוּ לֵי :
 פָּעָרוּ עַלִּי בְּפִיהֶם
 בְּחַרְפָּה הַמּוֹ לְחֵי
 יְחֵד עַלִּי יַתְמַלְאֹוֹן :
 יְסִגְירָנוּ אֶל אֶל עֲוֵילָל
 וְעַלִּי רְשָׁעִים יַרְטָנִי :
 שְׁלֹׂו הַיִּתְיִ וַיַּפְרַפְרָנִי
 וְאַחֲזָוּ בְּעַרְפִּי וַיַּפְצַפְצָנִי
 וַיַּקְיַמְנִי לֹו לְמַטְרָה :
 יְסֻבּוּ עַלִּי רְבִיוּ
 יְפָלָח כְּלִיּוֹתִי וְלֹא יַחְמָל
 יְשַׁפֵּךְ לְאָרֶץ מְרָרָתִי :
 יַפְרַצְנִי פְּרַץ עַל פְּנֵי פְּרַץ
 פְּרַץ עַלִּי כְּגָבּוֹר :

- “ Ira ejus discerpit me, et hostili odio proferat;
 “ quitur;
 “ Dentibus suis in me infrendit,
 “ Hostis meus acuit contra me oculos suos.
 “ Fauces suas contra me distendunt;
 “ Maxillas meas contumeliose percutiunt;
 “ Pariter super me sese exfaturant.
 “ Constrictum me Deus iniquo tradidit,
 “ Et in manus impiorum me præcipitavit.
 “ Tranquillus eram, et me penitus contrivit;
 “ Et cervice prehensum minutatim diffregit;
 “ Ac me sibi pro scopo constituit.
 “ Corona facta invadunt me jaculatores ejus;
 “ Sulcat renes meos, nec parcit;

“ Effundit

“ Effundit in terram fel meum.

“ Aliis super alias plagis continuo me profligat;

“ Impetum facit in me sicut bellator.

Apud eundem qua magnificentia et sublimitate exprimitur Mœror et Desperatio !

¹ O si bilance mea libretur calamitas,
Justaque trutina moles cumulati mali !
Superat iniquo pondere arenas æquoris ;
Nec temere inæstuat gemitu erumpens dolor.
Stant penitus imo tela infensi Numinis
Defixa latere ; morfu lacerant viscera,
Ægrumque lenta tabe spiritum hauriunt ;
Deique terrores acie instructa ingruunt.
O cedat utinam supplicis precibus Deus !
Effundat iræ fræna tandem vindici ;
Manu soluta, liberoque brachio,
Adigat trifulci vim coruscum fulminis,
Miserumque plaga subito interimat simplici.

Nec minus in Terrore vel incutiendo vel exprimendo totum Jobi Poema excellit ; quod fatis intelligi potest vel exemplo jam allato. Hunc vero Affectum quasi suum opus propriamque provinciam sibi vindicat Poesis Prophetica, maximam nempe partem in denunciandis Dei judiciis occupata. Totus fere est in eo παθη Eze-kiel : excellit etiam Isaías, quanquam rerum lætarum et salutis plerumque nuntius ; sed Judæorum hostibus hi intentantur terrores. ²

1 JOB VI. 2, 3, 4, 8, 9.

2 ISA I. XIII. 6, ————— 13.

הַלְילוּ כִי קָרֹב יוֹם יְהוָה
 כָשֵׁד מִשְׁדֵי יְבוֹא:
 עַל כֵן כָל יָדִים תְּרֵפִינה
 וְכָל לְבָב אֲנוֹשׁ יִמְסֶךָ:
 וְנַבְחָלוּ צִירִים וְחַבְלִיכָּת יְאֵחֹזָן
 כַּיּוֹלְדָה יְהִילָּן
 אֲישׁ אֶל רְעוֹהוּ יְתְמָהּ
 פְנֵי לְהַבִּים פְנִיהם:
 הַנָּה יוֹם יְהוָה בָּא
 אֲכֹזָר וְעַבְרָה וְחַרְוֹן אֲפָר
 לְשׁוֹטָת הָאָרֶץ לְשָׁמָה
 וְחַטְאָיה יִשְׁמַיד מִמְנָה:
 כִּי כּוֹכְבֵי הַשְׁמִים וְכִסְלִילֵיכָם
 לֹא יְהָלוּ אָוָרָם
 חַשְׁךְ הַשְׁמָשׁ בְּצָאתָתוּ
 וַיַּרְחַ לֹא יִגְהַ אָוָרוּ:
 וּפְקָרְתִּי עַל תְּבָל רְעוֹה
 וְעַל רְשָׁעִים עֻוּם
 וְהַשְׁבָּתִי נָאוֹן זְדִים
 וְגָאוֹת עַרְצִים אַשְׁפִּילָן:
 אָוָקִיר אֲנוֹשׁ מִפְזָן
 וְאָדָם מִכְתָּם אָופִיר:
 עַל כֵן שְׁמִים אַרְגַּנִּז
 וְתְרֵשָׁת הָאָרֶץ מִמְקוֹמָה
 בְּעַבְרָת יְהוָה צְבָאות
 וּבְיוֹם חַרְוֹן אֲפָוּ:

“ Ejulate, nam propinquat dies Jehovæ ;
 “ Adveniet, ut ab Omnipotente vastitas !
 “ Idcirco omnes manus solventur,
 “ Et omne cor hominis liquefcet ;
 “ Et consternati angoribus, et cruciatibus correpti,
 “ Instar parturientis dolebunt :
 “ Alter alterum attroniti respicient ;
 “ Instar flamarum vultu ardente.
 “ Ecce dies Jehovæ advenit ;
 “ Atrocitas, et excandescens, et æstus iræ ;
 “ Ut redigat terram in desolationem,
 “ Et peccatores ejus ex ea exscindat.
 “ Nam stellæ cœlorum, et eorum fidera,
 “ Non emittent lucem suam ;
 “ Caligabit Sol in ortu suo,
 “ Nec splendorem suum effundet Luna.
 “ Et animadvertis in orbis malitiam,
 “ Et in impiorum crimina ;
 “ Et comprimam arrogantium fastus,
 “ Et superbiam tyrannorum dejiciam.
 “ Mortalem reddam obryzo pretiosorem,
 “ Et hominem auro Ophirino.
 “ Propterea cœlos faciam contremiscere,
 “ Et commovebitur tellus e loco suo ;
 “ In excandescens Jehovæ Exercituum ;
 “ Et in die iræ ejus exardescens.

Nec in hoc minus eminent Jeremias, et si lenioribus affectibus magis fortasse idoneus. Exemplo sit Visio imminentem Judææ cladem cum mira evidenter et verissimo ~~et~~ exhibens :

מעי מעי אוחילה קירות לב,
 הומה לֵי לבֵי לא אחרש
 כי קול שופר שמעתי נפשי תרועת מלחה:
 שבר על שבר נקרא כי שדרה כל הארץ:
 פתאום שדרדו אהלי רגע יריעת:
 עד מתי אראה נס אשמה קול שופר:
 ראיתי את הארץ והנה תהו ובהו
 ועל השמים ואין אורם:
 “Viscera mea! viscera mea! præcordia mihi do.
 “lent!
 “Tumultuatur intus cor meum; silere non possum;
 “Nam vocem buccinæ audivisti, O anima mea;
 “clangorem belli!
 “Clades super cladem proclamatur, nam devastata
 “est omnis hæc terra:
 “Subito vastantur tentoria mea, momento mea vela.
 “Quousque videbo vexillum, audiam clangorem
 “buccinæ! —
 “Aspexi terram, ecce autem informis est et vacua!
 “Cœlosque, nec lucent amplius! —

et quæ sequuntur reliqua. Infinitum esset omnia quæ
 hoc faciunt recensere: et erit fortasse locus de his et si-
 milibus plus semel differendi in ea operis instituti parte,
 quæ de variis Poematum Hebræorum Generibus agit:
 quam, vestra, Academici, indulgentia in incœpto arduo
 et diffcili prius implorata, proxime sum ingressurus.

P A R S T E R T I A :

P O E M A T U M H E B R Æ O R U M

V A R I Æ S P E C I E S .



S I V E P O E S I S P R O P H E T I C A .

P R Æ L E C T I O D E C I M A O C T A V A :

P R O P H E T A R U M S C R I P T A

P L E R A Q U E E S S E P O E T I C A .

De Poeseos Hebrææ generali natura, deque attributis ejus communibus, hactenus disputatum : satis quidem fuse, si dissertacionum numerus spectetur ; si argumenti et copia et dignitas, vereor ne breviter nimis, et plus nimio exiliter. Verum non erat consilium nisi locos insigniores, et qui ad peculiarem Hebraeorum rationem præcipue facerent, attingere ; eosque ipsos delibare potius quam pertractare ; nec tam docere, quam ad hæc studia

studia adhortari auditores meos: qui non erunt monendi, ne rei ipsius magnitudinem ex hujuscce operæ et tractationis tenuitate metiantur; ac speciatim exempla quod attinet ex sacris Vatibus sæpius prolata, ne in ullius interpretatione, nedum in nostra, velint acquiescere: quanquam in hac parte non minimam positam fuisse diligentiam libenter profiteor. Quod jam restat, universum Genus Poëeos Hebrææ in suas Species tribendum est, et quid in singulis maxime notatu dignum sit, videndum. Qua in distributione non est a nobis exigendum, ut ipsos Hebræos semper citemus testes, utque cujusque Speciei descriptionem legitime esse constitutam illorum auctoritate confirmemus; qui in subtilibus ejusmodi rerum partitionibus non multum versati sunt: sat erit ad rem nostram, hoc est, ad accuratiorem Sacræ Poeticæ tractationem, si singularum proprietates in rei natura positas esse, cernique vel in argumenti materia, vel in rerum dispositione, vel in styli diversitate, vel in totius denique Poematis forma, demonstremus.

Poesi Propheticæ primum locum tribuo: quod genus cernitur in Prophetarum Vaticiniis; eorum nimirum plerisque quibus constant Libri Prophetici, atque aliis nonnullis quæ in Historicis sparsim occurrunt. Ea quin sint Stylo vere Poetico et in suo genere excellenti, nemo opinor dubitat; quam in rem a nobis etiam jam antea allata sunt multa exempla: numeris autem et metris constare non minus quam Libros illos Poeticos dictos, id quidem non tam facile concessum iri video. Negant Judæi; ¹ negat Hieronymus, ² Judæorum diligens au-

I A B A R B A N E L Tres statuit Species Canticorum. Prima est Rhythmica, sive ὡμοιοτελεστοις constans; in usu apud recentiores Hebræos, qui ab Arabibus eam didicerunt, sed Sacris Scriptoribus plane

ditor : post quos nihil attinet recentiores memorare, qui partim omnibus Hebræorum scriptis metra abjudicant, partim iis solum tribuunt, quæ vulgo Poetica appellantur, paucisque insuper Canticis hinc inde dispersis. Horum autem auctoritate nemo se protinus obrui patiatur, priusquam videat, num idonei sint hujuscce argumenti judices, quidve in hac quæstione sit eorum testimonio tribuendum.

Judæi, ipsis etiam confitentibus, antiquæ Metricæ artem, ejusque omnem memoriam, a multis retro seculis amiserunt; nimirum inde ab iis temporibus quibus Lingua Hebræa desit esse vernacula, et in oblivionem abiit.¹ Id sane vero videtur simile, Masoretas illos, qui cunque tandem fuerint, qui postea sacra Volumina Accentibus et Vocalibus, prout ea nunc habemus, distinxerunt, adeo tenuem et imperfectam habuisse in hac re cognitionem, ut metrum a soluta oratione non potuerint liquido internoscere: quippe qui, cum libros alios, Psalmorum nimirum, Proverbiorum, et Jobi, ut me-

plane ignota. Secunda, ad melodiam Musicam accommodata; ut modulata voce, vel cum instrumentis etiam Musicis, cantetur: qualia sunt Cantica Mosis, Deboræ, Davidis. Tertiam Speciem constituunt Parabolæ; quod genus (inquit ille, valde absurde, ut solent Magistri,) proprie vocatur **רִשְׁתָּה**. Ex hac autem classe excludit Parabolas Prophetarum, cum MAIMONIDIS distinctione inter Prophetiam et Spiritum Sanctum: (vid. *More Neboc.* 11. 45.) ait eas non esse Cantica, quia non sunt ex operatione ipsius Prophetæ, sed ex absoluta Prophetia. *Mantissa Dissert. ad Libr. cosri*
pag. 413.

² Vide HIERON. Præfat. in Isaiam.

¹ “Non est dubium quin [Cantica Sacra Secundæ Speciei] habuerint melodias certas, quæ longitudine temporis et captivitatim in oblivionem venerunt.” ABARBANEL. ibid. p. 410.

tricos peculiari quadam ratione accentibus suis notaverint, alios tamen non minus certo metris constantes, cujusmodi sunt Canticum Salomonis et Jeremiæ Threni, pro meritis sermonibus habuerint, et proinde in his vulgaris et prosaicas solummodo Accentuationem adhibuerint: quorum judicio stant omnes Judæi, hosque idcirco metricos esse, et in eodem censu cum tribus istis superioribus ponendos, negant.¹ Neque vero in hac

¹ Canticum Salomonis Poema quidem esse agnoscunt Judæi, non autem vel structuræ ratione vel metri, sed eo quod sit Parabola: adeoque ad Tertiam Canticorum Speciem refert A B A R B A N E L. ibid. Qua item de causa fit, quod, cum in nonnullis Codd. MSS. Tres Libri Metrici σχηματισcribantur, eodem tamen modo minime exarantur Threni et Canticum Canticorum. Hoc sane animadvertis in Cod. MS. Bibliothecæ Vaticanæ inter antiquissimos merito numerando; est enim Anni Æræ Christi. DCCCCCLXXIX. Hoc cernitur in Tribus Codd. MSS. Bibliothecæ Bodleianæ, ut me certiore facit Vir in his literis exercitatissimus BENJAMINUS KENNICOTT, cuius eruditum Opus Criticum propediem expectamus, in quo etiam omnes Codd. MSS. Bibl. Hebr. qui in Academiis nostris ad servantur accurate recensem. “Tres MSS. prædicti sunt [Nº. 2, “3, et 68.” K.] Evidem existimare quispiam posset, Judæos, cum Cantica quædam, et saepè etiam in Codd. MSS. integros Libros Metricos σχηματis exaratos exhibuerint, vel servasse, vel servare saltem videri voluisse, rationem carminis, et veram versuum distributionem. Sed eorum in hac re inscitiam arguit ipsorum inter se discordia; parum enim consentiunt in linearum terminis figendis, neque ullam certam rationem aut legem in hoc negotio sequuntur. Canticorum distributio in σχηματi in variis Libris Impressis varia est, ut cuivis liquebit Editiones inter se conferenti. In Canto Mosis DEUT. xxxii. in quo distribuendo Libri Impressi magis consentiunt quam in cæteris, vix autem diversitatibus aut inconstantia locus fuisset, modo membrorum sententia semper habuissent rationem, ipsi tamen Judæorum Magistri inter se dissident, aliis versus five lineas sexaginta septem, aliis septuaginta numerantibus. Vide Annot. ad Bib. Hebr. Edit. MICHAELIS Haleæ 1720. In Libris metricis similis est

parte discipulus suis præceptoribus peritior fuisse existimandus est. Quanquam enim Hieronymus de Metris Hebraicis multa disputat, multa de Tetrametris et Hexametris, de Iambicis et Sapphicis, memorat, ea tamen omnia non nimium urgenda esse res ipsa ostendit; etenim plane pingui, quod aiunt, Miverva agit, in Hebraicis remotam quandam similitudinem Græcorum metrorum quærens, et crassis quibusdam imaginibus rem a se ipso non satis intellectam explicans; in quibus etiam ipse fibi parum constare deprenditur. Nam Deuteronomii Canticum Hexametris et Pentametris compositum esse ait, ¹ Josephum et Origenem secutus; alibi ² vero idem Carmen Iambico Tetrametro scriptum esse affirmat: ad comprobandum denique sententiae suæ veritatem eorum testimonii utitur, Philonis nimirum, Josephi, Origenis, Eusebii, ³ quibus Metrice Hebræa æque atque ipsi fuit ignota. Pace itaque et Judæorum et

est trium MSS. Bodl. modo memoratorum discordia; quod meo ro-gatu amicissime facta collatione deprehendit idem Vir Doctissimus. Codex MS. insignis, quem in Bibliotheca Regia Dresdensi vidi, habet quod in hac parte notari meretur, quodque Judæorum in hac re tota ignorantiam et futilitatem palam facit. Paraphrasis Chaldaica Textui per totum immiscetur, ita ut singula legantur Commata, primo Hebræum, deinde Chaldæum, et sic perpetuo alternatim: in Libris Metricis, qui $\pi\chi\varphi\omega\varsigma$ scribuntur, ita confunduntur Textus et Versio, ut, cum in $\pi\chi\varphi\omega\varsigma$ distributione nihil aliud spectaverit scriptor quam linearum æqualitatem, passim in una eademque linea occurrant; utque idem $\pi\chi\varphi\varsigma$ ab Hebræo incipiat, in Chaldæum definat; et contra. Codex hic est elegantissimus; annorum fortasse quingentorum. Puncta sunt a manu recentiore; ut in Vaticano supradicto, aliisque omnibus paulo antiquioribus.

¹ Præfat. in Chron. Eusebii.

² Epist. clv. ad Paulam Urbicam.

³ Vide HIERON. Præfat. in Job.

Hieronymi liceat nonnulla proponere in contrariam partem, quibus forsan perspectis non omnino incredibile videri poterit, Prophetarum pleraque Vaticinia, perinde atque cætera Poeseos Hebrææ monumenta, versibus esse edita numerisque adstricta.

Jam vero ad probandum Prophetarum Vaticinia esse Metrica iisdem profecto argumentis utendum est nobis, quibus conati sumus evincere Poesin Hebræam in universum aliquo Metri genere constare: quæ quidem omnia hic locum habent, eo duntaxat excepto quod ex Carminibus Alphabeticis petebatur. Ejus vero artificii exempla in Poesi Prophetica minime esse quærenda, res ipsa docet; cum sit ab ejus natura vel maxime alienum: est enim magis studii et diligentiae, quam incitationis et motus; ad subsidium memoriæ, non ad affeetuum impulsus, comparatum. Reliqua autem imprimis hic observanda occurrunt: Dialectus Poetica,¹ Dictio et Construictio a pedestri sermone abhorrens, cæteraque ejusmodi, quæ lectori diligentie abunde sese offerent, uno alteroque exemplo explicari non possunt; parvi enim momenti fortasse videbuntur singula, quæ universa magnam vim habent. Huc accedit poetica Sententiarum Conformatio; quæ cum metri artificii semper, ut mihi quidem videtur, pars quædam præcipua esset, nunc certe quæ clare apparet sola sit, eam postea uberius explicare conabor, Scriptorum Propheticorum speciatim habita ratione: alia quædam jam præmissurus, quæ ad opinionem nostram comprobandam viam munire videntur.

¹ Vide supra annotata PRÆL. III.

Erant Prophetæ a Deo quidem ipso et electi et ad munus suum obeundum abunde instructi; ex eorum tamen numero plerumque, qui ab ineunte ætate in convenientem disciplinam traditi, et ad sacra ministeria prius instituti fuissent. Constat ex multis sacræ Historiæ locis, inde a priscis Reipublicæ Hebrææ temporibus fuisse quædam Prophetarum Collegia, in quibus semoti ab hominum frequentia Prophetici munera candidati studiis et exercitationibus sacris vacabant: horum singulis prærerat Vates aliquis summa auctoritate, et Sancti Spiritus instinctu eximie præditus, universi cœtus moderator et præceptor. Quanquam de eorum institutis et disciplina paucis tantummodo atque obiter mentionem fecit Sacra Historia; nihilominus in eo sæpe multumque occupatos fuisse intelligimus, ut hymnis et carminibus, cum fidium et tibiarum cantu et symphonia, Dei laudes celebrarent. Insignis est locus qui in hoc genere primum occurrit: ¹ Saulo jam regi designato, et solenniunctione jussu Dei consecrato, obviam fit, quemadmodum ei prædixerat Samuel, cœtus Prophetarum descendientium a Monte Dei (id loci nomen, in quo situm erat sacrum Collegium) et præcedentibus nabliis, tympanis, tibiis, citharisque, vaticinantium: quibus auditis ipse protinus, cælesti etiam spiritu instinctus, una vaticinatur. Idem illi evenit, ejusque etiam nuntiis Naiotham missis ad capiendum Davidem; ² qui cum Prophetas viderent vaticinantes, et præsidentem choro Samuelem, afflato divino pariter correpti una vaticinati sunt. De hujusce Vaticinationis ratione inter Auctores, quantum

¹ I. SAM. X. 5, —— 10.

² I. SAM. XIX. 20, —— 24.

video, nulla est diffensio: omnes hic intelligunt, Dei laudes Sancti Spiritus instinctu carmine cantuque celebratas; Chaldæi Interpretis auctoritatem fecuti, vel potius rei ipsius evidentia inducti: quandoquidem etiam eodem plane modo Asaphus, Heman, Iduthun, in Templi ministerio rei musicæ præfecti, dicuntur “vaticinati esse in citharis, nabliis, et cymbalis, cum “gratiæ laudesque Jehovæ tribuerentur.”¹ Quibus exemplis satis patet, vocis נְבִי usum apud Hebræos eo quidem usque ambiguum fuisse, ut æque designaret Prophetam, vel Poetam sive Musicum, divinitus incitatum. His addi etiam possunt Prophetides, Maria soror Aharonis, et Debora, eo titulo, ut videtur, insignitæ, non solum quod per illas Jehova locutus esset, sed ob Poeticam et Musicam facultatem; quæ duæ apud anticos, cum Hebræos tum exterios, semper erant conjunctæ. Quid quod Salomo, vel saltem Parabolarum ejus concinnator atque editor quidam, vocabulum, quod in Prophetiæ proprie dictæ significatione solenne est, bis usurpavit ad dictionem Poeticam designandam? Verba enim Aguri et Lemuelis vocat נְשָׁמָן,² quod Hieronymus Visionem reddit, Seniores Χρυσαπόντων, Chaldæus נְבִיּוֹת: cum tamen is locus nihil in se habeat Prophetiæ proprie dictæ simile, sed sit Sententiarum quedam rhapsodia, constans versiculis ad omnem Poeticum ornatum compositis, et in eo genere imprimis elegantibus. Nimirum Hebræi res duas natura inter se finitimas, ut ipsi arbitrabantur, unius vocabuli communione connecebant: eademque

¹ I. PARAL. XXV. I, — 3.

² PROV. XXX. I. XXXI. I. Vid. etiam I. PARAL. XV. 22, et 27. ubi נְשָׁמָן, αργεντούς, ταῦς φάλαρα, LXX.

ambiguitas nominis utravis facultate pollentem exprimentis, ob similem quandam opinionem antiquitus acceptam, in lingua¹ Arabica, Græca, et Latina obtinuit.

Neque vero existimandum est, Poeticam sive Musicam in societatem solummodo nominis a Prophetia benigne receptam fuisse: quinetiam accepimus Prophetiam ipsam non deditatam esse cum Musica re vera habere commercium, ejusque opem et auxilium petere. Insigne est Eliae exemplum; qui, duobus regibus Judæ et Israelis de rerum exitu sciscitantibus Dei responsum editurus,² Fidicinem sibi adduci postulat; eoque citharam pulsante, afflatu divino protinus³ agitatur. Quod sane plerique ita interpretantur, ut existimant Prophetam ad sedandam animi sui perturbationem Musicam adhibuisse: in quo sequuntur opinionem quandam Iudæorum recentiorum,⁴ quæ ipsa non satis extra controversiam posita est: quasi nimirum omnis vehementiorum affectuum motus Sancto Spiritui aditum præcluderet, et cum Prophetia constare non possit: cuius tamen operationem cum incitatissima animi commotione gravissimisque perturbationibus persæpe conjunctam fuisse, multis ipsorum Prophetarum⁵ testimoniis comprimus. Verum utcunque ea se res habeat, haud scio

¹ *Muttenabbi*, Περηφῆτης, Vates. Vid. JOSEPHI MEDI Oper. p. 59. TIT. I. 12. LUC. I. 67. et HAMMOND. in loc.

² II. REG. III. 15.

³ וְהִיא כָּנָן הַמְנֻן וְתָהִי עַלְוִ יְדֵי יְהוָה

⁴ Vide MAIMON. *More Neboc.* II. 36. et plures alios citatos a JOH. SMITH. in *Differt. De Prophetia*, Cap. VIII.

⁵ Vide JER. XXIII. 9. EZEK. III. 14, 15. DAN. VII. 28. x. 8. MABAC. III. 2, et 16.

an verius statui possit, iis quæ modo allata sunt, et hoc ipso loco, perspectis, Prophetam ipsum voce cecinisse ad fidicinem, et vel hymnum aliquem, vel potius oraculum ipsum, ad citharæ cantum pronuntiasse: a quo sane non prorsus abhorret hujus responsi stylus et compositio.

Ex quibus omnibus fatis liquet, veterum Hebræorum sententia cum Poetica Prophetiam arcta quadam societate et cognatione conjunctam fuisse. Utriusque facultatis idem erat nomen; eadem quippe origo, idem auctor, Spiritus Sanctus. Ii potissimum ad Prophetiæ munus exequendum evocabantur, qui prius in sacra Poesi multum fuerant versati. Eorundem erat in usum Ecclesiæ et carmina condere, et edere oracula: neque id quidem dubium est, quin magna pars Hymnorum facrorum Vaticinia sint proprie dicta; nec quin ex Vaticiniis nonnulla re vera sint Hymni. Cum autem is esset ab initio præcipuus Poeticæ finis, ut prius vidi mus, ea singularis utilitas, ut dicta sapientium, ad mores vel ad fidem pertinentia, in animis hominum alte imprimiceret, et ad posteritatis memoriam commendaret; nemini mirum id videri debet, si Prophetia, quæ in eo genere principem locum obtinet maximique est momenti, ejus operam noluerit repudiare, et ministerium ad usus suos præcipue accommodatum aspernari. Cujus etiam rei illustre præbet exemplum Mosis Ode Prophetica,¹ quam Dei jussu et instinctu scripsit, Israëlitis discendam et memoriæ mandandam: “Ut sit,”² inquit Deus ipse, “Carmen hoc mihi pro teste adver-

¹ DEUT. XXXII.

² Vide DEUT. XXXI. 19, — 21.

“sum Israelitarum populum, cum a me defecerit; hoc
“in os ejus testimonium dicet; neque enim oblivioni
“mandabitur, aut ex posteriorum ejus ore excidet.”

Porro autem, ut hoc ipsum Mosis Carmen in priinis clarum est et insigne in Prophetico genere monumentum, ita ex altera parte multa sunt Vaticinia, quæ in genere Poetico præcipue eminent. Supereft ut in hanc rem exempla quædam ex scriptis Propheticis deprompta vobis proponam. Ac Vaticiniorum quidem antiquissimorum, quæ in Mosis Historia extant, pleraque jam antea citavi,¹ uti quæ clarissimum Hebræi carminis specimen exhiberent: Noachi nimirum Vaticinium, Jacobi Patriarchæ Benedictiones, Balaami Oracula. Quibus omnibus, ac præsertim illis Balaami, haud scio an clariora exempla ex universo facrorum Codicum penu depromi possint; ita sunt omnibus poetici characteris notis eminenter signata: ut qui metra aliqua in Hebræorum poesi agnoscant, cum iis autem folis in hac quæstione nobis res est, ista cogantur in metricis numerare, siquidem pro sententia sua argumentis propugnare velint. Illis autem Balaami Vaticiniis adnumerandum existimo Carmen elegantissimum, a Micha Prophetæ ab interitu vindicatum:² mire congruit cum cæteris ejus monumentis res, dictio, constructio, forma ipsa et character compositionis; plane autem citari videtur,³ ut Regi Moabitarum consulenti factum a Balaamo responsum:

¹ Vide supra PRÆL. IV.

² MICH. VI. 6, — 8.

³ Vide MICH. VI. 5. et Viri Cl. JOSEPHI BUTLER, nuper EPISCOPI DUNELMENSIS, Concionem De Balaamo.

במה אקרם יהוה
אכפּ לאליה מיחס :
האקרמןנו בעולות
בענליים בני שנה :
הירעה יהוה באלפי אילים
ברבבות נחלי שמן :
הathan בכורי פשי :
פרי בטני חטאך נפשי :
הניד לך אדם מה טוב
ומה יהוה דורש ממך :
כִּי אָמַע עֲשׂוֹת מְשֻׁפֵּט וְאֶחֱבָּת חָסֵד
והצנע לנחת עם אלהיך :

“Quanam re instructus comparebo coram Jehova;
“Inclinabo me supplex coram Deo altissimo?
“Num comparebo coram eo cum holocaustis;
“Cum vitulis anniculis?
“Num accepta erunt Jehovahe millia arietum;
“Dena millia fluentorum olei?
“An dabo primogenitum meum hostiam pro pec-
“cato meo;
“Ventrismei fructum piaculum animæ meæ?
“Indicavit tibi, O homo, quid sit bonum;
“Et quid Jehovah a te exigit?
“Nisi ut æquum facias, et pietatem colas,
“Et submisse te geras erga Deum tuum.

Quod si ad reliquas sacræ Historiæ partes pergamus, exempla non deerunt. Sed prius etiam appellanda nobis est ipsius Mosis cycnea Cantio; non dico Oden illam Propheticam quæ sæpius id nomen invenit, sed

Viri

Viri divini extremam morientis Benedictionem, qua Israelicarum tribuum fata significantur : ¹

יְהוָה מַסְנֵי בָּא
וֹרֶחֶת מִשְׁעֵיר לִמּוֹ

“Jehova ex Sina prodiit :

“Et ex Sehire illis exortus est : —

Vaticinium ejusdem plane generis cum illo Jacobi ; in exordio et fine valde sublime ; ex omni autem parte Prophetici Carminis specimen eximium. Porro in eundem cum his censem refero Samuelis ad Saulum responsum, quo ei contumaciam exprobrat, eumque divino decreto regno privari denunciat, quatuor constans versiculorum paribus eleganter compositis : ²

הַחֲפֵץ לִיהוָה בְּעֻלוֹת וּזְבָחִים
כִּשְׁמַע בְּקוֹל יְהוָה :
הַנְּהָ שְׁמַע מִזְבֵּחַ טָב
לְהַקְשִׁיב מִחְלֵב אִילִים :
כִּי חַטָּאת קְסָם מָרִי
וְאוֹן וְתָרְפִּים הַפְּצָר :
יְעַן מִאֱסָת אֶת דָּבָר יְהוָה
וַיְמַאֲסֵךְ מִכְלֵךְ :

“Num delectatur Jehova holocaustis et sacrificiis,
“Æque ac obsequio voci ejus præstito ?
“Scito, obsequium melius esse sacrificio,
“Et obedientiam adipie arietum.

I DEUT. XXXIII.

2 I. SAM. XV. 22, 23. VETT. INTT. omnes legisse videntur
לְהַקְשִׁיב pro תָּרְפִּים et fine וְהַקְשִׁיב.

“Profecto

“ Profecto ut crimen divinationis est rebellio,
 “ Et quasi scelus idololatriæ contumacia.
 “ Quoniam repudiasti mandatum Jehovæ,
 “ Et ipse te repudiavit, ne rex sis.

Aliud ejusdem rei evidens et illustre exemplum præbent Davidis verba novissima,¹ utcunque difficilis et impedita sit ejus Vaticinii, quod dictionem attinet, interpretatio. Satis jam credo erit exemplorum ex Libris Historicis, si addam Isaiæ de Senacheribo Oraculum, Regum Historiæ insertum :²

בָּזָה לְךָ לֹעֲנָה לְךָ בַּחֲולָת בַּת צִיּוֹן
 אַחֲרֵיךְ רָאשׁ הַנִּיעָה בַּת יְרוּשָׁלָם :

“ Contempfit te, subfanavit te Virgo Filia Sionis;
 “ Post te caput movit Filia Hierosolymorum : —
 quod iterum occurrit inter illius Prophetæ Vaticinia ;
 admonetque ut ab Historicis ad ipsa Prophetarum Volumina transeam, quæ magnam suppeditabunt exemplorum copiam, quibus ostendi possit vere poeticam esse Vaticiniorum compositionem, unoque opere ipsa poeticæ compositionis ratio plenius illustrari.

¹ II. SAM. XXIII. I, ——— 7.

² II. REG. XIX. 21, ——— 34. ISAI. XXXVII. 22, ——— 35.

PRÆLECTIO DECIMA NONA:

POESIN PROPHETICAM

ESSERE SENTENTIOSAM.

POESIN Hebræam in Religionis famulatu natam et enutritam fuisse satis constat, cum a principio id præcipue munus illi demandatum esset, ut Dei laudes Hymnis celebraret; utque cum Musica conjuncta rem divinam sanctiorem quodammodo et augustiorem faceret, piisque colentium affectibus vim quandam efficacem adderet, et ardorem cælestia spirantem. Primævum hunc Hymnorū in Sacris usum haud parum momenti attulisse credibile est ad formandum universum hujuscē poeseos charactera, eumque habitum ei inducendum, quem, etsi isti quidem negotio præcipue accommodatum, in cæteris tamen servat. Quod ut luculentius explicari possit, de veterum Hebræorum Hymnodia paucula adnotanda sunt.

Quanquam equidem de more rituque carmina canendi apud eos recepto haud multa liquido constent, et de Musica sacra ex omni parte valde impedita et obliterata quæstio, hoc tamen multis exemplis clare confirmatur, usu obtinuisse, ut sacros Hymnos saepe alternis cho-

ris invicem cantarent: ¹ Id nonnunquam hoc modo fiebat; nimirum alter chorus Hymnum ipsum canebat, altero distichon intercalare, sive id παράγομενον effet sive ἐπιφένεια, certis in locis subinde intercinente. Ita Mosem cum Israelitis Oden ad Mare Rubrum cecinisse accipimus; ² “ Maria enim Prophetis tympanum manu ferebat, eam—“ que sequebantur Fœminæ omnes cum tympanis cho—“ reas agentes; et Maria respondebat illis,” hoc est, ipsa cum mulieribus virorum choro identidem succinebat,

שירו ליהוה כי נאה נאה
סום ורכבו רמה בים :

“ Cantate Jehovæ, quia magnifice sese extulit;
“ Equum equitemque in mare dejecit.

Quod cernitur etiam in Psalmis nonnullis ad hanc formam compositis. Alias vero ita erat instituta cantio, ut ex duobus choris, altero singulis versiculis præcinente, alter perpetuo subjungeret versiculum priori aliquo modo respondentem. Cujus rei exemplum est in noto illo disticho,

הודו ליהוה כי טוב
כי לעולם חסדנו :

“ Celebrate Jehovah, quia bonus;
“ Quia æterna est ejus benignitas:

quod Sacerdotes et Levitas ad præscriptum Davidis alternis choris cecinisse nos docet Ezra; ³ sicuti etiam col-

¹ Vide NEHEM. XII. 24, 31, 38, 40. et Titrulum P.S. LXXXVIII.

² EXOD. XV. 20, 21. Vide PHILONEM περὶ γεωργίας, pag. 119. item τῶν βιώσιμων θεωρητικῶν, pag. 902. Edit. Paris. 1640.

³ EZR. III. 11.

ligere licet ex illo Psalmo,¹ in quo posterior versiculus ab altero choro cantatus perpetuam παρέμηνεν facit. Eadem est ratio muliebris cantiunculæ de Saulo et Davide:² “ludentes enim respondebant,” hoc est, alternis chorus carmen amœbæum canebat; alteris enim præcinen-tibus,

הכה שאול באלוֹפּוּ

“Percussit Saulus millia sua,
alteræ subjiciebant,

ודוד ברבבתהי

“Et David suas myriadas.

Quomodo Isaías describit ipsos etiam Seraphos canentes τῷ τεισαγόνῳ: nempe³ “alter alteri inclamabant,” sive canebat alternis,

קדוש קדוש יהוה צבאות מלא כל הארץ כבודו:

“Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehova Exercituum!

“Plena est gloria ejus universa tellus.

Ex Judaica Ecclesia in Christianam inde a primis seculis derivatus est mos iste alternis canendi:⁴ αντφωνον ὑμνω-θεῖαν, sive Responsoria, vocabant, cum in duos choros divisi Psalmum per singulas strophas invicem canebat: cum autem id fiebat per singulos versiculos, altero nempe choro posteriore distichi partem succinente, id

¹ P. S. CXXXVI.

² I. S. A. M. XVIII. 7.

³ I. S. VI. 3. Vide quæ de origine αντφωνῶν ὑμνῶν tradit SOCRAT. Hist. Eccl. VI. 8.

⁴ PLIN. Lib. x. Epist. 97. — “quod essent soliti carmen “Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.”

speciatim appellabant τὰ ἀρστιχα, sive τὰ ἀρστελευτα, ὑποψίλατα.¹

Quod si is primævus esset Hymnos canendi usus, uti sane fuisse credibile est, in eo causam cernimus proximam, cur ejusmodi carmina per strophas æquales, et quidem plerumque disticha, ornate disponerentur; et cur disticha versiculis aliquo modo parallelis constarent. Id cum accommodatum esset ad modulationem musicam in ea poeseos specie, quæ a principio maxime exulta est, simulque cum linguae indole et ratione numerorum valde congrueret; facile transiit in cæteras species, quæ non erant ad eundem cantionis usum destinatae; adeoque in universa Hebræorum poesi fere obtinuit: ut id verius de Musis Hebræis quam de aliis quibuscumque dici possit, — “Amant alterna Camœnæ.” Quam in rem adnotari etiam potest, verbum Ἀντεύ, quod propriæ significat respondere, usurpari latius de quavis cantione;² vel a præcipua specie ad reliquas translato vocabulo, vel quod apud Hebræos omne fere carmen Respondorii quodammodo formam haberet.

Hanc originem, hos progressus habuisse videtur apud Hebræos Poetica sententiarum Compositio: in Poesi Prophetica eam obtinere, pariter atque in Ode vel Didactica, ad quas natura sua maxime est accommodata, cerni potest in iis exemplis Vaticiniorum Poeticorum antiquissimis, quæ proxime citavi; nec minus in illis reliquis locum habere, quæ in Prophetarum Voluminibus continentur, supereft ut ostendam. Quod ut fiat evi-

¹ Vide BINGHAM. *Antiq. Eccl. Christianæ* XIV. 1.

² EXOD. XXXII. 18. NUM. XXI. 17. HOS. II. 15. PS. CXLVII. 7. “Ita verbum in Arabica lingua verbo ḥayy respondens non solum “aliquid invicem facere, sed etiam cantare, denotat.” H.

dentius,

dentius, totum hoc genus in suas species distributum exemplis illustrare conabor, primum ex iis Libris qui ab universis habentur Poetici, deinde e Propheticis consimilia deponens.

Poetica sententiarum Compositio maximam partem constat in æqualitate, ac similitudine quadam, sive parallelismo, membrorum cujusque periodi, ita ut in duabus plerumque membris res rebus, verbis verba, quasi demensa et paria, respondeant. Quæ res multos quidem gradus habet, multam varietatem ; ut alias accuratior et apertior, alias solutior et obscurior sit : ejus autem Tres omnino videntur esse Species.

Primam constituunt speciem Parallela Synonyma : cum proposita quacunque sententia, eadem denuo ex-primitur aliis verbis idem fere significantibus. Quæ exornatio omnium fortasse frequentissima est, et persæpe magnam habet accurationem et concinnitatem : exempla passim obvia sunt, neque anxius delectu opus est ; quocirca eos potissimum locos adducam, qui alias etiam ob causas sunt omnibus notissimi. *

בצאת יִשְׂרָאֵל מִצְרַיִם
בֵּית יְעָקֹב מִעֵם לְעֵז :
הִתְהַה יְהוּדָה לְקַדְשׁו
יִשְׂרָאֵל מִמְשָׁלוֹתָיו :
הִים רָאָה וַיָּנֶם
הַיְרֹדֹן יַסֵּב לְאַחֲרָו :
הַהְרִים רַקְדוּ כָּאַיִלִים
גְּבוּעָתָכְבָנִי צָאן :

מה לך הים כי חנוך
הירדן תסב לאחור;
ההרים תרകדו כאילים
גבועות כבני צאן;
מלפני אדונן חולין ארץ
מלפני אלה יعقوב;
ההפני הוצר אגס מים
חולמיש למעינו מים:

- “ Cum exiret Isreal ex Ægypto ;
- “ Domus Jacobi e populo barbaro :
- “ Erat illi Juda in sanctam ditionem ;
- “ Isreal illius imperium.
- “ Vedit mare, et fugit ;
- “ Jordanes conversus est retro :
- “ Montes subfiluerunt, ut arietes ;
- “ Colles, ut filii ovium.
- “ Quid tibi, O Mare, quod fugeris ;
- “ Jordanes, conversus fueris retro :
- “ Montes, subfilueritis ut arietes ;
- “ Colles, ut filii ovium ?
- “ A conspectu Domini contremisce, Tellus ;
- “ A conspectu Dei Jacobi !
- “ Qui vertit rupem in stagnum aquarum ;
- “ Petram in fontem aquarum.

Nec minus accurate compositus est Propheticæ Poeseos incessus :

קומי אורי כי בא אורך
וכבוד יהוה עליך זורה:

כִּי הָנָה הַחַשֵּׁךְ יַכְתֵּה אֶרֶץ
וְעַרְפֵּל לְאַמִּים :
וְעַלְיךָ יֹרֶחֶת יְהוָה :
וְכָבְדוּ עַלְיךָ יְרָאָה :
וְהַלְכוּ נַוִּים לְאוֹרֶךָ
וּמְלָכִים לְנָגָה וּרְחָקָה :

“ Surge, effulge, nam venit lux tua;
“ Et gloria Jehovæ super te oritur.
“ Ecce enim tenebræ operient terram ;
“ Et densa caligo populos :
“ Super te autem exorietur Jehova ;
“ Et gloria ejus super te conspicua erit.
“ Et incident gentes in luce tua ;
“ Et reges in splendore ortus tui.

Et illustre illud Vaticinium de Messia humilitate et pœ-nis piacularibus :^۱

מֵ האָמִין לְשָׁמְעָתָנוּ
וּזְרוּעַ יְהוָה עַל מֵי נֶגֶלְתָּה :
וַיַּעַל בְּיוֹנָק לְפָנָיו
וּכְשָׁרֵשׁ מְאָרֶץ צִיָּה :
לֹא תָאַר לוּ וְלֹא הַדְרֵר וְנָרָא הוּא
וְלֹא מְرָאָה וְנָחַמְדָהוּ :
נְבוּזָה וְחַדְלָה אֲיַשִּׁים
אֲיַשׁ מְכָאָבָות וְיִדּוֹעַ חָלִי :
וְכַמְסָתָר פְּנִים מִמְּנוּ
נְבוּזָה וְלֹא חַשְׁבָּנָהוּ :

אָנוּ חֲלִינוּ הוּא נְשָׁא
וּמְכַאֲבִינוּ¹ סְבֵלֶם :
וְאַנְחָנוּ חַשְׁבָנָהוּ נְגֹועַ
מְכָה אֱלֹהִים וּמְעַנְהָ :
וְהָוָא מְחַלֵּל מְפַשְׁעֵינוּ
מְרָכָא מְעוֹנוֹתֵינוּ :
מוֹסֵר שְׁלוֹמָנוּ עַלְיוֹ
וּבְחַבְרָתוּ נְרָפָא לְנוּ :

“ Quis credidit prædicationi nostræ ;
“ Et brachium Jehovæ cuinam patefactum est ?
“ Ascendit enim coram eo ut surculus ;
“ Et ut stirps e terra siticulosa :
“ Nulla illi forma, nullus decor, ut aspiceremus
 “ eum ;
“ Neque erat aspectus ejus, ut eum cuperemus.
“ Contemptus, neque amplius inter viros habitus ;
“ Vir dolorum; et ægritudinem expertus :
“ Et veluti qui faciem a nobis absconderet,
“ Contemptus, neque eum æstimavimus.
“ Certe infirmitates nostras ipse pertulit ;
“ Et dolores nostros ipse sustinuit :
“ Nos tamen eum æstimavimus plaga affectum ;
“ Percussum divinitus, et afflictum.
“ Ille autem vulneratus est propter peccata nostra ;
“ Contusus ob nostras iniquitates :

¹ Quidam Codd. MSS. in margine notant, inferendum הוא : (vide Bibl. Heb. Edit. M I C H A E L I S , Var. Lect. in loc.) id certe exprimunt S Y R . et V U L G . ejusque vocis repetitio vim habet et elegantiam haud mediocrem. “ הוא סבלם ”, ita MS. No. 28.” K.

“ Pœna nobis salutaris ei imponitur ;

“ Et per ejus livorem fit nostra curatio.

Est quidem eximius in hoc genere Isaias, sed neutiquam singularis : apud cæteros etiam exempla abundant ; unum tantum adponam ex Hosea, quod habet etiam longe pulcherrimum ^{παντος}¹.

אֵיךְ אָחִינָךְ אֲפֻרִים
אַמְנָנָךְ יִשְׂרָאֵל :
אֵיךְ אָחִינָךְ כָּאֶרְמָה
אֲשִׁימָךְ צָבָאִים :
נְהַפֵּךְ עַלְיָ לְבִי
יְחִידָךְ נְכִמּרוֹ נְחוֹמִי :
לֹא אָעֵשָׂה חֲרוֹזָ אֲפִי
לֹא אִשּׁוֹב לְשָׁחַת אֲפֻרִים :
כִּי אֶל אָנֹכִי וְלֹא אִישׁ
בְּקַרְבָּךְ קָרוֹשׁ ² וְלֹא אָבוֹא בָּעֵיר :

¹ Hos. xi: 8, 9.

² Vix est, in quo magis dissentiant Interpretes, quam in hoc versiculo explicando ; præsertim ubi voces ipsæ adeo sunt notæ, et periodi ratio tam manifesta. Prope solus hic vidit aliquid ^{ΗΙΕΡΩΝΥΜΟΣ}, qui in *Comm. in loc.* ita exponit : “ Non sum unus ex his qui in urbibus habitant ; qui humanis legibus vivunt ; qui crudelitatem arbitrantur justitiam.” Hieronymum sequitur ^{CAS-}TELLIO. Est nimirum in posteriore membro ^{וְ} Parallelum et Synonymum ^{רַגְלָה} ^{לֹא אִישׁ} in priore. Futurum habet vim frequentativam, (*vide ps. xxii. 3, et 8.*) “ non soleo urbem intrare ; non sum urbicola.” Est etiam in singulis membris pulchra inter se oppositio partium ; “ Sum Deus, et non Homo : ” est Auxesis in sequenti, et paulum variatur ratio oppositionis ; “ Sum Deus Tuus, tecum habitans, sed peculiari modo, extra ordinem, nec more hominum.” Nihil, opior, clarior, nihil elegantius.

“ Quomodo dedam te, O Ephraim !
 “ Addicam te, O Israël !
 “ Quomodo reddam te Admæ similem ;
 “ Faciam te instar Zeboimorum !
 “ Intus convertitur cor meum ;
 “ Simul æstuant viscera mea pœnitentia.
 “ Non exequar iræ meæ fervorem ;
 “ Non iterum perdam Ephraimum :
 “ Quia Deus ego sum, et non homo ;
 “ In medio tui Sanctus, quanquam urbes non ha-
 “ bito.

Magna est in his Parallelis Synonymis formarum varietas, quarum nonnullas non pigebit adnotare. Fit nonnunquam Parallelismus per iterationem prioris membris, vel integri, vel ex parte :

רבת צרורני מנורי
 אמר נא ישראל
 רבת צרורני מנורי
 נס לא יבלו לי :

“ Multum oppugnaverunt me ab adolescentia mea,
 “ Dicat nunc Israel ;
 “ Multum oppugnaverunt me ab adolescentia mea,
 “ Non tamen mihi prævaluerunt.

אל נקמות יהוה²
 אל נקמות הופיע :
 עד מתי רשעים יהוה
 עד מתי רשעים יעלז :

1 Ps. CXXIX. 1, 2.

2 Ps. XCIV. 1, et 3.

“ Deus ultionum, Jehova;
 “ Deus ultionum, effulge;
 “ Quousque impi, O Jehova,
 “ Quousque impii triumphabunt?

בְּלֹחִי הַחֲמֹר חָמֹר חָמְרִתִּים,
בְּלֹחִי הַחֲמֹר הַכִּיתִי אַלְפִּי אִישׁ:

“ Maxilla asini, acervum, acertos duos;
 “ Maxilla asini, percussi mille viros.

Sic Isaias : ²

כִּי בְּלֹיל שָׁדֵד עַר מֹאָב נְדֻמָּה,
כִּי בְּלֹיל שָׁדֵד קִיר מֹאָב נְדֻמָּה:

“ Profecto noctu vastatur Ar Moabi, exscinditur;
 “ Profecto noctu vastatur Kir Moabi, exscinditur.

Ita etiam Nahumus in ipso ingressu sublimis Vaticinii : ³

I JUD. xv. 16. “ Videndum, annon isthæc verba sunt hoc pos-
 “ tius modo reddenda: *Maxilla asini turbando turbavi eos.* Hæc
 “ enim videtur esse grammatica vocum constructio: et verbum
 “ usitatam habet notionem *turbandi*. LXX sic reddunt, Εν στά-
 “ τει οὐς εξαλειφων εξαλειψα αυτούς, eandem sequentes constructio-
 “ nem, sed notionem verbi vehementiorem, nempe *delendi*, sive
 “ *perdendi*; quem sensum adhuc retinet in lingua Arabica, in qua
 “ significat non modo *commiscere*, *turbare*, verum etiam *cooperire*,
 “ *supprimere*. Quod si pro altera illa interpretatione, quam etiam
 “ exprimit Versio nostra vernacula, urgeatur EXOD. VIII. 14:
 “ חָמְרִתִּים חָמְרִתִּים, *aceruatim*; responderi potest, voces in his duo-
 “ dus locis alia atque alia forma comparere. Et verbum hoc
 “ in loco ad exprimentum tumultum et confusionem præcipue ex-
 “ quisitum videtur, et aliis prælatum, gratia paronomasiæ, et
 “ manifestæ affonantiæ, quam habet cum *Afinus*.” H.

² Cap. xv. 1.

³ NAH. I. 2.

אֵל קָנוֹא וְנַקְמַת יְהוָה
נַקְמַת יְהוָה וּבֶעֱלָת הַמְּהֻהָה:
נַקְמַת יְהוָה לְצִדְקוֹת
וּנוֹטָר הוּא לְאַיִבּוֹ:

“ Deus zelotes, et ultor Jehova;
“ Ultor Jehova, et irritabilis:
“ Ultor Jehova inimicorum suorum;
“ Et injuriæ memor ille in hostes suos.

Sæpe deest aliquid in posteriore membro, e priore repetendum ad explendam sententiam :¹

שָׁלֵחַ מֶלֶךְ וַיַּתְּרֹחַ
מִשְׁלֵעַםִים וַיַּפְתַּחַהוּ:

“ Misit rex, et solvit eum;
“ Dominator populorum, et eum liberavit.

Similiter Isaias :²

מֶלֶכִים יַרְאֹו וְקַמּוּ
שָׁרִים וַיַּשְׂתַּחֲווּ:
לְמַעַן יְהוָה אֲשֶׁר נָאמַן
קָדֵשׁ יִשְׂרָאֵל וַיַּבְחַרְךָ:

“ Reges videbunt, et affurgent;
“ Principes, et adorabunt:
“ Propter Jehovam, qui fidelis est;
“ Sanctum Israelis, et te elegit.

Fréquenter totum membrum posterius parti duntaxat aliqui prioris respondet :³

¹ P.S. CV. 20.

² ISA I. XLIX. 7.

³ P.S. XCVII. 1.

יהוה מלך תנל הארץ
ישמחו אַיִם רְבִים :

“Jehova regnat, exultet tellus;
“Lætentur insulæ plurimæ.

קומי אורי כי בא אורד
וכבוד יהוה עליך זורה :

“Surge, effulge, nam venit lux tua;
“Et gloria Jehovah super te oritur.

Tricola raro habent ultra duo Parallelæ Synonyma : impar membrum vel inchoat periodum, vel pene concludit, et ad reliquorum utrumque sæpe referri potest :²

נשאו נחרות יהוה
נשאו נחרות קולם
ישאו נחרות דכימ :
מקולות מים רבים
אדירים משברי ים
אדיר במרום יהוה :

“Sustulerunt fluctus, O Jehovah,
“Sustulerunt fluctus vocem suam ;
“Usque sustulerunt fluctus fremitus suos.
“Vocibus aquarum multarum,
“Magnificis maris fragoribus,
“Magnificentior in excelso Jehovah.

לכו ונשובה אל יהוה
כי הוא טרף וירפאננו
יך ויחבשנו :

1 ISAI. LX. 1.

2 PS. XCIII. 3, 4.

3 HOS. VI. 1, 2.

יחיינו מימים
ביום השלישי יקמנו
ונחיה לפניו :

“ Agite, redeamus ad Jehovam ;
“ Nam ipse laceravit, et sanabit nos,
“ Sauciavit, et nos curabit :
“ Vitæ nos restituet post biduum,
“ Die tertio nos fuscitabit,
“ Et in conspectu ejus vivemus.

In Pentacolis, quorum similis fere est ratio, medium nonnunquam locum habet membrum impar inter duo disticha :

כasher יגהה הארץ
והכפיר על טרפו
אשר יקרה עליו מלא רעים
מקולם לא יחת
ומהמונם לא יעננה :

“ Quemadmodum rugit Leo,
“ Et catulus leonis super prædam suam,
“ In quem cogitur pastorum turba ;
“ Ad vocem eorum non pavebit,
“ Neque ad tumultum eorum animum dejiciet.

תרא אשקלון ותירא²
ועזה ותחליל מאדר
ועקרון כי הובייש מבטה
ואבד מלך מעוזה
ואשקלון לא תשב :

ISAIA. XXXI. 4.

² ZACH. IX. 5.

“ Videbit Ascalon, et timebit ;
 “ Et Gaza, et vehementer dolebit ;
 “ Et Accaron, quoniam puduit expectationis suæ :
 “ Et peribit rex de Gaza,
 “ Et Ascalon non habitabitur.

Tetracola fere constant duobus distichis ; sed est ubi in his peculiare quoddam artificium cernitur in sententiarum distributione : ¹

משמיֹת הַבֵּית יְהוָה :
 ראה את כל בני האָדָם
 ממכונ שְׁבָתוֹ הַשְׁנִיה
 אל כל יְשִׁבֵּי הָאָרֶץ :

“ De cœlo prospicit Jehova,
 “ Cernit omnes filios hominis ;
 “ De sede domicilii sui contemplatur
 “ Omnes incolas telluris.

אֲשֶׁר חָצֵי מִדְּסָמֵךְ
 וְחַרְבֵּי תָּאכֵל בָּשָׂר
 מִרְסֵם חָלֵל וְשִׁבְיָה
 מַרְאֵשׁ פְּרֻעָה אֹוִיב :

“ Inebriabo sagittas meas sanguine,
 “ Et gladius meus devorabit carnem ;
 “ Sanguine confosorum captorumque,
 “ De capite capillato inimici.

In quibus utrisque locis posteriora membra ad priora referenda sunt alternatim. Eleganter etiam Isaias : ³

¹ P. S. XXXIII. 13, 14.

² D E U T. XXXII. 42.

³ I S A I. LIV. 5.

כִּי בְּעָלֵיךְ עֹשֵׂיךְ
יְהוָה צְבָאות שְׁמוֹ
וּגְאַלְךְ קָדוֹשׁ יִאֲרָשֵׁל
אֱלֹהִי כָּל הָאָרֶץ יִקְרָא :

“ Nam maritus tibi erit Creator tuus ;

“ Nomen illi Jehova Exercituum :

“ Et redemptor tuus Sanctus Israelis ;

“ Deus universæ terræ vocabitur :

in quibus alternant sensus. In sequentibus alternat constructionis forma :

וְתִמְלָא אָרֶצְךָ כְּסֵף וְזַהָב
וְאֵין קָצָה לְאַצְרָתְךָ
וְתִמְלָא אָרֶצְךָ סֻמִים
וְאֵין קָצָה לְמַרְכְּבָתְךָ :

“ Et plena est terra ejus argento et auro,

“ Et nullus est modus ejus thesauris ;

“ Et plena est terra ejus equis,

“ Et nullus est modus ejus curribus.

Est fortasse singularis exempli hoc Tetracolon : ²

מֵ כִּי-הָוֶה אֱלֹהֵינוּ
הַמְגַבֵּיהַ לְשִׁבְתָּה
הַמְשִׁפֵּילִי לְרָאוֹת
בְּשָׁמַיִם וּבָאָרֶץ :

“ Quis sicut Jehova Deus noster ?

“ Qui altissime habitat ,

“ Qui humillime respicit ,

“ In cœlis et in terra .

¹ ISA I. II. 7.

² PS. CXIII. 5, 6.

ubi posterius membrum ad duo priora divisim tribuendum est, ut sit, “Qui altissime habitat in cœlis, et humilissime respicit quæ sunt in terra.”

Alteram speciem faciunt Parallelæ Antitheta; cum opposito contrario res illustratur. Hoc non uno modo fit: nam et sententiæ sententiis, et verba verbis, et singula singulis, et bina binis, et unum uni opponitur: quorum omnium exempla sunt in sequentibus.

נאמנים פצע אוחב
ונעתרות נשיםות שונות;
נפש שבעה תבום נפת
ונפש רעבה כל מר מתו;
יש מתעורר והואין כל
מתrossoש והוון רב;
חכם בעינו איש עשיר
ודל מבין יזכירנו;

“ Fideles sunt plagæ amantis;
“ Sed mendacia oscula oforis.
“ Anima satura proculcabit favum;
“ Sed animæ esurienti omne amarum dulce est.
“ Est, qui divitem se simulat, cum ei defint
“ omnia;

I PROV. XXVII. 6, 7. XIII. 7. XXVIII. II.

z “ Etiamnum in usu est in Oriente verbum עתר, et in Lexico quodam Arabico inter præstantissima habito exponitur per verbum (idem cum Hebræo) בזב (idem cum Hebræo) mentitus est. Unde patet Antithesis inter duo Hemistichia; quam perfecte exhibere frustra tentaverunt Interpretes. LXX. habent ἐνθυσία, spontanea, five ψολυταρια. Legisse videntur געתרות H.

“ Qui

“Qui pauperem se fingit, cum ei divitiæ sint
“multæ.

“Sapiens sibi videtur vir dives;

“Sed pauper prudens eum explorabit.

Fit nonnunquam contrapositio partium inter se in eadem sententia, qualis semel in superioribus occurrit; ut in proxime sequente:

**שחורה אני ונואה בנות ירושלים
כאהלי קדר כיריעות שלמה:**

“ Nigra sum, sed tamen pulchra, O Hierosoly-
“ mitides;

“Sicut tentoria Kedarenium, sicut aulæa Salo-
“monis

Quod etiam divisim sumendum est : “ nigra, ut tentoria Kedarensum ; pulchra, ut aulæa Salomonis.” Ut denique in Samsonis Ænigmate :²

ומען יצא מתחוק;

“Ex edaci prodiit edulium;

“ Atque ex acri prodiit dulcedo.

Equidem totum hoc genus potissimum convenit adagiis et dictis acutis; adeoque in Parabolis Salomonis principue cernitur, quarum vis omnis et elegantia saepenumero vertitur in hac partium contrapositione. Non tamen omnino abhorret a cæteris Hebrææ poeseos partibus: nec reformidavit hanc exornationem Hanna in Oda *exhortacione*; cuius ut formam universam adumbravit, ita

hunc etiam locum attigit in Hymno suo, Sanctissima Virgo Maria : ³

קשת גברים חתים
ונכשלים אצרו חיל :
שבעים בלחם נשכו
ורעבים ² חרלו :
עד עקרה ילדה שבעה
ורבת בנים ³ אמללה ;
יהוה ממית ומהיה
מוריד שאול ויעל :
יהוה מורייש ומעשיר
משפיל אָף מרוםם :

“ Arcus fortium conteruntur ;
“ Et qui lapsi sunt, accinguntur robore :
“ Saturi ob viictum operam suām locant ;
“ Et famelici esurire desinunt :
“ Etiam sterilis septies peperit ;
“ Et quæ abundarat liberis orba est.
“ Jehova neci dat, et vitæ restituit ;
“ Dejicit in orcum, et educit.
“ Jehova depauperat, et ditat ;
“ Deprimit, idemque evehit.

I I. S A M. II. 4, — 7. confer L U C. I. 52, 53.

2 “ Manifesto desideratur aliiquid post ad explendam sen-
“ tentiam. Quid si vocem צְעַד ab initio Commatis proxime sequen-
“ tis retrahamus, atque ita accipiamus, ac si derivata esset a verbo
“ עֲזֹב, prædatus est ? Ita sensus erit, Et famelici cessant a prædando ;
“ desinunt prædari, scilicet ob esuriem : ut חָרְלוּ רַגֵּן, J O B. III.
“ 17.” H.

3 “ אָמְלָלָה, Orba est : an effæta ? LXX, οὐθενησε : et eo in sensu
“ usurpari videtur hæc vox, J E R. XV. 9.” H.

Parcius quidem isthac utitur sublimior Poesis : sed in hac ipsa suavitate minime decedit a sua dignitate Isaias :¹

ברגע קטן עזבתיך

ובחרמים גרוילים אקבץ :

בשעף קצף הסתרתי פני רגע ממך

ובחשד עולם רחמתיך אמר נאלך יהורה :

“ Pusillo momento dereliqui te ;

“ At miserationibus magnis te colligam :

“ Momentanea iracundia vultum a te paulisper ab-
“ didi ;

“ At sempiterna clementia tui miserebor, ait Je-

“ hova Redemptor tuus.

הנה עברי יאכלו ואתם תרעו

הנה עברי ישטו ואתם תצמאו

הנה עברי ישמרו ואתם תבשו :

הנה עברי ירנו מטوب לב

ואתם תצעקו מכאב לב

ומשבר רוח תיללו :

“ Ecce servi mei edent, sed vos esurietis ;

“ Ecce servi mei bibent, sed vos fitietis ;

“ Ecce servi mei lætabuntur, sed vos pudore suf-
“ fundemini :

“ Ecce servi mei cantabunt præ lætitia animi ;

“ Sed vos lamentabimini præ angore animi,

“ Et præ mentis cruciatu ejulabitis.

Tertia species est Parallelorum, cum Sententiæ invi-
-cem respondent, non ejusdem rei iteratione, aut oppo-

¹ ISAI. LIV. 7, 8.

² ISAI. LXV. 13, 14.

sitione diversarum, sed sola Constructionis forma; in quam itaque referri possunt cætera, quæ in duas priores species non cadunt: Parallelæ Synthetica libet appellare. Horum exempla quædam insigniora proferam.¹

תורת יהוה תמיינה משיבת נפש
עדות יהוה נאמנה מהכימת פתח:
פקודי יהוה ישרים ממשמי לב
מצות יהוה ברה מאירת עינים;
יראת יהוה טהורה עומדת לעד
משפטי יהוה אמת צדקו יתדו;
הנחמדים מזוהב ומפוז רב
ומתויקים מדבש ונפת צופים:

“ Lex Jehovæ integra est, restituens animam;
“ Testimonium Jehovæ verax, sapientiam præstans
“ imperito:
“ Præcepta Jehovæ recta sunt, cor exhilarantia;
“ Disciplina Jehovæ pura, oculos illuminans:
“ Reverentia Jehovæ casta est, perpetuo perstans;
“ Judicia Jehovæ ipsa veritas; justa sunt pariter.
“ Desiderabiliora sunt auro, et obryzo plurimo;
“ Et dulciora melle, et favis stillantibus.

Longiusculorum sene versuum genus hoc esse videtur,
quorum non desunt multa exempla apud Prophetas:²

איך שבת נגש שבחה מרבה
שבר יהוה מטה רשיים שבט משלים:
מכה עמים בעברה מכת בלתי סורה
רדיה באף גוים מרדף בל' חשך:

¹ P.S. XIX. 8, — 11.

² ISAIA. XIV. 4, — 9.

- נַחַת שְׁקָטָה כָּל הָאָרֶץ פִּצְחָו רְנָה
 גַּם בְּרוֹשִׁים שְׁמָחוּ לְךָ אֲרוֹזִי לְבָנוֹ
 מָאוֹ שְׁכַבְתָּ לֹא יַעֲלֵה הַכְּרָת עַלְינָו :
 שָׁאָל מִתְחַת רְגֹנוֹ לְךָ לְקַרְאָת בּוֹאָר
 עֹורֶר לְךָ רְפָאִים כָּל עֲתֹודִי אָרֶץ
 הַקִּים מְכַסְּאֹתֶם כָּל מֶלֶכִי גּוֹיִם :
- “Quomodo cessavit oppressor, cessavit auri ex-
 “actrix !
- “Fregit Jehova virgam impiorum, sceptrum do-
 “minantium !
- “Qui cædebat populos atrociter, plaga nunquam
 “remissa ;
- “Qui irate dominabatur gentibus, profligatur nullo
 “prohibente.
- “Quiescit, tranquilla est tota tellus ; erumpunt in
 “cantum ;
- “Etiam Abietes lætantur de te, Cedri Libani ;
- “Ex quo jacuisti, non ascendit in nos excisor.
- “Orcus propter te commovetur subtus, ut venienti
 “eat obviam ;
- “Excitat tibi defunctos, omnes primores terræ ;
- “Surgere facit de soliis suis omnes reges gen-
 “tium.

Porro ex hoc genere Parallelorum multa sunt Tri-
 “cola :

זרמו מים עבות
 קול נתנו שחקים
 אף חצץ יתהלך :

קול רעם בנהר
הairo ברקם תבל
רנזה ותרעש הארץ :

“ Exundarunt aquis nubes ;
“ Fragorem edidit æther ;
“ Tum sagittæ tuæ discurrerunt :
“ Vox tonitrus tui in turbine ;
“ Illuxerunt orbi fulgura ;
“ Commota est et intremuit tellus.

אהיה כטל לישראל .
ירח כמושנה :
ויך שרשיו לבנון :
ילכו יונקותיו
ויהי צוית הודו
וירח לו לבנון :

“ Ero sicut ros Israeli ;
“ Germinabit in morem lilii ;
“ Et radices aget instar Libani.
“ Procedent ejus furculi ;
“ Eritque decus ejus instar oleæ ;
“ Et odor ei, qualis Libano.

Sæpe unum membrum duo in se enuntiata continet :²

המו נויים מטו מלכות
נתן בקולו תמונה ארץ :
הרפו ורעו כי אנכי אלהים
אروم בגויים ארום בארץ :

¹ Hos. XIV. 6, 7.

² Ps. XLVI. 6, et 10.

“ Tumul-

“ Tumultuantur gentes ; commoventur regna :
 “ Edit vocem [Deus ;] illico colliquefecit tellus.
 “ Desistite, atque agnoscite me esse Deum :
 “ Evehar in gentibus ; evehar in terra.

כִּי תַעֲבֵר בְּמֵימָם אֶתְךָ אֱנִי,¹
 וּבְנָהָרוֹת לֹא יִשְׁטְפֹּךְ
 כִּי תַלְךְ בְּמוֹאשׁ לֹא תִּכּוֹחַ
 וְלֹהֲבָה לֹא תִּבְעַר בָּךְ :

“ Cum transibis aquas, ego tibi adero ;
 “ Cum flumina, non te submergent :
 “ Cum vadet per ignem, non cremaberis ;
 “ Et flamma non te comburet.

Una est figura quam saepe usurpan in hoc genere, quæque videtur esse omnino Poetica : nimirum cum numerum definitum pro indefinito ponunt, Parallelismi præcipue, ut videtur, causa ; fit enim nonnunquam ut his numeris minus accurate respondeant res deinceps enumeratæ.²

בְּשָׁשׁ צְרוֹת יְצִילָךְ
 אֶבְשָׁבָע לֹא גַע בָּךְ רַע :

“ In sex periculis te liberabit ;
 “ Et in septem non attinget te malum.

אַחַת דָּבָר אֱלֹהִים³
 שְׁתִים זָו שְׁמֻעָתִי :

“ Semel locutus est Deus ;
 “ Bis etiam illud audivi.

1 ISAIA. XLIII. 2.

2 JOB. V. 19.

3 PS. LXII. 12.

Notum est illud Amosi aliquoties repetitum :¹

עַל שְׁלָשָׁה פְשָׁעִי דְמָשָׂק
וּל אֶרְבָּעָה לֹא אֲשִׁיבָנוּ :

“ Propter tria peccata Damasci,

“ Et propter quatuor, eam non restituam.

Magna est in his Parallelis Syntheticis formarum varietas, et prope infiniti similitudinis gradus: adeo ut nonnunquam admodum subtilis sit Parallelismi ratio, magisque pendeat ab arte quadam et solertia sententiæ membra dispertiendi, et incisa faciendi, et supplendi insuper ab una parte quod alteri deest, quam ex obvia constructionis forma appareat. Hoc quam late pateat, quamque exilem et simul difficultem habeat explicacionem, uno exemplo intelligi potest. Monocolon hoc esse videtur, et fane est, si nudam sententiam simpliciter spectes :²

וְאַנְיַ נִסְכָתִי מִלְכֵי עַל צִיּוֹן הַר קָדְשִׁי :

“ Ego vero inunxi regem meum in Sione monte

“ meæ sanctitatis.

Cæterum in medio distinguendum esse, unumque enuntiatum in duo distribuendum, monet universa hujuscce Psalmi compositio; quasi esset,

וְאַנְיַ נִסְכָתִי מִלְכֵי
נִסְכָתִי עַל צִיּוֹן הַר קָדְשִׁי :

“ Ego vero inunxi regem meum;

“ Inunxi eum in Sione monte meæ sanctitatis.

1 AMOS. I. 3, &c.

2 PS. II. 6.

Quod et hoc in loco, et sæpe alias vidisse Masoretæ¹ videntur.

In hac peculiari conformatione, sive Parallelismo Sententiarum, Metricæ Hebrææ artificium magna ex parte contineri existimo: cui insuper accessisse credibile est numerorum vel etiam pedum aliquorum observationem: ejus vero rei adeo jam obscura est ratio, ut utrum aurium solummodo mensura, ac spatiorum similiter decurrentium sono regeretur; an certa aliqua demensione, ac legibus accuratius definitis constaret, frustra omnino jam disquireremus. Cum autem et hoc, et reliqua etiam metricæ artis signa et quasi vestigia in plerisque Prophetarum scriptis, pariter atque in Libris Poeticis, extant, id satis esse causæ arbitror, cur in horum censum illos etiam referam.

Ne autem isti Sententiarum Compositioni tantum tribuere videar, quantum haetenus nemo, et opinionem nulla satis idonea auctoritate commendatam temere amplecti; proponam vobis Azariæ Judæi, non quidem antiqui, sed valde probati auctoris, de hac re sententiam. Ait ille,² “Sine dubio esse mensuras et proportiones certas Canticorum facrorum, sed illas non confistere in numero motionum, (hoc est, syllabarum) vel pedum perfectorum aut imperfectorum, juxta formam carminum hodiernorum; sed in numero Regrum, et illarum (rерum) partium, Subjecti scilicet et Prædicati, et quod illa inter se copulat in unaquamque sententia et enuntiatione:” (quæ tamen Azariæ

¹ Nam vocem בָּלְכִ' notant Accentu distinctivo Athnac, quo plerumque Distichorum membra interpungunt. Vide porro, si libet, P.S. XVII. 7. XXXII. 3. XXXIII. 14. CII. 8. CXXXVII. 2.

² Mantis Differt. ad Librum cosri. pag. 418.

verba sunt cum aliquo temperamento intelligenda, nec ex Dialecticorum formulis restrictius interpretanda; pergit enim,) “sic est versus duabus mensuris, seu pro-“positionis partibus, constans; quibus si accedat secun-“dus, fiunt quatuor: alius qui constat ex tribus; qui-“bus si alter accedat, fiunt sex: — non enim tibi sunt “numerandæ vel syllabæ vel dictiones, sed sensus.” Exempli gratia: יְמִינֵךְ יְהוָה “Dextra tua, O Jeho-“va!”¹ ex mente Azariæ sunt duæ mensuræ, sive in-“tegræ propositionis partes; item duæ, נַאֲדָרִי בְּכָח “Magnifica est virtute;” quæ conjunctæ faciunt Te-“trametrum: similis est ratio sequentis;

יְמִינֵךְ יְהוָה תְּרֻעָן אֹוֵב

“Dextra tua, O Jehova, confregit hostem.

Ita in harum propositionum utraque tres sunt men-“suræ,²

עַרְפָּה כְּמַטָּר לְקָחֵי תְּזַלְּ כְּתָלְ אֶמְרָתִי

“Destillabit, ut pluvia, doctrina mea; fluet, ut
“ros, mea oratio:

adeoque conjunctæ faciunt Hexametrum. Evidem nec nihil, neque omnia hæc sunt, quæ hic dicit: nam et multis in locis alio est configendum, ubi valde in-æqualis est sententiarum distributio, et parum inter se respondent propositionum partes, ut sæpe fit etiam in Psalmis; et ubi vel maxime ordinatæ et compositæ sunt sententiæ, haud facile semper ad illius formulas reduci possunt. Verum etsi non sit illud solum atque unicum in quo tota res vertitur, tamen in eo haud pa-“rum inesse momenti ad distinguendos carminum nume-

¹ EXOD. xv. 6.

² DEUT. XXXII. 2.

ros, nemo opinor dubitabit, qui in libris Poeticis legendis, atque in his magna Propheticorum parte, ad hanc rem paulo diligentius animum attenderit.

Quod si quis totam hanc membrorum atque incisorum observationem, tenuem, ac nugatoriam, operæque plane inutilis esse existimet ; reputet is secum, nihil cuiquam majori esse usui ac præsidio ad investigandos scriptoris alicujus sensus, quam ut ejus styli et generalem charactera et peculiares notas imprimis intelligat, semperque eo sedulo animum advertat : porro etiam sciat nulla alia de causa sæpius in errorem incidisse omnes interpres, quam ex hujus ipsius rei incuria ; vix quidquam uberiores in critica sacra versanti fructus etiamnum polliceri, quam positam in eadem curiosam et sollicitam diligentiam.

P R A E L E C T I O V I C E S I M A :

P O E S E O S P R O P H E T I C Æ

G E N E R A L I S C H A R A C T E R .

QUI B U S inductus rationibus Prophetarum vaticinia poeticis Hebræorum monumentis adnumerarem, proxime exposui. De majori parte loquor, non de omnibus Prophetarum scriptis: sunt enim in his nonnulla, quæ non sunt Vaticinia; sunt alia, quæ cum justa sint Vaticinia, non tamen sunt Poetica. Primum itaque ex eo numero eximo narrationes plane historicas rerum gestarum quæ Vaticiniis occasionem dederunt, et quarum expositio eisdem inducendis, illustrandis, explicandisque inservit: ejusmodi aliqua habet Isaias, multa Jeremias. Totum quod dicitur Jonæ Vaticinium est rei gestæ nuda explicatio, nihil habens Poeticum præter Vatis precationem, eaque est Ode. Deinde excipiendæ sunt etiam Vaticinationes, graves forsan et elatæ, sed stylo et sententiis Poeticis minime compositæ: cuius generis multa habet Ezekiel, oratoribus fortasse quam poetis sæpius adnumerandus. Utramque ob causam, nimirum quod sit rerum partim gestarum, partim gerendarum, mero sermone exposita narratio, totum Danielis Librum e

Poeticorum censu excludo. Is quidem Parabolicis Imaginibus multum utitur; sed ut Propheta, per visiones, et umbras allegoriarum, res et eventa significans, sine ullo styli Poetici colore. Danielem Judæi etiam Prophetam esse negant; verum argumentis valde futilibus sententiam suam confirmatum eunt: nam quæ de dotis Propheticæ conditionibus, de diversis ejusdem gradibus, deque discrimine inter veram Prophetiam et Spiritum Sanctum, statuunt, ea omnia sunt vanissima, nec in rei natura posita, neque ulla sacrorum scriptorum auctoritate comprobata. Addunt, eundem nec disciplinæ propheticæ usu et præceptis primo imbutum fuisse, neque postea more propheticō vitam instituisse: quod ad cælestis instinctus et divinæ facultatis opinionem minuendam quid faciat, non video; causam forsan ostendit, cur Danielis stylus tantam habeat a reliquis dissimilitudinem, tantumque abhorreat a Poetico charactere, quem cæteri fere communem habent, quemque, ut supra exposui, e disciplina et scholis aliqua ex parte hauserunt.

Porro, occurrunt in Prophetarum scriptis alia nonnulla, quæ Poetica quidem sunt, sed ad hanc Speciem non pertinent; integra nimurum Poemata diversi generis, Odæ, Elegiæ, apud Isaiam, Habbaccum, Ezechielem. His demum exceptis, reliqua Prophetarum Vaticinia, quorum nonnulla in libris historicis extant singulatim fere a me antehac commemorata, summam quandam conficiunt, quæ eam Poeseos speciem, quam Propheticam appello, constituit. Hujus speciei descriptionem aliquam, per quam a cæteris discriminari possit,

ⁱ Vide M A I M O N. *More Neboc.* II. 45.

primum vobis conabor proponere : de singulis Prophetis, de eorum stylo et charactere, quantum ad Poeticam pertinet, disceptationem deinceps aggressurus.

Poeseos Propheticæ ingenium ex ipsius Prophetiæ natura et fine investigandum est. Omnis Prophetiæ finis proximus spectat ad eorum utilitatem, qui eventum præsignificatum ætate antecedunt; estque vel Terror, vel Consolatio. Ad incutiendum Terrorem, vel Consolationem adhibendam, necessaria est rerum tristium vel lætarum amplificatio, fusæ descriptiones, imagines variæ, grandes, elatæ; eæque non nimis determinatæ, nec in singulis partibus et adjunctis hærentes; sed potius vagæ ac generales, universam tantum totius rei naturam ejusque magnitudinem exprimentes: siquidem prophetia ex natura sua habet aliquam obscuritatem secum conjunctam, estque, ut eleganter Apostolus, *ὢς λυχνος εγ μυρω τοπῳ φανων, ἐως ἡ μερη διαματη και φωτφοεσ ανατειλῃ.* Est etiam Prophetiæ ulterior finis, qui que eos respicit qui eventum prænuntiatum postero tempore secuturi sunt; nimirum, demonstratio testificatioque Divinæ Veritatis. Atque is quidem postulare videtur prope diversum enuntiationis modum; siquidem huic rei inferviret maxime dictio propria, imagines aptæ, adjunctorum enumeratio, notatio singularium. Horum vero ut apertior designatio velum illud obscuritatis oraculo penitus detraheret, ita etiam parciōr usus specialium attributorum ei fini abunde sufficiet; etenim unius atque alterius adjuncti notatio specialis, simulque universalium imaginum proprietas post eventum longe clarius elucens, in hac re incredibilem

habet evidentiam; ut multis exemplis ostendi posset. Igitur Dic̄tio Prophetica priorem illam rationem præcipue sequitur; in generalium amplificatione maxime versatur, ad specialem attributionum et circumstantiarum enarrationem parce cauteque descendit.

Porro id etiā fæpenumero habet Prophetia, ut plures eventus, natura et tempore disjunctos, simul prospiciat, et per diversos veluti gradus ad extremum præcipuumque exitum perveniat. Hanc etiam ob causam notiones universales maxime sequitur, easque communibus imaginibus exprimit; quippe quæ' totam Divini consilii comprehensionem includere possint, singulaque rerum atque eventuum progressiones comitari; ad propinquiorem aliquam veluti metam facile referendæ, sed ad ultimi finis magnitudinem et pondus exæquandum accuratius adnumeratae atque appensæ.

Quod si ea sit quam dixi Prophetæ ipsius indoles; si in extremis tantum rerum lineamentis effingendis, et in generalibus affectionibus describendis amplificandisque, præcipue versetur; exinde satis intelligi potest, primo, quanto cum suo emolumento Poesi adjutrice et administra utatur, quamque ad omnes suas rationes accommodatam habeat dictionem Parabolicam; cuius ea natura est, sicuti fuse antea exposui, ut magnam præbeat copiam et varietatem communium imaginum, quibus aliqua materies late ampleque in universum exornari possit: deinde, quinam esse debeat Propheticæ Poeseos proprius Character.

Est itaque Poësis Prophetica ornatior, splendidior, florentior, quam ulla alia Sacræ Poëseos species; Ima-

[¶] Vid. supra PRÆL. XI. sub fin.

ginibus uberior et frequentior, iis nimirum, quæ in Stylo Parabolico communes sunt ac veluti publici juris, quæque a rebus certis definitisque ad notiones infinitas et universales signandas, servata quadam analogia, transferuntur. Atque ex his etiam eas frequentat maxime, quæ petuntur ab Historia sacra, et a rebus naturalibus: Metaphoris, Allegoriis, Comparisonibus, ad hæc fusis etiam Descriptionibus, præ cæteris abundant. Habet ex sua natura germanum ac sincerum εὐθετισμὸν; ideoque in φαντασίᾳ et εὐρητῃ valde excellit, unde eximia oritur Sublimitas: hinc etiam est, quod in Affectibus exprimendis sæpe feliciter admodum versatur; quanquam in iisdem concitandis constantius occupata: hunc enim finem semper habet sibi propositum, hoc munus veluti propriam provinciam administrat.

Quod ad rerum ordinem ac dispositionem attinet, formamque legitimam, quæ in hac specie integrum Poema conficiat; nihil sane statui potest quod in universum videatur obtainere. Soluta plerumque, ut pars est, et libera, suo impetu fertur, nullas servans leges, sed materiæ rationem sequens, et Divini Spiritus impulsu. Quanquam non pauca sunt, quorum hac etiam in parte eximia est pulchritudo; qualia sunt ex brevioribus Vaticinijs Balaam effata, quæ singula suam quandom figuram habent et justam partium descriptionem; eleganti inchoantur exordio, apta rerum continuatione ac serie decurrunt, et perfecta demum conclusione plene absolvuntur. Multa etiam ejusmodi sunt apud reliquos Prophetas, et præcipue Isaiam, quæ eo nomine laudari possunt, atque in justorum Poematum censem merito referri. Ex hujus elegantissimi Vatis scriptis proponam yobis, Academici, in hoc genere exemplum, omnibus et

et dictionis et compositionis Poeticæ luminibus ornatum : non modo ut ostendam, quam accurate nonnunquam rerum ordinem aptamque partium distributionem servet Poesis Prophetica, sed ut simul explicare possim dilucidius ipsius Prophetiæ naturam atque indolem jam traditam ; atque id quidem vel præcipue ; nam quæ de hac re, in se quidem recondita et subtili, generatim et nude modo differui, vereor ne vobis ea aliquantum involuta et obscura viderentur.

Insigne continent Vaticinium capita Isaiæ quartum et quintum supra tricesimum. Poema est simplex, unum, integrum ; duabus constans partibus pro ratione subjectæ materiæ, quæ, quod ad generalem ejus naturam attinet, valde perspicue atque evidenter exponitur. Denunciatur enim primo adversus universos hostes Ecclesiæ Dei notabile aliquod idque absolutum ac novissimum excidium ; deinde ei eventui consequens plena et perfecta Ecclesiæ instauratio promittitur. Utitur Vates magnifico exordio, totam rerum naturam excitans ad ea percipienda quæ ad universum terrarum orbem pertinarent :

קרבו גויים לשמע
ולאמים הקשיבו :
תשמע הארץ ומלאה :
תבל וכל צואיה :

“ Accedite, gentes, ad audiendum ;

“ Et populi, animum advertite :

“ Audiat tellus, et plenitudo ejus ;

“ Orbis, et omnis ejus propago.

Tum proponit decretum Jehovæ de gentibus omnibus, impiis nimirum Deoque invisis, funditus extirpandis; eamque excisionem amplificat lectissima varietate splendidissimarum imaginum, quæ omnes ex eo sunt genere, quod in hujusmodi materia communiter a plerisque Vaticibus usurpatum; quarumque ea ratio est, ut vim, magnitudinem, atrocitatem, ac pondus rei designatae exaggerent; de more autem modoque, de tempore, de loco, de minutioribus eventus circumstantiis, nihil certi definiunt. Primo eam exponit quasi cladem stragemque bellicam a Victore in hostes editam¹:

וחליהם ישלכו
ופניהם עלה באשם
ונמטו הרים מרים:

“ Occisi eorum projicientur;
“ Ex cadaveribus ascendet fætor;
“ Montesque eorum sanguine colliquescent.

Tum audacius insurgit, et imaginibus a Chao Mosaico petitis, et ad omnem qualiscunque sit gentium et regnorum eversionem exprimendam solenniter usitatis, eundem rerum exitum ita amplificat, ac si exponeretur mundi ipsius dissolutio²:

ונמקו כל צבא השמים
ונגלי ספר השמים
וככל צבאם יבול
כنبל עליה מנפן
וכנבלת מתאהה:

“ Et contabescet omnis cœlorum exercitus;
“ Cœli ipsi instar schedulæ convolventur:

¹ Ver. 3.

² Ver. 4.

“ Et

“ Et omnis eorum exercitus decidet ;

“ Sicut cassa de vite folia,

“ Utque marcida ex arbore sua ficus.

Protinus alia inducitur imago ; celebratur ingens Sacrificium, opima et larga Victimarum mactatio ; fit Jehovah ipsius Prosopopœia, reique sub oculos subiectio :

כִּי רוחה בשמות חרב

הנה על אדום חרד

ועל עם חרמי למשפט :

חרב ליהוה מלאה דם

הדרשה מחלב

מדת כרים ועתודים

מחלב כליות אילים :

כִּי צבח ליהוה בבצורה

וטבח גדוֹל בארץ אדום :

“ Nam inebriatus est in cœlis gladius meus ;

“ Ecce in Idumæam descendet,

“ In populum a me justæ internecioni devotum,

“ Gladius Jehovah satiatus est sanguine,

“ Pinguefactus adipe ;

“ Sanguine agnorum et hircorum,

“ Adipe ex renibus arjetum :

“ Siquidem Jehovah sacrificium est Botfræ,

“ Et ingens mactatio in terra Idumæorum.

Hirci, arietes, tauri, juvenci, cæteraque animalia, quorum hic et deinceps fit mentio, ex eo itidem sunt genere, quorum communis est usus, et lata quædam atque univer-

salis accommodatio, ad designandos gentium Dei inimicarum duces et tyrannos, crudeles, superbos, feroce, insolentesque. Atque eadem plane est ratio Botfræ et Idumææ, urbis gentisque Dei Populo infestissimæ, quas ipsas non nisi leviter ac veluti in transcurso attingere videtur hoc Vaticinium; sed est appellatio a proprio ad universi generis rationem traducta; sive, uti dixi, imaginis a re certa definitaque ad notionem infinitam et universalem designandam per Analogiam facta translatio; in qua etiam suam hic proprietatem habet vocum ipsarum¹ vis ac potestas. Porro, novis jam iisque splendissimis coloribus ejusdem rei ornatur descriptio; ex Sodomorum eversione transfertur imago, qui, ut antea notavi, est unus ex illis communibus locis:²

כִּי יּוֹם נָקֵט לְיְהוָה
שָׁנַת שְׁלֹמִים לְרַב צִיּוֹן;
וְנַהֲפֹכוּ נָחָלָה לְזָפָת
וְעַפְרָה לְגַפְרִית
וְהִתְהַגֵּד אֶרְצָה לְזָפָת בָּעָרָה;
לִילָה וַיּוֹמָס לֹא תְכַבֵּה
לְעוֹלָם יָעָלָה עֲשָׂנָה;
מַדּוֹר לְדּוֹר תִּחְרֹב
לְנַצְחָה נַצְחִים אֵין עַבְרָ בָּה;

“ Agitur enim dies ultionis Jehovæ;
“ Annus pœnarum sumendarum Sionis vindici:
“ Et vertentur torrentes ejus in picem,
“ Pulvisque ejus in sulphur;

¹ Vide LOWTH. et VITRING. in loc. et in Cap. LXXXI. 1.

² Ver. 8, 9, 10.

“ Et

“ Et terra ejus in ardentem picem tota redigetur :
 “ Noctes diesque inextincta ardebit ;
 “ Fumus ejus in æternum ascendet :
 “ In perpetuas ætates jacebit deserta ;
 “ Per infinita sæcula nemo eam peragrabit.

Postremo, idem adhuc eventus adumbratur sub imagine desertissimæ solitudinis et immanissimæ cujusdam vastitatis, cui ex divino decreto ea regio addicitur ; ¹ cujus rei fusiorem descriptionem per plura adjuncta, quorum tamen omnium communis quædam est et generalis natura, varie, eleganter, magnificeque Vates dedit.

Altera pars hujus Poematis eodem plane modo tractatur, exhibetque scenam quandam pulchre contrapositam et adversantem superiori. Imagines, quibus varie splendideque ornatur, sunt item omnes universales et late patentes, sed quarum nota est potestas et aperta significatio. Superiorum plurimæ ex Historia petebantur ; haec transferuntur fere omnes e rebus Naturalibus. ²

ישום מדבר וציה
 ותגל ערבה ותפרה כחצלה :
 פרה תפרה ותגל
 אף נילת ורנן :
 כבוד הלבנון נתן לה
 הדר הכרמל והשרון :
 המה יראו כבוד יהוה
 הדר אלהינו :

“ Lætabuntur deserta et inculta ;
 “ Et exultabit solitudo, et florebit, ut rosa :

¹ Ver. 11, &c. “ Ver. 16. pro פִי הָוּ MS. №. 1. habet פִי יהוה. ² LXX etiam legerunt יהוה.” K.

z Cap. xxxv. 1, 2.

“ Eximie

“ Eximie florebit et exultabit ;
 “ Etiam cum jubilatione et cantu :
 “ Dabitur ei Libani gloria ;
 “ Decor Carmeli et Saronis :
 “ Hi videbunt gloriam Jehovæ ;
 “ Dei nostri majestatem .

Quænam sit Libani et Carmeli figurata potestas, quamque late pateat ; ¹ unde etiam ducatur imago gloriæ majestatisque Divinæ manifesto conspicienda, ² prius notavi : Terræ desertæ et fiticulæ cultura et irrigatio, ad designandam uberiorem Divinæ gratiæ donorumque spiritualium effusionem, in stylo Parabolico adeo solen-niter et constanter usurpatur, ut nulla egeat explica-tione ; uti nec cætera quæ sequuntur his finitima atque analogæ, quibus idem eventus copiose ornateque amplifi-catur.

Totum quidem Poema perlegenti rerum ordo clarius elucebit : ex iis autem quæ notavi fatis credo apparet, quod imaginum genus præcipue sectetur Poesis Prophe-tica ; quos colores, quæ amet pigmenta : quomodo in materia aliqua adornanda ita versetur, ut generalem ejus naturamclare explicet, magnitudinem ejus ac momen-tum pro rei dignitate illustret ; speciales autem habitus, et minutiora adjuncta, et gradus cujusque intermedii notas, inter ipsas universalium quasi plicaturas et finus quodammodo delitescentia, recondat, non nisi ipso eventu plene evolvenda. Est sane pars una et fortasse altera ³ hujuscce Vaticinii, in qua hujusmodi aliquod ostendi

¹ Vid. supra P R A E L . VI.

² P R A E L . VIII.

³ Vide Cap. xxxv. 4, 5, 6, 8. Quæ haud dubie proxime referenda sunt ad primum Messiæ adventum ; ad miracula ab eo edita ; ad Evangelii

posset; in cæteris eventuum singulorum adjuncta et progressiones rimari nondum conceditur; plane enim videtur hoc Vaticinium ex eorum numero esse, quæ ad prænuntiatorum eventuum metam nondum pervenerunt, in arcans Dei decretis adhuc reposita.

Ut autem Poematis alicujus Prophetici universam formam ac speciem integrum uno in conspectu proprius pleniusque intueri possitis, addam unum ex illis Balaami Vaticiniis, quæ modo memoravi, et quorum sæpius mentionem facio: nihil enim habet Poesis Hebræa in ullo genere limatus aut exquisitus. Hoc autem, de

Evangelii prædicationem, et divinæ Gratiæ effusionem. Cæterum Commati octavo magnas tenebras offudit absurdâ Periodi interpellatio, Masoretarum auctoritate pene consecrata. Est autem rē vera Pentacolon, hoc modo distribuendum:

והיה שָׁתַּתְ מִסְלָל וְדַרְךְ
וְדַרְךְ הַקָּדֵשׁ יִקְרָא לָהּ
לֹא יַעֲבְרָנוּ טָמֵא
וְהַוְאָ לְמַוְתָּא הַלְךְ דַרְךְ
וְאוֹלֵלֶת לֹא יַתְעַזֵּז:

“ Et erit illic agger et via;
“ Et via sancta appellabitur:
“ Non transfibit per eam immundus;
“ Sed Ipse illis aderit iter faciens,
“ Et insipientes non deerrabunt.

Ipse, nimirum Deus noster, super Ver. 4. memoratus; ὁς επικηρώσεν την ἡμένιον, καὶ επολήψει καὶ εξηλήψει εφ' ἡμέας. Ita distinxerunt CHALD. SYR. V U T G. et nonnulli recentiorum: et frustra repugnat VITRINGA, longe doctissimus Interpres, sed Masoretarum decretis plus æquo mancipatus.

Notat Cl. HOUBIGANTIUS, LXX. v. 2. pro legisse וְרַדְן: de qua variatione lectionis, cum sit non levis momenti, KENNICOPTUM nostrum consului. Quanquam ad hanc quidem vocem restituendam nihil adjumenti adhuc attulerint Codices MSS, istamen

quo loquor, abundat lætissimis ac splendidissimis imaginibus a natura petitis; ipso etiam colore ac flore quodam dictionis, et figurarum varietate, præcipue elucet. Hoc si nunc, aut si quæ aliquando alia, experiar, an Latino carmine adumbrari possint, vestræ erit humanitatis, Academici, conatus nostros in meliorem partem accipere¹.

Tuis, Jacobe, quantus est castris decor!

Tuisque signis, Israel! -

Ut rigua vallis fertilem pandens sinum;

Horti ut scatentes rivulis;

men benignissime mihi remisit Annotationes quasdam Criticas in totum hoc Isaiæ Caput: quarum summam, quam brevissime potero, hic dabo; multa, quibus ille suam sententiam plenius confirmat explicatque, eruditis relinquens supplenda.

“ Vers. 1. סְשִׁוָּשָׁנָה, non agnoscunt Suffixum Versiones Antiquæ. “ Adhæsit fortasse ו ex initio vocis sequentis. Solenne erat in Heb. “ MSS. ad implendām lineam desinentem, assumere literam vel li- “ teras initiales sequentis vocis, quam tamen integrum postea ex- “ hibent.

“ V. 2. Bene observatum a Cl. H O U B I G A N T I O, lxx. aliter legisse; loco etenim vocum וּרְנֵת גַּיְלָת, alias legerunt voces, quas reddiderunt, περιηγεται τα Ιορδανες, (et sic A R A B S;) recteque ea lectio Jordanis ad Prophetæ mentem ab eodem accommodari videtur. Is legendum existimat, גַּלְתַּת הַירְדֵן, irrigua Jordanis: “ malim גַּדְתַּת יַרְדֵן ripa Jordanis. In præsenti lectione, גַּיְלָת וּרְנֵת, neque ineft sensus qui inde extorqueatur, neque constructionis ratio ullo modo constat. Deest etiam subjectum, ad quod referri possit vox הַלָּה, ei; quæ jam recte habebit גַּדְתַּת antecedentem. Legitur quater vox גַּדְתַּת ripæ, et ter cum Jordane (ut hic) con jungitur: et licet vox singularis גַּדְתַּה non alibi inveniatur, occur rit tamen Chaldaice גַּדְתַּה ripa.

Sacris Edenæ costi ut in sylvis virent,
 Cedrique propter flumina.
 Illi uda multo rore stillant germina,
 Fœtusque alunt juges aquæ.
 Sancti usque fines promovebit imperi
 Rex usque victor hostium.
 Illum subacto duxit ab Nilo Deus,
 Novis superbum viribus,
 Qualis remotis liber in jugis oryx
 Fert celsa cœlo cornua.
 Vorabit hostes; offa franget; irritas
 Lacerabit hastas dentibus.

“ Melius et elegantius disponentur et sententia et versiculi, trans-
 “ posita commatis distinctione, hoc modo :

ישׁו מְרַבֵּר וְצִיה
 וְתָגֵל עֲרֻבָה וְתִפְרָה
 כְּחַבְצָלָת פְּרָה תִּפְרָח :
 וְתָגֵל אַפְּ [גִּידֶת יְרֵן]
 כְּבוֹר הַלְּבָנָן נָתֵן לָה

“ Tres e præstantissimis nostris MSS, No. 1, 28, et 72, pro הַז le-
 “ gunt לְלַיְלָה. Hoc si admittatur, versio erit,

“ Et exultabis etiam, O ripa Jordanis;
 “ Gloria Libani dabitur Tibi.

“ Sed forsan vera lectio erit, וְתָגֵל אַתְּ, Et Tu exultabis, O ripa:
 “ nam Pe finalis sæpe sic exprimitur in MSS, ut a הַז ægre dignosci
 “ possit; ut hac ipsa in voce in MS 72, et 2^{do}. MS. MEERMANI.

“ V. 7. רְבִצְעָה, legendum videtur, רְבִצְעָה, ut concordet cum
 “ תְּנִיסָה. Antiquissimus noster MS, No. 1. habuit ס pro הַז a pri-
 “ ma manu; et MS 2^{dus} MEERMANI habet רְבִצְעָה, retinens ;
 “ quanquam alieno in loco. Sensus autem hujus commatis est;

“ In mansione, qua cubant dracones,
 “ Gramen erit pro arundine et junco.

Ut leo, recumbit; ut leæna, decubat;
 Quis audeat laceſſere?
 Quæ quisque tibi precabitur, ferat bona!
 Mala quæ precabitur, luat!

“V. 8. Alterum וְדַרְךָ omittunt, non modo syrius, sed et MSS.,
 “No. 1, 4, 28, 68, 72. Pro לה Houbigantius לו legendum
 “existimat; et recte quidem, cum in commate sequente Suffixum
 “eodem spectans sit Masculinum, עֲבָרָנוּ.

“V. 9. Post וְהַלְכָנוּ inferenda videtur vox בָּהּ, vel בָּשׁ, ad sen-
 “sum necessaria; adſtipulantibus LXX. et ARAB.” K.

Porro autem v. 8. probat Vitrina ſententiam CHALDAEI, ſic
 interpretantis; *Et non deficiunt tranſeunteſ viam:* nec tamen fecutes
 eſt; haud perſpiciens, quomodo ille eam ex Hebræis exſculpferit.
 CHALDAEUS haud dubie pro לְמֹו וְהַא legit: quod Vir
 ſummo loco, ſumma eruditione, inter alia multa me monere digna-
 tus eſt.

PRÆLECTIO DECIMA PRIMA:

PROPHETARUM SINGULORUM

PROPRII CHARACTERES.

“**P**ROPHETÆ habent singuli proprietates suas,” inquit Hieronymus; ¹ de duodecim Minoribus loquens; quod de tribus Majoribus multo etiam magis est verum. Nam ab Isaia multum distat Jeremias; neque facile quidquam potest esse in eodem genere magis diversum, quam est ab utroque dissimilis Ezekiel.

Isaias, ut ordine ita dignitate Prophetarum omnium princeps, sic omnibus abundat virtutibus, ut nihil in hoc genere perfectius concipi possit. Idem elegans et sublimis, ornatus et gravis, cum ubertate et copia, tum vi et pondere mirabilis. In Sensibus, incredibilis elatio, majestas, divinitas; in Imaginibus, summa proprietas, dignitas, pulchritudo, fœcunditas denique et varietas lectissima; in Dictione, singularis elegantia, et in tanta rerum obscuritate mira perspicuitas et candor; ad hæc, in Poetica Sententiarum Compositione tanta dulcedo, id

¹ Præf. in xii Proph.

five felicitatis five artificii, ut si quidquam jam reliqui habent carmina Hebræa pristinæ jucunditatis et gratiæ, id in Isaiæ præcipue monumentis contineri, clarissimeque perspici posse, crediderim: ut de eo merito usurpari possit illud Ezekielis,¹

אתה חותם תכנית
מלא חכמה וכלי יפי:

“ Tu omnibus numeris absolutum es exemplar,

“ Plenus sapientia, et perfectus pulchritudine.

Excellit etiam Isaias vel maxime in justa partium dispositione, facilique rerum connexione atque ordine: quamquam hic semper habenda ratio est impetus Prophetici, a proximis ad remota, ab humanis ad divina, præcipiti transitu sese identidem rapientis; observandi insuper, quantum fieri potest, limites singulorum Vaticiniorum, saepe sine ulla partitionum notis junctim editorum, quod magnas nonnunquam difficultates creat. Integri Poematis luculento ordine dispositi exemplum ex hoc Vate proxime protuli; atque alia quidem ex priore ejus Voluminis parte, ubi saepe distinctius notantur singula Vaticinia, facile depromi possunt. Altera pars, quam cum capite quadragesimo inchoo, quæque est monumentorum sacrorum fortasse omnium maxime et sublimis et elegans, aliquo tamen circa hanc rem incommodo laborare videtur: est enim corpus quoddam plurium Oraculorum finitimi argumenti, quæ idcirco inter se continuata difficilius secernuntur. Hujusc autem partis universum argumentum est, Ecclesia instaurata. Satis ordinate exponuntur, Liberatio a captivitate; Idolorum vanitas et excidium; Divinæ potentiae et veritatis vin-

diciæ; Israelitarum consolatio, invitatio, incredulitas, impietas, rejectio; Vocatio gentium; Reliquiae servatæ; Ecclesiæ consummatæ gloria et felicitas; Impiorum ultimum excidium. Quæ qui attente perlegerit, habita ratione Allegoriæ Mysticæ prius expositæ, simulque meminerit isthæc omnia pluribus vaticiniis diversimode editis sæpius esse retractata; is neque in toto luculentam partium dispositionem, neque in partibus facilem rerum sensuumque seriem atque ordinem desiderabit. Porro totum Isaiæ opus Poeticum esse existimo, paucis exceptis, quæ simul sumpta sex aut septem fortasse Capitum summam non excedunt.

Jeremias, quanquam nec elegantia nec sublimitate caret, tamen utraque cedit Isaiæ. Hieronymus ¹ nescio quam sermonis rusticitatem ei objicere videtur, cuius equidem fateor nulla me deprehendisse vestigia. In sensibus quidem aliquanto minus est elatus, in Sententiis plerumque laxior et solutior; ut qui in Affectibus lenioribus sæpius versatur, ad dolorem et misericordiam præcipue compositus. Hoc quidem maxime apparet in Threnis, ubi isti Affectus unice dominantur; sed sæpe etiam in ejusdem Vaticiniis cernitur, et in priore Voluminis parte potissimum, ² quæ plerumque Poetica est; Media fere sunt Historica: Ultima pars, sex constans Capitibus, ³ omnino Poetica est; plura continet oracula distincte notata, in quibus Vates ille proxime accedit ad Isaiæ sublimitatem. Ex toto autem Jeremiæ Volumine partem vix dimidiā Poeticam esse arbitror.

¹ Præf. in Jer.

² Vide Cap. ix. per totum. Cap. xiv. 17, &c. xx. 14, — 18,

³ Cap. xlvi, — li, ad com. 59. Caput lii pertinet ad Threnos, quibus Procœmii loco infervit.

Ezekiel elegantia quidem multo inferior est Jeremia, sublimitate autem vel Isaiae par, sed in genere diffimilissimo. Est enim atrox, vehemens, tragicus, totus in ~~desideriis~~: in Sensibus elatus, fervidus, acerbus, indignabundus; in Imaginibus fœcundus, magnificus, truculentus, et nonnunquam pene deformis; in Dictione grandiloquus, gravis, austerus, horridus, et interdum inculitus: frequens in Repetitionibus, non decoris aut gratiæ causa, sed ex indignatione et violentia. Quicquid suscepit tractandum, id sedulo prosequitur, in eo unice hæret defixus, a proposito raro deflectens; ut rerum seriem et juncтурam vix unquam requiras. In cæteris a plerisque Vatibus fortasse superatus; sed in eo genere ad quod unice videtur a natura comparatus, nimirum vi, impetu, pondere, granditate, nemo ex omni scriptorum numero eum unquam æquavit. Dictio ejus satis est perspicua; omnis prope in Rebus sita est obscuritas: Visiones præcipue sunt obscuræ, quæ tamen (ut apud cæteros, Hoseam, Amosum, Zechariam) nuda et plane Historica narratione exponuntur. Ezekielis autem pars major, eaque Media, Poetica est, siquidem aut res spectemus aut dictionem; sed in sententiis adeo plerumque est rudis et incompositus, ut saepe dubitem quid de eo hac in parte statuendum sit.

Isaiam, Jeremiam, Ezekielem, quod ad stylum attinet, non immerito apud Hebræos eodem in loco collocaueris, quem inter Græcos tenuerunt Homerus, Simoniades, Æschylus.

Prophetarum Minorum agmen dicit Hoseas, omnium (Jona fortasse excepto) antiquissimus; adeoque stylus ejus venustatem redolet; acer, acutus, concisus, eminenti quadam Poeticæ Compositionis nota signatus; pristinam

pristinam nimirum generis Sententiosi brevitatem et compressionem retinens, a qua Vates ætate inferiores aliquid remiserunt. Id de eo præcipue notavit Hieronymus; ¹ “Commaticus est, inquit, et quasi per Sententias loquens.” Verum hoc ipsum, quod in principio suam proculdubio vim habuit et peculiarem elegantiam, tanta jam in his linguae Hebrææ ruinis obscuritas consecuta est, ut quanquam hujus Vatis universum Argumentum sit satis apertum, vix tamen alias quisquam sit æque difficilis et involutus. Est etiam aliud in causa, cur ejus Stylus adeo jam videatur impeditus: vaticinatus est Hoseas temporibus Regum Judææ quatuor, Oziæ, Jothami, Achazi, Hezekiæ; hoc est, quounque modo calculos subducimus, per longissimum annorum spatiū: modicum habemus volumen, vaticinationes ejus, ut videtur, præcipuas continens, easque omnes inter se sine ullis temporum notis aut argumenti distinctione connexas: ita minime mirum est, si Hoseam perlegentes nonnunquam videamus in sparsa quædam Sibyllæ folia incidere.

Joel ab Hoseæ stylo multum discrepat; sed æque Poeticus est, quanquam in genere diverso, dictionis et compositionis character. Imprimis est elegans, clarus, fusus, fluenſque; valde etiam sublimis, acer, fervidus. Ostendit Capite Primo et Secundo quid valet in Descriptiōnibus Poesis Prophetica; quantum amat Metaphoras, Comparationes, Allegorias. Nec minus clara est rerum connexio, quam dictionis color: Malorum Amplificatio, Hortatio ad Pœnitentiam; pœnitentibus Promissio bonorum cum terrenorum tum cælestium; rerum Israeli-

¹ Præf. in xii Proph.

ticarum Instauratio ; de Adversariis sumpta Supplicia. Verum et hic et alibi elocutionis perspicuitatem et dispositionis nitorem laudantes, non negamus magnam interdum esse Rerum obscuritatem ; quod in hujuscce Vaticinii fine subinde notari potest.

Amosum vocat Hieronymus ¹ “ imperitum sermone, “ sed non scientia;” id in eo usurpans, quod de se Paulus ² modeste profitetur. Cujus auctoritatem multi secuti ita de hoc Vate locuti sunt, quasi esset plane rudis et indisertus, et ab omni ornatu alienus. Id autem longe est secus : evolvat modo scripta ejus æquus judex, de re non de homine quæsiturus, censembit, credo, potius, Pastorem nostrum ³ μηδεν ὑπέρβαντα των ἡπερ λιαν πεφράτων ; ut sensuum elatione et magnificentia spiritus prope summis parem, ita etiam dictiōnis splendore et compositionis elegantia vix quoquam inferiorem. Nimirum idem Cælestis Spiritus Isaiam et Danielem in aula suo movit afflatu, Davidem et Amosum in pastorum stabulis ; semper idoneos voluntatis suæ interpretes deligens, et interdum ex ore infantium perficiens laudem : aliorum utitur eloquentia ; alios eloquentes facit.

Michas plerumque brevis est, pressus, concisus, acutus ; nonnunquam ad Hoseæ obscuritatem prope accedens : in multis elatus et fervens, valdeque Poeticus.

Verum ex omnibus Minoribus Prophetis nemo videatur æquare sublimitatem, ardorem, et audaces spiritus Nahumi : adde quod ejus Vaticinium integrum ac justum est Poema ; Exordium magnificentum est et plane au-

¹ Proœm. Comment. in Amos.

² II. COR. XI. 6.

³ II. COR. XI. 5.

gustum ; Apparatus ad Excidium Ninivæ, ejusque Excidii Descriptio et Amplificatio, ardentissimis coloribus exprimitur, et admirabilem habet evidentiam et pondus.

Poeticus etiam est Habbaccuci stylus ; sed maxime in Oda quæ inter absolutissimas in eo genere merito numerari potest. De Zephania idem dicendum est ; sed is nihil videtur habere singulare aut eximum, in dispositione rerum, vel colore dictio[n]is.

De Abdia suo in loco dixisse[m], si non et exiguum esset quod extat ejus ingenii monumentum, et id ipsum magna ex parte in Jeremiæ Vaticinio contineretur¹. Jonæ, uti et Danielis, commentarium mere esse Historicum antea notavi.

Restant Haggæus, Zecharias, Malachias : quorum primus ornatio[n]e est prosaicus ; itemque alterius pars multo maxima ; sunt aliqua sub ejus Vaticinii finem² et Poetica et valde ornata, et, ut in Vate omnium fortasse obscurissimo, satis perspicua : Prophetarum ultimus Malachias medio quodam dicendi genere utitur, atque ejusmodi plane, quod arguere videatur Poesin Hebraeam inde a Captivitate Babylonica deflorescentem, et inclinata jam ætate in senium quodammodo vergentem.

Hoc de Prophetarum scriptis, Academic[i], deque diversis eorundem partibus, quæ Poetica habenda sint, quæ secus, quantum potui distincte et particulatim differui, quo meam de Poesi Prophetica Conjecturam (nihil

¹ Confer A B D. I, ————— 9. cum J E R. XLIX. 14, 15, 16, 7, 9, 10.

² Vide Cap. ix, x, et init. ximi.

enim—majas audeo dicere) plenius apertiusque vobis explicarem. Quam etsi non diffiteor aliqua ex parte multas habere difficultates, multa quæ in opinione posita sunt; eam tamen ut in universum aliquo faltem fundamento niti existimetis, effecisse non plane despero.

Effet hic locus de Græcorum in hoc genere Poesi non nihil differendi, si quidem ex celeberrimis eorum Oraculis quidquam ad nos pervenisset, non dico quod cum sacris Vatibus conferri posset, sed quod omnino aliqua mentione esset dignum. Nullum certe hujusmodi Poema nunc extat, neque sane unquam extitit; pauci supersunt versiculi, iisque fere mediocres et crassissimi filii: etenim Apollo ille Pythius, si Græcis ipsis credimus, Musas suas plerumque iratas habuit et aversas; ita ut sapientibus et cordatis saepe ludibrium deberet, non solum ob ambiguas illas et subdolas ariolationes, sed etiam ob ignorantiam artis metricæ. Etiam homines e plebe superstitioni ac rudes, quem satis bonum Augurem credebant, eundem tamen fatebantur fuisse malum Poetam,

^I Ορεὶς γένου καὶ τοῦ Απολλῶνος γελωμένου επ' ενιστήσ των χρησμῶν· κακοῖς επικρυπτίσονται πολλὰ τῆς μάρτυρος αποφεύγεις, ὡς μη πάντα δολοῦ μητεν τῆς ακριβοῦσας εἰδεταζένται τὰ μετρά. Mercurius apud LUCIANUM in Dial. cui Titulus Jupiter Tragædus.

Χρησμοὺς δὲ πιος εμμετέροι λεχθεντος,—πολλακις εφη θεομάρκον τῷ επώνῳ ὁ Διογενεσίως, εν αἷς οἱ χρησμοὶ λεγόνται τὸν φαυλοτῆθεν καὶ τὸν ευτελεῖσαν, κακοῖς μονομετέτης ὁ ίδε,^Θ, καὶ τὸ λεγέμενης λογοτοποῖος οὐχ' ἕποι αὐτῷ τοῦ κυρλοῦ οἱ πᾶσι μελι καὶ φόδις ευφωνίας μετείνοι, καὶ πολὺ τὸν Ησιόδον επεκεῖνα καὶ τὸν Ομηρον ὑπερφέγγεσθαι. ταὶς δὲ πολλοῖς τῶν χρησμῶν ὄρωμέν καὶ τοῖς μετέροις καὶ τοῖς ονομάσιοι πληριελεῖσας καὶ φαυλοτητ^Θ αναπεπλεγμένις. PLUTARCH. in Comment. Cur Pythia nunc non edat Ora-
gha metrica.

Verum apud Latinos extat in hoc ipso genere unum nobilissimum atque pulcherrimum Poema; et vel versuum elegantia et claritate, vel rerum et argumenti obscuritate, æque admirabile: Quartam dico Virgilii Eclogam; quam idcirco nefas esset hoc in loco silentio præterire, cum inde a primis ævi Christiani seculis percrebuerit opinio, habere eam cum his de quibus agimus germanæ Prophetiæ monumentis aliquam cognationem, et a sacro fonte originem duxisse. Quod quomodo fieri potuit, etsi sit forsan expeditu difficile; sive facri Codicis versionem Græcam, jamdiu tum vulgatam, in subsidium vocemus, sive etiam exinde deprompta Oracula, a Judæis Hellenistis, ut videtur,¹ Græco carmine condita, quæ sub nomine Sibyllarum ferebantur; tamen ita rem habere, tot extant tamque manifesta in ipso Poemate indicia, ut omnia quæ ei sententiæ obstant impedimenta facile amoveat et diluat ipsa Carminis lectio. Sensus, Imagines, Dictio etiam cum Sacris Vatibus mirum in modum congruens: res ipsa vel in se tam elata et magnifica, vel potius a Poeta, omnium licet verecundissimo ac severissimo, in eam altitudinem exaggerata, ut mihi nullo modo persuadere possim, quin subsit aliquid μυστητικόν, quod primæ hypothesi, ipso vate inscio nec opinante, furtim quodammodo accrevit, totique operi alienos quosdam colores induxit, et magnificentiam modum et mensuram argumenti longe exsuperantem. Quid fuerit ipsius Poetæ consilium, quæ mens, quanquam hic multum sese exercuerint doctissimorum virorum ingenia, tamen nec adhuc sciri arbitror, neque spem habeo fore ut unquam

¹ Vide CHANDLERI (nuper EPISCOPI DUNELM.) *Vindictas Relig. Chriſt. Cap. I.*, et GROTIUM in MATT. II. I.

clare investigetur. Nullam neque rem neque personam ostendit historia, aut rei Romanæ status ac temporum conditio, quæ cum argumenti ratione atque adjunctis satis apte congruere videatur, aut tam magnificis prædictionibus locum dare ullo modo potuisse.¹. Mihi quidem illud usu venire plane profiteor, ut cum Carmen hoc ea ex parte contemplor, quanto id saepius relego, tanto intelligam minus. Is est styli nitor, ea carminis elegantia, ut fere lateat et legentes fallat rerum

¹ Viderunt jamdudum eruditi, hæc de Salonino Pollionis filio post captas Salonas nato, de quo loquitur Servius, si quis tamen unquam talis extiterit, intelligi non posse; cum ex Dione et Appiano constet, Pollionis expeditionem Illyricam in annum sequentem incidere. Alii itaque de C. Asinio Gallo, ejusdem filio, mentionem injecerunt; multo quidem probabilius, siquidem Asconius Pedianus ab ipso Gallo audisse se retulit, hanc Eclogam in honorem suum factam. Vide SERV. ad Eclog. iv. 11. Sed ipse Servius Gallum anno priore natum, Polione adhuc Consule designato, affirmat: et quanquam fieri potest talem excidisse jaſtantiam ab impotentia hominis, quem Augustus dixit imperii se mortuo adipiscendi avidum fore, sed minorem; (TACIT. Annal. i. 13.) vix tamen credibile est Poetam qui fanus esset hæc tam magnifica de ullo Pollionis filio prædicere potuisse. Ad hoc, cur Divinum hunc Puerum, solummodo Illo Consule, ac non potius Illo Patre, nasciturum dixit? quod ad Pollionis gloriam multo magis pertineret. Itaque jam plerique de Cæſare Octaviano, deque puerō aliquo in illius familiam et in certam spem imperii nato, hæc interpretantur. Julianum, Marcellum, Drusum, memorant. Drusi nec ætas nec persona convenit. Marcelli ætas convenit, non persona. Juliae quidem Octavianī filiæ utrumque favet, modo Eclogam hanc in expectatum Scriboniæ puerperium scriptum esse statuamus; ante partum autem scriptam fuisse credibile est, cum Lucina invocetur: “Casta “fave Lucina.” Verum meminerint, qui aliquam ex his sententiis amplectuntur, quis et quo loco tum fuerit ipse Octavianus; nondum Princeps, et Augustus, et Imperii Romani Dominus, quæ omnia ei accreverunt non nisi post victoriam Aetiacam, annis omnino

obscuritas : singula autem proprius spectanti, et imaginum ac dictionum rationes et momenta perpendenti, tot mihi occurrunt ab usu Romano abhorrentia, a conceptibus hominum ejus ætatis et nationis adeo aliena, ut vix mihi persuadeam, etiam tum cum primum ederetur, satis perfecte intelligi potuisse. Cum vero hæc ipsa adeo luculenter explicet peregrina quædam Interpretatio ex Hebræorum rebus ac monumentis superin-

novem posteaquam scripta esset hæc Ecloga ; sed Triumvir, æquata cum Antonio et dignitate et potestate, ne quid dicam de Lepido. Quomodo igitur ad Octaviani filium, si quis ei hoc anno natus fuisset, protinus spectare potuit imperii hereditas ? Sed ut concedamus, id quod sane verum est, nullibi dignorem aut aptiorem personam inveniri posse, aut in quam hæc melius quadrent, quam filius aliquis Octavianus ; porro autem ei filium hoc ipso tempore natum fuisse fingamus ; ad eum tamen quæ hic dicuntur nihil magis pertinere posse, vel uno argumento evinci arbitror ; eo nimis, quod Pollionis nomine Ecloga inscribitur ; nam hucusque, et paulo etiam deinceps, Pollio semper erat in partibus Antonii contra Octavianum. Percurramus enim res gestas Pollionis post Julii Cæsaris necem, temporum habita ratione. Anno U. C. 711. C. Asinius Pollio, bello cum Sexto Pompeio gesto, ex Hispania reversus exercitum tradit Antonio post ejus fugam a Mutina. U. C. 713. Pollio Antonii legatus Galliam Cisalpinam tenet : Salvidienum Octavianum legatum, Lucio Antonio bellum inferentem, a tergo insequitur una cum Ventidio ; Lucio deinde Perufiae obfesso frustra suppetias ferre conatus, Ravennæ subsistit : Venetiam diu retinet in potestate Antonii ; magnisque rebus gestis in ea regione, Antonium petit ; et Domitium Ænobarbum, consiliis suis illectum ac fide data, cum classe cui præerat jungit Antonio. U. C. 714. Pax Brundusina incidit in finem anni ; cujus administrari sunt, ex parte Antonii Pollio Consul, ex parte Octavianus Mæcenas, et amborum communis amicus Cocceius : circa hoc tempus scripta est Virgilii Ecloga Quarta. U. C. 715. Antonius Pollionem legatum suum mittit in Illyricum contra Parthinos : de Parthinis triumphat Pollio mense Octobri. Hæc VELLEIUS, APPIANUS, DIO. Intercederant

ducta, cuius vim omnem et magnitudinem nullo modo complecti potuerit aut etiam attingere ipsius Poetæ animus ; quid mihi hac in re concedent eruditæ, nescio ; quid sentiam, vix audeo exponere : et tamen dicam, id mihi tam mirabile tamque prodigiæ simile videri, ut nonnunquam pene inducar ut ferio credam, id semel evenisse, quod Socrates εἰρωνευμένος, ut folet, apud Platonem de poetis ait : *διὰ ταῦτα ὁ θεός, εὖαρπουμένος τοῖς νοοῦ, τούτοις λέγονται υπῆρχεταις καὶ τοῖς λεπτομελόδοις καὶ τοῖς μάντεσσι τοῖς θεοῖς· οὐαὶ οἵτις οἱ ακονούντες εἰδώμεν, ὅτι οὐχ' οὗτοι εἰσίν οἱ ταῦτα λεγούντες οὐτω πολλού αὕτη, οἷς νοοῦ μη παρέστιν, αλλ' ὁ θεός αὐτος εἴη ὁ λεγων, διὰ τοιτῶν δὲ φθεγγέται πέποι οἵματι.*

derant etiam circa hæc tempora inter Pollionem et Octavianum privatæ quædam inimicitia ; et versus Fescenninos Octavianus in Pollionem scripsit. MACROB. *Saturn.* II. 4. Ab hoc tempore usque ad pugnam Actiacam, quæ U. C. 723. ineunte mense Septembri commissa est, partibus sese abstinuit Pollio, neque ultra Antonii et Octaviani discordiis se immiscuit. “ Non prætereat, inquit VEL-
“ LEIUS, II. 86. Afinii Pollionis factum et dictum memorabile : “ nam cum se post Brundusinam pacem continuisset in Italia,” (post Triumphum dixisset verius) “ neque aut vidisset unquam Reginam, “ aut, post enervatum amore ejus Antonii animum, partibus ejus se “ miscuisse, rogante Cæsare, ut secum ad bellum proficeretur
“ Actiacum : Mea, inquit, in Antonium majora merita sunt, illius “ in me beneficia notiora : itaque discriminis vestro me subtraham, “ et ero præda victoris.” Quibus omnibus perspectis, mihi omnino incredibile videtur, Virgilium animum inducere potuisse, ut Pollio-
ni, summo Antonii amico, Octaviani potius inimico, mitteret, ejusque nomine inscriberet, Carmen, quod Octaviani laudibus ejusque familiæ honori unice dicaretur.

קִנְזָה

S I V E E L E G I A.

P R A ELECTIO VICESIMA SECUNDA:

D E E L E G I A E H E B R A E E

O R I G I N E E T F O R M A;

A C D E T H R E N I S J E R E M I A E.

Ex incitioribus humanæ mentis Affectibus Poësin in genere ultimam suam duxisse originem, satis recte antehac statuisse videmur; nec tamen idcirco Poëeos distributio in suas species prorsus sequitur Affectuum naturam et partitiones; quanquam id interdum in hac re aliquid habeat momenti. Sunt quidem nonnullæ Poematum species, quæ in se omnes admittunt Affectus, cujusmodi est Ode; sunt quæ vix ullum, qualia fere sunt Didactica: aliæ autem sunt, quæ certis quibusdam Affectibus tractandis præcipue idoneæ habentur, quod de Tragœdia constat, de Poësi Prophetica ipsi notavimus. Una omnino videtur esse species quæ unius Affectus est propria, quæque etiam tota est in eo Affectu: neque sane quemquam

quam novimus populum, qui modo aliquid in excolenda Poetica profecerit, quin Poema habuerit luctui exprimendo inventum, et querimoniæ unice destinatum.¹ Quam speciem plerique cum Græcis Elegiam vocant: Hebræi קִנְצָה five etiam נַחֲנָה appellant, quarum utraque vox Lamentum significat.

Hujusce Poematis apud Hebræos et origo et ratio luculenter deduci potest ex solenni ritu quo defunctorum funera celebrabant. Erat quidem hoc naturæ magis quam propriæ consuetudinis aut instituti, ut suorum exequias cognati et necessarii ploratu et lamentis prosequerentur. Non eos pudebat in gravi minimeque fucato luctu naturæ suæ obsequi, et, quod æger animus dictaret, libere protinus effundere. Simplex et ingenua est moeroris vox; flebilis, intermissa, fracta, concisa oratio, si omnino pro oratione habenda est ejulatio et gemitus.²

“O pater! O patria! O Priami domus!
exclamat in Tragœdia personata Andromache: nec minus miserabiliter ille in Historia sacra carissimo filio orbatus parens;³ “O fili mi, Absalon! O Absalon, mi.
“fili, mi fili!” ut non multum opus sit, quonam lamentorum genere in funeribus uterentur, disquirere: veruntamen cum hac ipsa in re exempla nobis præbent sacri scriptores, unum atque alterum apponam. Pro-

¹ Λινος, prima apud Ægyptios cantio. HEROD. II. 79. “Ait “Herodotus, hanc cantionem in Phœnicia et Cypro percrebuisse. “Quidni igitur derivari possit vocabulum λινος ab Arabico لين, lenis, “mollis, tener, blandus fuit: Conjugatione II, delenivit, demul-“fit?” H.

² Apud CICERONEM Tusc. Quæst. lib. 3.

³ II. SAM. XIX. 4.

pheta Bethelites sublatum viri Divini a leone lacerati cadaver in urbem intulit, ut lugeret eum et sepeliret: ¹ posuit itaque eum in sepulchro suo, et planxerunt super eum, “Eheu, mi frater!” ² Ita apud Jeremiam edicit Jehova de Joachimo Josiæ filio, Rege Judæo:

לֹא יִסְפְּדוּ לֹא הוּא אָחִי וְהוּא אֲחֹתָךְ

לֹא יִסְפְּדוּ לֹא הוּא אַדְרֹן וְהוּא הַדָּרוֹן

“Non lugebunt eum, Ah mi frater! vel ah so-
“ror!

“Non lugebunt eum, Eheu, domine! eheu viri
“Majestas!

Hæc atque hujusmodi satis erant naturæ et ingenuo mœrori: verum paulo exquisitus quiddam desiderabat officiosus et ambitiosus dolor; quærebat quod conceputus et sensa Ægrimonie plenius et elaboratus exprimeret, quæ ipsa per singultus misera non posset proloqui; studebat non modo suum angorem lenire expromendo, sed alios etiam in societatem doloris invitare et pertrahere, et adstantium elicere lachrymas. Itaque David, cum Joabi insidiis oppressus esset Abnerus, Rege

I I. R E G. XIII. 30.

² J E R. XXII. 18. “In Textu scribitur חֲדָרָה, cum Suffixo Ara-
“bico vel Syriaco, loco Hebræi; cuius generis in SS. multa oc-
“currunt exempla. Sed forsan litera ח est radicalis, non Prono-
“men Suffixum: *Ah Domine, (non mi Domine) ab gloria! Eheu*
“*regiae majestatis et splendoris vanitas!* LXX. et V U L G. non ag-
“noscent Suffixum, vel hic, vel in membro superiore.” H. Tres
MSS. habent חֲדָרָן, secundum Keri Masoreticum: vide Biblia Heb.
M I C H A E L I S Var. Lect. in loc. Codex Orat. 42. habet in Mar-
gine חֲדָרָן. vid. Biblia Heb. H O U B I G A N T. LXX vocem ipsam
omittunt.

minime

minime conscientia, ac ægererrime quidem ferente, sed ob
res duras et regni novitatem in autorem cædis animad-
vertere non auso; quo apud populum et se et Abne-
rum purgaret, in defuncti funere lugentis personam
sustinens, “ tollit vocem suam, et fletum edit ad sepul-
“ chrum; et flevit etiam universus populus:” tum vero
carmen et numeros adhibens, luctui eorum acriores
adhuc stimulos admovet: “ et ¹ Abnerum lamentatus
“ est Rex, dixitque;

An perit Abnerus scelerati more nocentisque?

An reus infami crimina morte luit?

At tibi non fortes violarunt vincla lacertos,

Pressitve indignos dura catena pedes:

Heu! secure doli, et dictis confise malorum!

Fraude et mentito captus amore peris!

“ atque iterum flevit super eum universus populus.”

Hujuscemodi subinanis quædam etiam veri doloris
ostentatio, in defunctorum honoribus vix quidquam
esse nimium existimantis; tum ipsa hujus vehementissimi
Affectionis intemperantia, sibi ut fit plus æquo indulgen-
tis, et aculeos libentius quam fomenta admittentis;
illa demum, quæ hominum animos semper invasit,
importuna opinio, oportere, rectum esse, ad officium
etiam pertinere, ut in morte necessariorum sese gna-
viter excrucient: hæc, inquam, omnia induxerunt il-
lum morem, qui primum apud Hebræos, deinde apud
Phrygas, ² postmodo apud Græcos et Latinos invaluit;
ut in funeribus adhicerentur qui mercede conducti

¹ II. SAM. III. 33, 34.

² Vide JOS. SCALIGERI Conjectanea in Varronem de Ling.
Lat. p. 76. edit. R. Steph.

plorarent. Id officium plerumque præstabant Fœminæ; vel quod muliebris animi imbecillitatem deceret magis, vel quod ab ingenio flexibili, mollique et flexanima voce, negotium pulchrius succederet: neque deerant unquam ejusmodi doloris Artifices, lugendi disciplina probe eruditæ, semperque paratæ locare lamenta et lachrymas. Ut cæterarum, ita hujuscetiam artis laus erat imitari naturam: harum itaque næniæ plurimum compositæ erant ad formam illarum lamentationum, quas in simili occasione ultro temereque exprimere solebat sincerus dolor: sententiæ erant breves, queribundæ, patheticæ, simplices et inornatæ; eo quidem paulo diligentius elabaratæ factæque, quod et numeris constarent, et ad tibiamⁱ effent decantandæ.

Hujus instituti multa extant vestigia in Prophetarum scriptis, quibus familiare est prædictiones calamitatum urbibus gentibusque impendentium, non sine singulari quadam elegantia, in modum et speciem funebrium lamentorum concludere. Quam rem clarius illustrabunt exempla, simulque confirmabunt quæ de isthac confitudine hactenus dicta sunt. Audite (² inquit Amos) Israelitas alloquens, clademque iis denuncians et regni interitum)

Audite vatem luctuum prænuntium;

Audite lessum funebrem:

Occidit! æternum Virgo occidit Israelis!

Et jacet in patrio nuda, relicta, solo!

¹ Vide MATT. IX. 23. et LIGHTFOOT. Exercitat. Hebr. et Talmud. in locum.

² AMOS. V. 1, 2.

Et paulo post ; ³

Eheu ! per urbem, per vias Eheu ! sonet ;

Eheu ! per omnes vicos :

Doctisque jungat præficarum luctibus

Rudem colonus næniam.

Apud Jeremiam in re plane simili, ² Ita edicit Jehova Exercituum :

Luctus peritas huc vocate fœminas,

Mœstæ scientes næniæ :

Orsæ ejulanti flebiles modos choro

Ferales carmen præcinant ;

Ut mollis omnes humor in genas fluat,

Fluant perennes lachrymæ.

Nunc, nunc ad aures lugubris fertur sonus

Sionis altæ a mœnibus :

Funditus occidimus ! natalia linquimus arva !

Linquimus heu patrii dulcia tecta foli !

Adhuc Jehova flebiles cantus jubet ;

Parete jussis, præficæ !

Docete mœstos virgines lessi modos ;

Docete vicinas nurus :

Mors urbem invadit ! rapit heu juvenesque senesque !

Sævit acerba domi ! sævit acerba foris !

Corpora fusa jacent, vacuis projectus in arvis

Ut firmus : utque jacet falce recisa seges.

Plura hujusmodi occurrunt apud Prophetas, in quibus itidem, ut in his, aperta fit mentio ejus instituti unde derivantur; alia item sunt, quæ etsi neutiquam præferunt ullam istiusmodi significationem aut Næniarum

³ Ibid. v. 16. In ultimo membro particula נ revocanda videtur ad initium ejus membra. Ita legerunt SYR. et VULG.

² JER. IX. 17, ————— 22.

titulum, tamen ex eodem sunt genere ; quorumque idcirco, ut par est, minime elucebit verus decor et propria elegantia, nisi illuc referantur. Sufficient quæ jam protuli ad genus ipsum indicandum ; demonstrandumque, quomodo ex veris doloris vocibus primitus effingerentur istæ artificiosæ querimoniamæ ; tum etiam quomodo ex his initiis קינן, sive Threnus, apud Hebræos in justi Poematis habitum et formam perduceretur. Hoc etiam patebit adhuc manifestius, si Jeremiæ Threnos, insignissimum in hoc genere quod quidem nunc extat Poema, accuratius paulo exigamus ad normam eorundem funebrium lamentorum ; quod ni fiat, vix est ut recte quisquam de eo carmine judicare possit.

Ita autem agam de hoc Poemate, ut primo de universa ejus natura et forma ; deinde de metrorum ratione ; postremo de rebus, sensibus, imaginibus, breviter differam.

Jeremiæ קינות, sive Threni, (proprie enim et significanter in numero multitudinis effertur titulus) sunt plura lamenta, in uno argomento, ad formam funebrium Næniarum, per plures periodos singulatim edita, simulque comportata, et in syllogen quandam conclusa. Qui itaque artificiosam totius argumenti dispositionem, aptam partium collocationem, rerum juncturam et seriem, et in his omnibus singularem aliquam elegantiam requirit, id postulat a Vate, quod erat ab ejus proposito alienum. Patriæ perditæ et extinctæ luctuoso carmine quodammodo parentans, et veluti in exequiis ejus prosequendis lugentis personam gerens, quicquid ejus animo in tot tantisque miseriis primum obversatur, quicquid maxime calamitosum videtur et miserabile, quicquid ei præcipit instans dolor, id subito quasi in re præsentí

senti exprimit et effundit. In eisdem rebus hæret plerumque et immoratur diutius; eadem novis vocibus, imaginibus, figuris, variat et amplificat; ita ut fiat potius rerum prope similium coacervatio quædam ac cumulus, quam plurium et diversarum subtilis aliqua connexio, atque per gradus ordinate facta deductio. Hæc autem non ita accipi velim, quasi hic nulla omnino ordinis ratio haberetur; ac non plerumque ab una vel re, vel imagine, vel persona, vel figura, in aliam satis et elegans et facilis transitus fieret: hoc tantum dico, eam esse naturam et consilium hujus Poematis, cum sit sententiarum distinctarum congeries, in quibus singulis funebrium Næniarum formam imitetur, ut omne illud artificium ordinis et distributionis, quod in aliis plerisque elucet, nec postulet, nec admittat. Porro dividitur totum hoc Poema in quinque partes: in prima, secunda, et quarta, loquitur Vates, vel Hierosolymam loquentem inducit; in tertia loquitur Chorus Judæorum,¹ sub unius persona, uti fiebat apud Græcos: in quinta, quæ est Epilogus quidam operis, Judæi universi in exilium abducti gemitus et preces ad Deum fundunt. Hæc ultima in periodos viginti duas, secundum numerum quidem literarum Alphabeti, sed reliquæ omnes etiam secundum earundem ordinem per

¹ Itaque commate 14. vox 'בָּי' est forma Constructa pro Absoluta. Pronomen omittit ס ו ר. Vide supra notata p. 119. Ita etiam intelligenda videtur eadem vox Ps. CXLIV. 2: confer enim Ps. XVIII. 48. XLVII. 4. Vide POCOCK. *Not. in Port. Mosis*, p. 60. "תְּהִרֵן. III. 14. MSS. №. 16, et 61, habent בְּבָי. 'Et nota, terminationem pluralem בְּ' hoc modo 'frequenter ex- ' primi in MSS.' K,

elementa initialia distribuuntur. Quæ res facit, ut de ratione Metrorum aliquid possimus adnotare.

Acrostichidis, sive Alphabetici carminis, artificium in subsidium memoriae adhibebant Hebræi iis in locis, neque temere alias, in quibus sententiæ quædam ipsa rerum et argumenti necessitudine non multum inter se connexæ colligerentur: quod Syris,¹ Arabibus, et Persis, familiare item fuisse, et etiamnum in usu esse, acceptimus. Quam commode itaque hoc in loco id usurpavit Vates, ex proxime observatis satis liquet. Ejus autem rei in hoc Poemate hæc est ratio: Quinque partium, in quas totum opus dividitur, singulæ in periodos vel strophas viginti duas distribuuntur; eæ periodi in tribus primis partibus sunt singulæ Tricola, hoc est, continent tres versiculos, excepto quod in utraque duarum priorum est una periodus,² quæ est Tetracolon, continens versiculos quatuor. In quatuor primis partibus prima cujusque periodi litera sequitur Alphabeti ordinem; sed in tertia parte singuli etiam versiculi ejusdem periodi eadem litera inchoantur, quod in eo carmine omnium versuum limites necessario figit; qui in cæteris etiam, quæ non habent ita perpetuas minimeque dubias versuum notas, nihilominus satis tuto definiuntur per sententiarum resolutionem in sua membra: adeoque in parte quarta periodi omnes sunt manifesto Disticha;³ uti et in quinta, quæ non est Acrostichis: verum in hac ultima illud etiam interest, quod versus

¹ Vide ASSEMANI *Bibliothec. Oriental.* Vol. III. P. 63, 180, 188, 328.

² In Cap. 1. 1. in Cap. 2. p.

³ Sed Periodus 2, prout nunc legitur, nec in duos neque in tres versus commode distribui potest.

sunt breviusculi, cum in reliquis omnibus sint longiores.

Digna est quæ diligentius notetur horum metrorum Longitudo: vix ullus est in hac re errori locus; manifesto hic deprehendimus versus dimidia prope parte productiores quam qui alias plerumque et vulgo occurunt. Media quædam eorum mensura videtur esse syllabarum duodecim; sunt pauci qui absunt ab eo numero, sunt qui superant duabus fortasse aut tribus syllabis: nam quanquam de numero syllabarum vix quidquam pro certo et explorato statui potest, (nihil enim moror Masoretarum commenta) tamen est sane locus valde probabili conjecturæ. Non est pro nihilo habenda isthæc peculiaris conformatio: Vates, opinor, eo adhuc hoc genus Carminis, quod esset fusius, fluentius, lenius, luctui et querimoniæ accommodatus: addo etiam, eo quod versibus hujusmodi longioribus fortasse conditæ essent Præficarum Næniæ: nam qui apud Prophetas occurunt Threni, ad illarum imitationem conficti, omnes, nisi fallor, sunt ex eo versuum genere. Id si verum est, proprium jam ac legitimum invenimus apud Hebræos Carmen Elegiacum. Notandum autem est, id genus Carminis a sacris Vatibus nonnunquam, sed rarius, usurpari in aliena materia; uti factum est a Græcis et Latinis: itemque nonnulla Poemata, quæ pro Elegiis merito haberi possunt, sed quæ non sunt condita per disjunctas sententias ad modum funebrium Lamentorum, usitatiore Carminis genere componi.

Hæc de universa totius Poematis, uti et Metrorum, forma: restat, ut de ejusdem Argumento Styloque pauca notentur.

Threnorum Argumentum esse, sanctæ urbis templi-que excidium, regni interitum, populi exterminatio-nem; eaque omnia non quasi futura et prænuntiata, sed ad exitum perducta vereque descripta; ita mani-feste apparet ex omni operis parte, ut nulla egeat pro-batione: quanquam nonnulli magni nominis Auctores¹ Carmen hoc in obitum Regis Josiæ compositum fuisse existiment. Ac profecto Patriæ suæ miserias ita ornate copioseque eluget Vates, ut funesto officio abunde fa-tisfecisse videatur. Nullum opinor aliud extat Poema, ubi intra tam breve spatum tanta, tam felix, tam lec-ta, tam illustris, Adjunctorum atque Imaginum varie-tas eluceat. Quid tam elegans et Poeticum, ac urbs illa florentissima pridem et inter gentes Princeps, nunc sola sedens, afflcta, vidua; deserta ab amicis, prodita a necessariis; frustra tendens manus, nec inveniens qui eam consoletur? Quid Viæ Sionis lugentes, et feria-rum solennium celebritatem requirentes? Quid dulces illæ et flexanimæ querimoniæ?²

לוֹא אָלַיכֶם כֵל עֲבָרִי דֶרֶךְ הַבֵּיתוֹ וְרָאוּ
 אָס יְשׁ מִכָּאָוב כִּמְכָאָבִי אֲשֶׁר עוֹלָל לִי
 אֲשֶׁר הַונֶּה יְהוָה בַיּוֹם חֶרְוֹן אֲפֹוּ
 עַל אֱלֹהָה אֲנִי בְכִיה עַיִן יְרֻדָה מִסּ
 כִּי רַחַק מִמְנִי מַנְחָת מִשֵּׁב נַפְשִׁי
 הַיּוּ בְנֵי שׁוֹמְמִים כִּי גָבָר אָוִיב:

“ Nihilne hæc ad Vos, qui per viam transfitis? at-
 “ tendite, et videte,

¹ JOSEPHUS, HIERONYMUS, USSERIUS, &c.

² THREN. I. 12, et 16. Commate posteriore vox non ge-minatur apud VETT. INTT.

“ Num sit usquam dolor instar mei doloris, qui
“ mihi inflictus est,
“ Quum mœrore me effecit Jehova in die iræ ejus
“ exardescientis.
“ Propter hæc ego fleo, oculis meis aqua manan-
“ tibus;
“ Quia longe a me abest consolator, qui mihi re-
“ creet animam:
“ Desolati sunt filii mei, quoniam invaluit hostis.

Verum omnes locos elegantes proferre, id sane esset totum Poema exscribere. Unum tantum adnotabo de quibusdam locis, atque de priore parte secundi Alphabeti potissimum; ubi si quibus Vates ad audaciores conceptus assurgere videatur, verbisque uti ardenteribus atque imaginibus elatioribus, quam quæ lugenti convenient, et in tanto mœrore per Rhetorum et Criticorum decreta admitti possunt; eos monendos esse, ut ad ipsius Argumenti magnitudinem, eorumque omnium quæ ei inhærent amplitudinem, sanctitatem, et religionem, animum advertant; quæ ut pro dignitate exprimerentur, augerenturque etiam, si id fieri potuisset, ipsa operis natura ac finis postulabat: neminem arbitror fore, qui hæc attenderit, apud quem non facilem saltem excusationem habitura sit Vatis Sublimitas.

PRÆLECTIO VICESIMA TERTIA:

DE RELIQUIS

HEBRAEORUM ELEGIIS.

DE קינה, sive Elegia Hebraea, ejusque Origine et Natura, proxime disputatum est; ostensumque eam Poematis speciem et initium suum et formam duxisse a Næniis quibus Præficæ solenni ritu in funeribus uterentur; idque confirmatum exemplo brevium Threnorum, qui in Prophetarum Vaticiniis occurunt, et insignis Jeremiæ Poematis Threnorum titulo inscripti, de quo etiam speciatim est dictum. De aliis quibusdam Carminibus, quæ, et si ad externam illam Næniarum figuram non tam accurate sunt composita, tamen ad universum genus æque pertinent, nunc differam.

Habuisse olim Hebræos aliquam Threnorum Sylloge, quæ ad nos non pervenit, intelligimus ex eo sacræ Historiæ loco, ubi mentio fit solennis Lamentationis quæ in Josiæ funere publice celebrabatur: in ea Carmen illud Jeremiæ, eadem occasione compositum, inter alia ejusdem generis locum videtur obtinuisse.

Quanquam hæc præcipua, ut credibile est, Elegiæ Hebrææ monumenta interierunt, tamen non pauca sunt quæ adhuc extant ad hanc Poeseos speciem pertinentia: ex quo intelligitur, eam apud Hebræos æque fortasse ac alia quævis species, Ode excepta, excultam fuisse.

Primum extra breves illas Nænias in Prophetarum fere omnium scriptis occurrentes, de quibus jam dixi, sunt quædam apud Ezekielem et Threnorum titulo notata et in justarum Elegiarum censum referenda. Cujusmodi sunt Lamentationes duæ, ¹ prima in Urbem Tyrum, altera in Tyri Regem. In quibus quanquam Vates in pœnæ potius comminatione intentanda, quam in gravissimo casu lugendo, versatur; suumque illud obtinet, ut terrorem magis incutiat quam concitet misericordiam; tamen et titulo respondet luctuosum argumentum, et rerum sensuumque ratio Næniarum consuetudinem aliquatenus sequitur. Fit enim, uti in illis funebribus laudationibus fieri solebat, pristinæ gloriæ, opum, facultatum, bonorumque omnium, quibus prius abundabant, ornata et copiosa enumeratio; ut tantæ felicitatis desiderio calamitatis magnitudo augeatur. Quod ad Vaticinia item bina attinet, ² quibus denuntiatur Pharaonis et Ægypti occasus; ea Lamenta dicividetur solum ob tristem et lugubrem materiam; neque enim ullam habent styli Elegiaci formam aut similitudinem; vix ullam significationem doloris; ad minas et terrorem unice comparata sunt. Similem etiam rationem habet aliud par Lamentorum ³ in Principes

¹ EZEK. XXVII. et XXVIII. 12, ————— 13.

² EZEK. XXXII.

³ EZEK. XIX.

Judæ et in Hierosolymam editorum, quæ sunt Parabolæ Poeticæ; de iis itaque suo in loco jam antea est dictum.

Porro plerique Jobi sermones¹ in nobilissimo Poemate illius nomine inscripto pro veris ac legitimis Elegiis merito haberi possunt: ac nescio sane an in hoc ipso genere ulla uspiam extent perfectiora exempla; ita patet facta plane sunt et excussa intima doloris penetralia, ita penitus per vestigati et reclusi omnes misericordiæ fontes. Verum cum hæc sint membra quædam integri Poematis, non temere a suo corpore distrahenda; cumque ejus operis universi elegantissima dispositio, et eximiae in partibus virtutes, uberiorem aliquando disquisitionem postulaturæ sint; satis jam erit hæc solum indicasse, quasi pulchra quædam prædia, quæ Elegia, si modo esset litigiosa et summo jure agere vellet, vindicare posset.

Pergamus itaque ad Psalmorum Librum; qui est Sylloge generali titulo inscripta carminum in Dei laudes conditorum; continetque varia diversi generis Poemata, inter alia Elegias. Quod si ea omnia ita percensemus, ut ad suam quæque speciem referamus, totius numeri pars fortasse sexta aut faltem septima in hanc Elegiarum classem erit adscribenda. Quæ tamen res cum omnino in opinione posita sit, neque ex certis regulis liquido demonstrari possit; pendet enim partim ex argumenti natura, partim ex styli colore, aut totius Poematis forma, de quibus ex suo quisque sensu alias aliter judicabit; non erit a me postulandum, ut Psalms illos quos pro Elegiis habeam singulos nominatim recensem.

¹ Vide IOB. Capp. III. VI. VII. X. XIV. XVII. XIX. XXIX. XXX.

Id potius quod ex usu magis erit faciam, Academici, et experiar, si quod inde exemplum omnibus in hoc genere notis eminenter signatum vobis exhibere possim.

Atque eo quidem nomine non dubito vobis commendare Psalmum quadragesimum secundum, utque elegantissimum Elegiæ Hebrææ specimen proponere. Vates longe a Templo publico que Dei cultu in extremis Iudææ finibus exulans, ab hostibus oppressus, eorumque conviciis exagitatus, querimoniam et preces ad Deum fundit. Mirifice exprimitur ardentissimum piæ mentis desiderium, dolor absentium bonorum memoria identidem recrudescens; extrema animi demissio, cedentis moerori suo, sed eundem ferentis impatienser; vieti malis, sed iisdem aliquantulum reluctantis, et in densissimis rerum tenebris interlucentes quosdam spei radios subinde admittentis: amat, luget; queritur, expostulat; desperat, confidit; concidit, recreatur; invicem et pene simul omnia. Non est sperandum fore, ut hæc digne exprimat ulla Versio Poetica, cum alia lingua vix imitabilis sit vis, et incitatio, et maxime brevitas Hebræorum; quanquam hujuscce quidem Psalmi paulo fúrior est stylus: ut autem intelligatis quam congruentem habeat cum Elegia Latina naturam, recitabo eum vobis ex Metaphrasi Arthuri Jonstoni, satis elegantis et fidi Interpretis, nisi et rerum et verborum pondera metri genere a sublimitate alienissimo saepe fregisset; in materia autem Elegiaca, ut par est, res ei feliciter plerumque videtur procedere.

“ Cervus ut, in medio celsis de montibus æstu

“ Aëtus, in algentes fertur anhelus aquas;

“ Sic

“ Sic mea vitali satiari Numinis unda
 “ Mens avet, et Domini languet amore sui :
 “ Gaudet, et optat amans, vitæ se adjungere fonti :
 “ His mihi deliciis quæ dabit hora frui ?
 “ Scandere me quoties memini penetralia sacra,
 “ Et longo populos ordine pone sequi ;
 “ Aurea dum recolo missas ad sidera voces,
 “ Et plausum festis quem decet esse choris :
 “ In lachrymas totus miser et suspiria solvor ;
 “ Inter et ærumnas est mihi dulce queri.
 “ Cur ita turbaris ? cur te, Mens, dejicis exspes ?
 “ Cur ita me torques anxia ? fide Deo :
 “ Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus ;
 “ Et mihi materies unica laudis erit.
 “ Dum queror, in mentem, liquidis Jordanis ab
 “ undis,
 “ Sepositisque jugis, tu mihi sæpe redis.
 “ Gurgitis est gurges, rauci comes æquoris æquor :
 “ Fluëtibus infelix obruor usque novis.
 “ Luce, sed in media bonitas tua fulcit abyssò :
 “ Noëte, Parens vitæ, tu mihi carmen eris.
 “ Tunc ego, cur, dicam, capiunt te oblia nostri ?
 “ Rerum Opifex, animæ portus et aura meæ !
 “ Cur prope confectum curis, lachrymisque fe-
 “ pultum,
 “ Me finis immani durus ab hoste premi ?
 “ Hic petit insultans, ubi sis : ego vulneror inde,
 “ Ensis et in morem permeat ossa dolor.
 “ Cur ita turbaris ? cur te, Mens, dejicis exspes ?
 “ Cur ita me torques anxià ? fide Deo :
 “ Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus,
 “ Et mihi materies unica laudis erit.

Aliud est quod in hoc Psalmo animadversum velim : singulas ejus Periodos perpendat Lector, sensuumque intervalla distinguis in sua membra resolvat ; omnes, credo, comperiet quasi sua sponte ita se dispertire, ut versiculos prope æquales confiant, ejusdem, uti plane videtur, mensuræ et longitudinis ac ii quibus quatuor priores partes Threnorum Jeremiæ conscriptæ sunt; quod legitimum haberi posse Carminis Elegiaci genus apud Hebræos antea monui. Tales versus sunt in toto Psalmo undeviginti ; extra επωθην, quæ duobus ejusmodi versibus longiusculis constat, et uno insuper breviore ; quæque bis ponitur. Eadem plane videtur esse ratio sequentis etiam Psalmi, qui continet octo ejusmodi versus cum eadem επωθη : et cum in eadem materia, stylo eodem, iisdem etiam, ut videtur, numeris sit scriptus, a priore Psalmo fortasse non omnino sejungi debuit, sed pro alia quadam ejusdem parte potius haberi : id si verum est, totum Poema tres habet partes fere similes et æquales, quarum unaquæque clauditur eadem Periodo Intercalari.

1 Video jam, idem olim censuisse EUSEBIUM, in PS. XLIII. apud Hebræos : Αντιγραφος παρ' Εσθραιοις ὁ ψαλμος διο γε ταχη τοις λοιποις ἐρμηνευταις επιγραφην εχει· ακκα καὶ ὅπι μερος εοικεν ειναι του αὐτου, δεδηλωται εκ τη των ὄμοιων εν αειφορεζοις λογων, καὶ εκ της εμφερες Διγνοιας. Et hanc conjecturam confirmant sex Codices MSS. “Psalmi XLII. et XLIII. scribuntur continua serie, ut Psalmus unus, “in MSS. No. 2, 4, 18, 33, 68, et in 2^{do}. MS. MERRMANI. “Distinguuntur autem inter se Psalmi in MSS, non Literis Numeris, sed his duobus modis potissimum : vel una voce in medio spati vacui unius linea posita, quæ vox est aut finalis Psalmi prioris, aut initialis sequentis ; vel prima voce cujusque Psalmi literis majusculis exarata.” K.

Restat unum pulcherrimum in hoc genere Poema, Davidis in Saulum et Jonathanum Threnus; ¹ quem excerptum ex Libro aliquo, ut videtur, Poetico, jam olim deperdito, cui Titulus erat ² יִשְׁרָאֵל, nobis conservavit facer Historicus: non pigebit universam hujusc Carminis rationem paulo diligentius expendere.

Duos communes locos, eosque in Elegia legitima, eam dico quæ celebrandis mortuorum exequiis adhibetur, maxime pervulgatos, non tamen vulgariter Vates tractat; exponit sui doloris sensum, et defunctorum laudes prædicat. In ipso exordio utrumque exprimitur, sed, ut par est, vincit dolor, et cum gemitu et exclamacione erumpit:

הַצֹּבֵי יִשְׁרָאֵל עַל בָּמוֹתֵיךְ חָלַל
אֵיךְ נִפְלָו גְּבוּרִים:

I II. SAM. I. 17, ————— 27.

² Cum de Libro ejusque Titulo multi multas fecerunt conjecturas, neque certi quidquam de eo adhuc statuitur, Quid vetat et nosmet? — Bis citatur Liber יִשְׁרָאֵל; primo JOS. x. 13. ubi quæ inde proferuntur manifeste sunt Poetica, ac tria quidem Disticha conficiunt:

שְׁמֵישׁ בְּגַבְעָן דָּוֶם
וַיָּרֶחֶת בְּעַמְקָן אַילָּן:
וַיַּדְמֵת הַשְּׁמֵשׁ וַיָּרֶחֶת עַמְדָּה
עַד יַקְמֵת גּוֹי אֲבִיו:
וַעֲמַד הַשְּׁמֵשׁ בְּחַצִּי הַשְׁמִינִית
וְלֹא אֵץ לְבָאוֹ בֵּיתֵם תְּמִימִת:

tum hoc in loco exinde depromit Threnus Davidis. Notus est Hebræorum mos Libros suos ex prima cujusque voce inscribendi: ut בְּרִאשְׁתָּה Genesim, וַיְדַבֵּר Numeri; vel ex præcipua aliqua prima Sententiæ voce; sic idem Liber Numerorum vocatur etiam בְּמִרְבָּר. Videmus etiam apud eosdem Cantica, insigni aliqua occasione edita, hujusmodi forma, qua ea notetur occasio, induci: אֵין יִשְׁרָאֵל, five וַיְשַׁרֵּךְ

“O Decor Israelis, in montibus tuis perempte!

“Quomodo ceciderunt fortis!

Timidus et suspiciosus est dolor, facile causas comminiscens quibus fese excruciet; ægre ferens si vel neglectui sit, ludibrii autem et contumeliae prorsus impatiens:

שמעו כי נאנחה אני אין מנוח לי

כל איבי שמעו רעתך ששׁו כי אתה עשיתך

“Audiverunt gemitus meos; non est qui me consoletur:

“Audiverunt omnes inimici mala mea; quod ita
“me affeceris lætantur.

Ita queritur apud Jeremiam¹ Hierosolyma, miserias suas amplificans. Idem sentit Vates noster:

אָז יְשַׁר מִשְׁהָ פָּלֹמִי אַלְמָנִי
sic legit exod. xv. 1. (SAMAR.)
וַיְשַׁר פָּלֹמִי אַלְמָנִי
וְתַשֵּׁר דְּבָרוֹה (YSR) legit v. 5. 1. vide etiam Inscriptionem
PSALMI XVIII. Itaque Librum JASHAR fuisse opinor aliquam
Syllogen Canticorum Sacrorum, variis de rebus, et diversis tempore-
ribus conditorum, eumque habuisse Titulum ex eo quod et ipse
Liber et singula pleraque Cantica cum voce inciperent. In ea
fane opinione fuisse videtur vetus Interpres SYRUS, qui in horum
locorum altero vocem hanc reddidit per אֲשֶׁר, hoc est, cecinit; (cu-
jus Interpretatio, inquit ARABS eum in hoc loco fecutus, est Li-
ber Canticorum) in altero hujus Tituli significationem ipse expo-
suit voce حَمْنَوْرَمْ, id est, Hymnorum. Porro eorum sententiae
accedo, qui ex v. 18. existimant, hunc Threnum Titulo קְשַׁת inscriptum fuisse, vel in memoriam cladis ab hostium Sagittariis ac-
ceptæ, (vid. 1. SAM. XXXI. 3.) vel ex Arcu Jonathani, de quo
præcipua fit mentio v. 22. Huic opinioni favere videntur LXX.
“קְשַׁת, vel potius مَكْبَرَةُ إِبْرَاهِيمَ, Arabice significat mensuravit, ut notat Cl.
“MICHAELIS: sed non memini de mensura poetica usurpatum
“legisse.” H.

I THREN. I. 21.

אַל חָנִידו בְּנָת
אַל תְּבַשֵּׂר בְּחוֹצֶת אַשְׁקָלוֹן
פָּנָ תְּשִׁמְחָנָה בְּנוֹת פְּלֶשְׁתִּים
פָּנָ תְּعִלוֹנָה בְּנוֹת הָעֲרָלִים

“Ne annuntietis Gathæ,
“Neve prædicetis in vicis Ascalonis;
“Ne lætentur filiæ Philistæorum,
“Ne triumphent filiæ præputiatorum.

Difficilis et querulus est idem affectus; iniquus et impotens iræ, et in obvium quidque excandescens. “Utinam ne in nemore Pelio” — infit Anus illa in Medea Ennii.¹ Ecce autem alium, qui in montem immerntem vehementer invehitur²:

Αἰ αγ Λειψυδρίου περιδοσεταῖρον,
Οἴος αὐθρᾶς απωλεσας;
Μαχεσθα τ' αγαθούς καὶ ευπατρεῖδας,
Οἱ τοτ' εδειξαν οἵων πατέρων κυρησαν.

Nec temperantior Vates noster:

הָרִי בְּגַלְבָּע אַל טָל וְאַל מַטָּר עַלְיכֶם

“O Montes Gilboæ! ne in vos ros neque plu-
“via —

Quæ omnia si ad rectæ rationis normam exigas, quid absurdius? si naturam et affectuum motus species, quid verius, quid expressius, quid pulchrius? Non Causa pro Causa, in Dialectica flagitium, in Poetica interdum

¹ Apud CICERON. De Fato. vid. EURIPIDIS Medeam. v. 1.

² Scolian apud ATHENÆUM Lib. xv. Vide EUSTATHIUM ad Iliad Δ. 171. Edit. ALEX. POLITI Flarentiae. et HERODOT. Terpsichor. 63, 64.

est virtus : quia nimirum illic ratio, hic affectus dominantur. Cum jam luctui aliquantum satisfactum est, honori defunctorum commodior locus datur. Pariter laudantur, primo ob virtutem et res gestas ; tum ob amorem et pietatem mutuam ; ob pernicitatem denique et robur. Ornatur singulatim Saulus, ex eo quod opibus ac deliciis omnibus suos locupletaverit ; qui locus eximia cum elegantia tractatur : aptissime inducuntur fœminæ Israelicæ, fitque exornatio per imagines ad muliebrem personam accommodatissimas. Jonathano demum singulari item elogio parentatur, suavissimeque exprimitur jucundissimæ ejus amicitiae desiderium.

De Periodo Intercalari sive *επωθη*, in eum Psalmum quem modo exposui inserta, aliquid speciatim tum annotasse, nisi hic idem denuo faciendum esset. Cum Elegiæ natura valde congruit : siquidem amat luctus suis querimoniis immorari, easdemque identidem repetere et instaurare. Id quod in hoc Threno facit Vates : sed isthac Periodus Intercalaris singularem habet rationem ; non enim, ut plerumque fit, eadem omnino forma iisdemque vocibus perpetuo interponitur, sed paulum immutata, cumque jucunda et dictionis et ordinis variatione tribus vicibus facta ; inchoat enim Carmen, et concludit, et semel in medio interjicitur.

Est etiam aliud, quod quanquam conjectura solum innitatur, haud tamen verebor vobis proponere. Videatur mihi hic Threnus singulare aliquid habere in versuum mensuris ; liberiorem nimirum usum et varietatem metrorum ; ita ut non aut illis longiusculis solis, aut brevioribus maximeque usitatis unice constet, sed ex utrisque inter se permistis et artificiose temperatis.

ut parallelismi acumini, et concinnitati, fusum illud ac leniter profluens Styli Elegiaci genus aliquatenus moderetur: quod idem in nonnullis Psalmis videre mihi videor. Sane in harum Periodorum Poetica conformatio ne quiddam valde exquisitum factumque apparet: et ut nullum huic Poemati elegantiæ genus deesset, exigua est universæ dictionis perspicuitas, nitor, et pulchritudo.

Ut autem elegantissima hujuscce Elegiacæ Oeconomia melius appareat, recitandum est integrum Poema, unoque sub conspectu exhibendum: quod cum æque pigeret facere, vel ex barbara Masoretarum pronunciatione, vel oratione soluta et ad verbum conversa, totum versibus Elegiacis, ut potui, expressi.

Ergone magnanimi heroes, decus Israëlis,
 Proh dolor! in patriis occubuere jugis?
 Fama Philistæas ah! ne pertingat ad urbes,
 Neu Gatham tantæ nuntiâ cladis eat;
 Hostis ut invisos agitet sine more triumphos,
 Judaicisque nurus barbara læta malis.
 Triste solum, Gilboa! tuis ne in montibus unquam
 Vel ros, vel pluviae decidat imber aquæ!
 Nulla ferat primos aris tua messis honores;
 De grege lecta tuo victima nulla cadat!
 Qua scuta heroum, qua Sauli parma relicta est,
 Nequicquam heu! sacrum cui caput unxit
 Onyx.
 Non sine cæde virûm Sauli prius hasta redibat;
 Non Jonathani expers sanguinis arcus erat:
 Nobile par, quos junxit amor, quos gloria junxit,
 Unaque nunc fato jungit acerba dies.

Ut celeres vicere aquilas, validosque leones,
Viribus et cursu bella ciere pares !

At Vos, Isacides, Saulum lugete, Puellæ,
Qui dites vobis rettulit exuvias ;

Qui collo gemmas, qui textile vestibus aurum,
Coccina qui Tyria tincta bis arte dedit.

Heu quianam heroum bello perit irrita virtus !
Montibus in patriis, ah Jonathane, jaces !

Tu mihi, tu æterno flendus, Jonathane, dolore
Occidis ! heu misero frater adempte mihi !

Heu pietas ! heu rara fides, et dulcia fessò
Alloquia ! heu sanctæ fœdus amicitiæ !

Quæ mihi in adversis tulerat nova gaudia rebus ;
Gaudia, fœmineus quæ dare nescit amor.

Proh dolor ! heu quianam duro in certamine belli
Fracta virum virtus, irritaque arma jacent !

PRÆLECTIO VICESIMA QUARTA:

מְשִׁלֵּם

SIVE CARMINA DIDACTICA,

PRISCIS temporibus, et in gentium fere omnium primordiis, usitatissimum erat docendi genus per Sententias. Rudis plane et inculta erat vetus illa ac cum maxime nascens sapientia; nondum artificiose digesta et composita, non in suas partes distributa, non ad certam rationem et viam redacta. Qui ingenio et prudentia longoque rerum usu præstabant, ii suæ scientiæ summam omnem, quasi in compendium adductam, per axiomata quædam ac præcepta in aliorum utilitatem vulgabant; eo efficaciora et apud rudes homines plus ponderis habitura, quod non disputarent, sed juberent; non suaderent, sed cogerent; non per argumentorum anfractus circumducerent, sed recta impellerent, ad bene et honeste sentiendum agendumque. Eadem tamen ne nimia severitate averterent audientium animos, sed ut allicerent potius et ad se invitarent, aliquo ornatus lenocinio opus erat: itaque Effata sua in breves, acutas, et numerosas sententias inclydebant, figuris, imaginibus, et comparationibus illustratas,

Iustratas, multisque rerum et verborum luminibus distinctas. Apud plerosque populos primitus saltem obtinuit hæc ratio; apud Hebræos semper viguit. Ii hoc genus Sententiarum משל' vocabant; tum quod saepe constarent Parabolis proprie dictis; tum quod vi quadam atque auctoritate semper pollerent, et in audientium animis quodammodo dominarentur.

Ex hoc genere Didacticō multa supersunt Hebrææ Poeseos monumenta; in quibus principem locum facile obtinent Parabolæ Salomonis. Hujuscē operis duæ sunt partes: prima, quæ est Proœmii cuiusdam loco, novem priora Capita continet; estque varia, elegans, sublimis, vereque poetica; rerum ordine plerumque conservato, partibusque inter se apte connexis; pulcherrimis descriptionibus, et Prosopopœiis illustrata; compositione politissima omnique poetico ornata illuminata; ita ut haud ulli sacræ Poeseos parti venustatis laude cedat: altera pars inde ad finem Voluminis, singulis fere constat Parabolis sive Sententiis, vix quidquam habens sublime aut etiam poeticum ultra quod Gnomæ acumen et concinnitas admittit. Cum apud Hebræos genus Didacticum præcipue ac proprie sectatur hujusmodi disjunctas sententias, cumque hæ frequenter immiscentur diversi etiam generis carminibus, et per totam eorum poesin locum habet, hanc potissimum partem Parabolarum Salomonis tractabo, et in peculiarem Parabolæ rationem paulo diligentius inquiram.

Præcipuas Parabolæ venustates ipse Salomo eleganti Parabola exponit; una exhibens aptam rei descriptiōnem, reique descriptæ exemplum:

הַפּוֹחֵת זָהָב בְּמִשְׁכִּיוֹת כֶּסֶף
דְּבָר דְּבָר עַל אֲפֻנֵּי :

“ Poma aurea in opere reticulato argenti;

“ Dictum prolatum in rotis suis.

Vult nimirum graves et reconditos sensus oratione te-
reti, et undique circumcisa, et pulchre tornata ita com-
mendari ; ut pomorum exquisitorum et eximii coloris,
vel arte fortasse ex pretiosissima materia effectorum, ve-
nustior et jucundior est aspectus, cum per vasis argentei
egregie cælati cancellos, quasi per velum quoddam,
translucent : neque enim eos ornat modo nitida, subtilis,
et expolita dictio, sed illud etiam vel imprimis, si inter-
veniente venusta aliqua imagine paulum a conspectu re-
trahatur Veritas.

Isthæc ut videamus particulatim : Prima Parabolæ
laus esto Brevitas.¹ Est sane hæc necessaria quædam
conditio, qua sublata nec naturam suam nec nomen re-
tinebit. Quod si fuse pleneque res exponitur, si dictum,
idque geminatum, ultra decem, aut maxime ultra duo-
decim voces extenditur, non jam editur Parabola, sed
habetur Concio. Pungit enim quasi aculeo sententia, et
ictu, non mora, imprimitur ; adeoque dictione utitur
maxime pressa et adstricta, pene necessariis potius recisis,
quam admissis supervacuis. Legem hanc poesi Didac-
ticæ tulit etiam Horatius, ejusque rationem subjunxit :²

¹ Εσὶ γαρ καὶ αποφέγματικὸν ἡ βρεφότης, καὶ γνωμολογίην, καὶ σαφω-
τερὸν τὸ εὐ οἰηγῷ πολλὴν ἀλγονταν ἡδροιδας· καθιπέρ εὐ τοῖς μετεμφυσι δεν-
δρῶν ὅλων διωρεύεις. εἰ δὲ εκτενούστο ποιητὴν γνωμὴν εν μονάραις, διδασκαλία
γινεται ποιητὴν αυτην γνωμην. DEMET. PHAL. Περὶ Ερμηνείας.
Sect. ix.

² Art. Poet. v. 336.

“ Quic-

“ Quicquid præcipes, esto brevis; ut cito dicta

“ Percipient animi dociles, teneantque fideles.

Quod idem suo more, hoc est, Parabolice expressit Salomo noster:

דְבָרִי חֲכָמִים כַּדְרֵבְנוֹת

וְכַמְשֻׁמְרוֹת נְטוּעִת

“ Dicta Sapientum sicut stimuli,

“ Et instar clavorum in altum defixa:

acriter nimirum impellunt animum, alte penetrant, et
firmiter inhærent.

Porro Brevitatem plerumque consequitur aliqua Obscuritas, quam non modo non reformidat Parabola, sed amat etiam, et aucupatur, et sibi laudi dicit. Habet enim ea quoque res suam utilitatem: acuit animum et intentum reddit; excitat studium et desiderium sciendi: in ipsa disquisitione vires ingenii stimulat et exercet: ad hæc, vult mens humana in percipienda veritate suas sibi partes relinquere; non omnia plane nimis et aperte exponi, sed aliquid suæ perspicacitati tribui: illius etiam scientiæ fructus est multo jucundissimus, quam ipsa sibi propriis viribus suaque solertia comparavit. Oritur autem isthæc obscuritas multis modis præterquam ex ipsa brevitate et compressione dictiōnis: primum in Comparisonibus, cum res invicem applicantur interque se componuntur sine ulla comparisonis nota; cuius exemplum est in Parabola modo laudata, et sunt frequentissima: unum infuper alterumque apponam vel propter eorum eximiam elegantiam:

¹ E C C L E S . XII . 11 .

² P R O V . XXV . 14 .

נשאים ורוח ונশם אין
איש מתחלל במתת שקר :

“ Nubes, et ventus, et imber nullus ;

“ Vir fese venditans cum inani munere.

Item alia forma : ¹

יש זהב ורב פנינים
וכלי יקר שפתוי דעת :

“ Est aurum, et gemmarum copia ;

“ At pretiosa supellex labia scientiæ.

Deinde cum res ipsa, cuius adducitur Imago, occultatur, fitque Allegoria : notam et pervulgatam sententiam bene expressit Horatius vocibus propriis ; ²

“ Sperne voluptates ; nocet empta dolore volup-

“ tas :

sed eandem quanto elegantius Salomo per Imaginem, et sub Allegoriæ involucro ! ³

דבש מצאת אכל דיך
פָּנִים תשבענו והקאותו :

“ Invenistine mel ? quod modo sat erit comedere ;

“ Ne eo satiere, et nausees.

Tum etiam, cum ratio Comparationis valde late patet, et in multis locum habere potest ; quo in genere illud videtur ponendum ; ⁴

כמימ הפנים לפנים
כְּנֵן לב האדם לאדם :

¹ PROV. XX. 15.

² Lib. I. Epist. II. 55.

³ PROV. XXV. 16.

⁴ PROV. XXVII. 19.

“ Ut in aquis facies faciei [respondebat],

“ Sic homini cor hominis :

quod haud sene facile est dictu usque quo pertineat, et quibus coerceri debeat finibus; cum referri possit multis modis ad hominum indoles, ad ingenia, affectus, voluntates, amicitias, mores, virtutes, vitia; inter se plerumque congruentia, sive etiam invicem sequacia, et similes colores mutua inter se consuetudine trahentia. Postremo, ne plura recenseam, oritur aliqua obscuritas, cum in quacunque Parabolæ forma præcipua aut fortasse tota vis dicti non in ipso dicto vertitur, verum in eo quod minime quidem exprimitur, sed est eidem arte connexum et consequens : *

אָזֶן שְׁמַעַת וְעֵין רָאַת
יְהוָה עֲשָׂה גַּם שְׁנִיהם :

“ Aurem audientem, et oculum videntem,

“ Utrumque eorum fecit Jehova.

Non multum proficiet qui in verborum cortice morabitur, et intra ipsum sententiæ circuitum steterit; sed quam gravis quamque fructuosus exinde necessario pendet sensus, quem pro suo instituto clarus et animosius expressit Psaltes ! *

הַנְּטוּ אָזֶן הַלֹּא יִשְׁמַע
אִם יִצְּרֹעֵן הַלֹּא יִבְטַח :

“ Qui plantavit aurem, nonne ipse audiet ?

“ Qui formavit oculum, nonne ipse videbit ?

Restat denique ut Parabola sit Elegans; cum quo fatis bene constare potest et Breve et Subobscurum.

¹ PROV. XX. 12.

² PSAL. XCIV. 9.

Elegantiam dico sensus, imaginis, et dictio[n]is: quorum omnium exempla Parabolæ quas jam protuli prope singulæ suppeditabunt. Est autem hoc in loco notandum, minime deesse suam elegantiam iis etiam sententiis quæ sunt vel maxime nudæ, apertæ, et simplices, quæque nihil habent in sensu valde exquisitum, nullam imaginem, nullum singularem ornatum dictio[n]is; modo adsit brevitas, et rotunda constructio, et forma peculiaris, quæ sola nonnunquam constituere Parabolam videtur. Talis est sententia quam in Historia Sacra usurpat David ut Parabolam a priscis acceptam;

מְשֻׁעִים יָצָא רְשֻׁעַ

“A sceleratis prodibit Scelus:
talis apud Salomonem,”²

שְׁנָאָה תַּעֲרֵר מְדֻנִּים
וְעַל כָּל פְּשֻׁעִים תִּכְסֹה אֶחָבָה:

“Odium fuscitabit rixas;
“Sed omnia delicta operiet Amor:
plurimæque ibidem aliæ.

Alterum est Salomonis opus ad hanc Speciem Didacticam pariter referendum, cui titulus קְהַלֶת, sive Concionator; vel potius fortasse Sapientia Concionatrix: in quo quanquam multæ sint pa[re]sim interspersæ disjunctæ sententiæ, multæ Parabolæ, alia tamen est totius ratio, aliis color, longe dispar stylus. Etenim una est universi operis forma, unum et simplex argumentum, De rerum humanarum Vanitate, sub persona Salomonis, in perdifficili quæstione dubitantis, in utramque partem dif-

I I. SAM. XXIV. 13.

² PROV. X. 12.

putantis, et ex ancipi^ti cogitandi cura sese tandem expedientis. In partibus autem definiendis magna est difficultas; in summa obscuritate versatur rerum series, orationis filum, universi argumenti ordo et distributio; ut in eruenda libri œconomia, et accurata partium descriptione constituenda, interpretes multum inter se dissentientes videas. Ut quod res est dicamus; in rebus explicandis et disciplinis tradendis accurata et subtilis partiendi ratio nec nota erat Hebræis, nec quæsita: priscam illam sententiarum viam unice tenebant, nec Methodum vel sponte sese offerentem admittere dignabantur. Stylus autem hujusc^e operis est plane singularis: dictio est humilis plerumque et submissa, sed imprimis obscura; saepe laxa, et dissoluta, et sermoni proprior; nec in compositione et structura multum viget poeticus character: quæ forsan videri possunt argumenti naturæ aliquatenus tribuenda. Judæis fane invitis in Metricorum librorum numero plerumque habetur: quod si in his rebus multum valeret illorum hominum auctoritas, hic fortasse eorum opinioni aliquid esset concedendum.¹

Ad hanc Poematum classem pertinent Psalmi nonnulli; Alphabetici nimirum omnes, aliique pauci. De Acrostichidis artificio plus semel jam facta est mentio. Horum Carminum omnis fere laus in eo consistit, quod ad communem usum sint apprime accommodata; quod

¹ Existimat Vir Doctus in opere erudito nuper edito, Librum ipsum maxima ex parte sermone soluto scriptum esse; sed multis carminum laciis, passim prout res et occasio ferebat inductis, distinctum: cuius sententiæ libenter accedo. Vide A. V. DESVOEUX. *Tentamen Philosophicum et Criticum in ECCLESIASTEN*, lib. II. cap. I.

sensus sint pii, graves, fructuosi; pura et aperta dictio; compositio ad generis sententiosi formam accuratissime facta et limata.

Duo præterea supersunt in hoc genere Monumenta, quæ jure sibi vendicat Poesis Hebræa, quanquam et prosa oratione et Græce solummodo scripta extant: Sirachidis Sapientia, et, quæ appellatur, Salomonis.

Sirachidis opus, ex Hebræo in Græcum sermonem ab Auctoris Nepote conversum, est ejusdem omnino generis cum Parabolis Salomonis; adeoque eundem etiam titulum primo inscriptum habuit, nimirum סִרְחָדִים, uti nos docet Hieronymus,¹ qui se librum hunc Hebraicum reperisse testatur; quod quo minus de archetypa scriptione Hebræa, non de Syriaca quadam Versione, intelligamus, non video. Verum utcunque ea series habet, profecto clare constat ex ipsa hujuscce libri Græca interpretatione quam nunc habemus, fuisse eum per omnia Parabolis Salomoneis perquam similem; quoad nimirum Scriptori fas est imitatione pervenire. Magna rerum, sensuum, dictiōnis similitudo: idem Styli color, eadem sententiarum constrūctio; ut nec dubitem, quin eandem etiam carminis rationem, quæcunque ea erat, fecutus fuerit Auctor, si modo aliqua ad eam usque ætatem Metricæ artis cognitio supereffet. Ut in hac re aliquid tuto affirmare possimus, facit eximia Interpretis fides, quæ multis indiciis passim cernitur: fane videtur in suo munere obeundo summa cum religione versari, totum se ad Hebræum sermonem compонere, Græcam elegantiam minime captare; nec modo sententias appendere, sed adnumerare verba, ac servare

¹ Præf. in Libros Salomonis.

etiam

etiam verborum ordinem: ut in plerisque, versione in suum fontem refusa, ipse Scriptor Hebræus vere repræsentari posse videatur. Quod si quis in hac re faciet periculum, partemque aliquam hujusc libri ad verbum conversam Hebraice reponet, clare videbit admirabilem ejus cum antiquis in hoc genere Hebræorum monumentis consonantiam; in omnibus unam atque eandem cum iis formam et charæctera: ut facile sibi persuadere poterit se alterum plane Salomonem loquentem audire. Salomonem autem ita sequitur Sirachides, ut Parabolarum illius primam potissimum partem imitetur: habent enim plerumque sententiæ ejus aliquam inter se connexionem; stylus etiam est magis pictus nonnunquam et coloratus, figuris et imaginibus impensius ornatus, quam ratio Didactica necessario postulat: quod videri potest in Sapientiæ Pro-sopopœia, ¹ in qua Antecessoris sui habitum et effigiem fane feliciter expressit.

Sapientia Salomonis in imitationem item scriptorum Salomonis composita est; sed haudquaquam exitu æque felici: a Judæo aliquo Hellenista, non, ut Sirachidis liber, ex Hebræo conversa, sed Græce scripta. Stylus videtur inæqualis et dispar sibi: saepè grandiloquus, co-thurnatus, et tumidus; amplus item, et fusus, et Epithetis abundans, præter consuetudinem Hebræorum; interdum temperatus, elegans, sublimis, poeticus. Constructio nonnunquam sententiosa, et in eo genere satis accurata; ut manifesto deprehendas Auctorem sibi ad

imitandum proposuisse antiqua Poeseos Hebrææ exempla : quanquam in universum a germano illo charactere longe distat. In œconomia operis graviter peccat ; Salomonis Preces a Capite nono inchoatas usque ad finem libri continuat, ita ut partem totius plus diuidiam conficiant : in quibus ut immanem illam orationis longitudinem excusemus, nimium indulget subtilissimis rerum reconditarum disquisitionibus, et multa admiscet a ratione precum ad Deum factarum valde aliena : ad hoc res ipsa ad nullum certum exitum perducta videtur. Quibus de causis iis libenter adsentior, qui opus hoc Sirachide haud paulo recentius, et sequiore ætate conscriptum judicant.

Verum ne missam faciam hanc poeseos speciem sine aliquo integri Poematis specimine, quale in cæteris exhibere aggressus sum, tentabo, Academici, id, quod vos ut experiri velletis auctor modo fui, et partem quandam Libri Sirachidis Hebraice conversam dabo ; illam ipsam nimirum, quam jam laudavi, Sapientiæ Prosopopœiam. Evidem hujuscce speciei Character vix alio carmine quam Hebraico effingi potest : quænam autem sit mea Hebraici carminis notio atque idea generalis, cum sæpe et multis modis explicare conatus sum, vix tamen aliter melius quam hoc fortasse exemplo intelligetur.

ECCLESIASTICI CAPUT XXIV.

Hebraice redditum.

תְּהִלַּת חֲכָמָה לִישׁוֹעַ בֶּן סִירָח :

חֲכָמָה תְּהִלַּל נְפָשָׁה
 וּבְתוּךְ עַמָּה תְּשַׁתְּבָה :
 בְּקָהָל עַלְיוֹן תְּפַתֵּח פִּיהָ
 וּלְפָנֵי חַילּוֹ תְּהַלֵּל :
 אָנִי מִפְּי עַלְיוֹן יָצָאָתִי
 וּכְעַרְפֵּל כְּסִיתִי הָאָרֶץ :
 אָנִי בּוּמְרוּמִים שְׁכַנְתִּי
 וּכְסָאִי בּוּמְרוֹד עָנָן :
 חָגָג הַשְׁמִימִים סְבוּתִי לְבָדִי
 וּבְמַצּוֹלָת תְּהֻמוֹת הַתְּהַלְּכָתִי :
 בְּגַלְיַי הַיּוֹם וּבְכָל הָאָרֶץ
 וּבְכָל עַם וּגְנוּי קְנִיתִי :
 עַם כָּל אֱלֹהָה דָרְשָׂתִי מְנוּחָתִי
 וּבְנְחָלָתִי מִי אַלְין :
 אֹז יְצָוֵנִי יְוָצֵר כָּל
 וּבְוּרָאַנִי הַנִּיחָה אֲהָלִי :
 וַיֹּאמֶר בַּיּוּקָוב שְׁכַנִּי
 וּבִשְׁرָאֵל נְחָלִי :
 מַעוֹלָם מַרְאָשִׁית קְנִינִי
 וְעַד עֲולָמִים לֹא אָחָדֵל :

באهل קדוש לפני שרתי
 וכן בציון הצבתי:
 בעיר אהובה כמו כן הנחני
 ובירושלים ממלתי:
 ואשרישה בעס נכבד
 בחלק יהוה נחלתו:
 כארז העליית בלבנון
 וכברוש בהררי חרמון:
 כתמר העליית בעין נדי
 וכנטע חבצלת ביריחו:
 כזית נעים בשירה
 וਆלה כערמן עלי מים:
 בקנמוון וקנה בשם נתתי ריח
 וכמר מבחר נתתי ריח ניחוח:
 כhalbנה ושהלת ונטף
 וכקיטור הלבנה במשכן:
 ואני כאילה שלחת ענפי
 וענפי ענפי כבוד וTHON:
 אני כגפן צומחת חז
 ונצוטי פרי כבוד ועשר:
 קרבו אליו מטהוי
 ומتابואתי השבעו:
 כי זברי מדבר מחוק
 ונחלתי מדבר ונפתח:
 אוכלני עוד ירעובן
 ושותני עוד יצמאן:

השומע אליו לא יבוש
ועובדים בו לא יחטאון :
כל אלה ספר ברית אל עליון
תורה שזו לנו משה
נחלת למקהлот יעקב :
המלך כפישון חכמת
וחדרקל בימי אביב :
הרביה כפרת בינה
וכירדן בימי קציר
המושיא כיאור מוסר
וכניהם בימי בציר :

1 In errorem hic humanitus incidit Sirachides Neps, neque Avi sui sententiam expressit: nam cum vocem hanc in suo exemplari defective scriptam legeret, perperam vertit ἡς φαε. Vide enim quam incongrue cum cæteris: Pison, Tigris, Euphrates, Jordanes, Lux, Gihon: loco *Lucis* desideratur Flumen aliquod, adeoque manifesto legendum erat, כיאור ὁ Πολεμός, ut *Fluvius Ille*, nimirum Nilus; qui certe homini Judæo in ejus vicinia ætatem degenti inter fluvios principes et exundationibus nobiles erat præcipue memorandus, et nomine τε οὐ πολεμός, honoris causa merito appellandus. Hæc autem ipsa vox eodem modo defective legitur כיאר A M O S. VIII. 8: (“legitur in MSS. “No. 4, 28, 70, et 73.” K.) eadem vero periodo mox repetita, plenius exprimitur τε οὐ πολεμός, כיאר ix. 5. Vide CAPPELL. Crit. Sacr. IV. 2. 11. Amicissime me admonuit Vir doctus, idem olim de hoc loco statuisse magnum BOCHARTUM, cuius auctoritate quæ supra dicta sunt libenter confirmo: “אָרֶן est fluvius, ut יָאָר. Ita occurrit, A M O S. VIII. 8; ubi de Nilo. Atque eodem sensu usurpaverat Sirachides E C C L U S. XXIV. 27. ubi interpres perperam “pro lumine accepit.” Chanaan. Lib. I. cap. 23. Cæterum in hac Versione secutus sum textum Codicis Vaticani, paucis quibusdam exceptis, quorum rationem facile expediet Lector, si qui operæ pretium duxerit hæc paulo attentius expendere.

לא כליה הראשון לדעתה
 וכן האחרון לא יזכיר;
 כי מים נ מלאו מחשבותיה
 ועצה מתרומות רבה;
 ואני במוצא מים מיאור
 וכתעה יצאת בפרדס;
 אמרתי אשתה נא את נני
 והרויתי את תלמי;
 והנה היהת תעלתי ליאור
 ויהי היורי לים;
 עוד מוסר כשר אופיעת
 והARIOתיהו עד למרחך;
 עוד לך כנבואה אשפוך
 והניחותיהו לדורות עולם;
 ראו כי לא לי בלבד יגעה;
 כי אם לכל מבקשי אמת;

שׁוֹר

S I V E O D E.

PRÆLECTIO VICESIMA QUINTA:

ODÆ HEBRÆÆ PRIMUS CHARACTER.

CARMEN omne cantioni destinatum, sive affa
voce sive fidibus conjunctis canendum, He-
bræi שׁוֹר, Græci ωδὴ, appellant; quæ vo-
ces inter se aptissime congruunt: et sicut ea
Græcorum vox restrictius tandem accepta est ad desig-
nandam Poematis speciem singularem, ita idem apud
Hebræos etiam videtur obtinuisse, nisi quod hi voca-
bulum illud suum aliquanto fortasse latius usurparent.

Satis aperte suam originem profitetur Ode: nata
primum est ex lætissimis incitatissimisque animæ hu-
manæ Affectibus, Gaudio, Amore, Admiratione. Quod
si hominem recens creatum cogitamus, qualem eum
nobis exhibent Sacræ Literæ; rationis et orationis fa-
cultate perfecta præditum; non sui, non Dei igna-
rum; divinæ bonitatis, majestatis, et potentiae con-
scium; pulcherrimæ totius mundi fabricæ, terræ cœ-
lique non indignum spectatorem; fierine posse crede-
mus, quin ei hæc omnia intuenti intus inclesceret cor,
ita

ita ut ipso affectuum æstu abreptus animus ultro sese effunderet in Creatoris laudes, inque eum impetum orationis, eamque vocis exultantiam exardesceret, quæ tales animi motus pene necessario consequitur? Quod ipsum usu venit pulcherrimi illius Psalmi Auctori hæc eadem contemplanti, quo res omnes creatas ad concelebrandam inter se Dei Optimi, Maximi, gloriam adhortatur:

הָלֹו אֶת יְהוָה מִן הַשְׁמִינִי
הָלֹו הַמְרוּמִים :
הָלֹו כָּל מְلָאכִיו
הָלֹו כָּל צְבָאוֹ :

“Laudate Jehovam Cœlites;
“Laudate eum in excelsis;
“Laudate eum omnes angeli ejus;
“Laudate eum omnes ejus exercitus:

quem hymnum elegantissime imitatus est, et Adamo suo Paradisum incolenti aptissime tribuit, ² Miltonus noster, poetarum omnium post Vates Sacros longe divinissimus. Sane de primævo illo ac perfecto hominis statu vix recte concipere videmur, nisi aliquem ei Poëeos usum concedimus, quo pios erga Deum affectus et sanctum ardorem religionis hymnis et cantu satis digne exprimeret.

Quod si rerum veritatem et historiæ fidem appellamus, apud omnes fere populos paulo humaniores id ab ipsis usque primordiis derivatum semper obtinuisse videbimus, ut in re divina facienda et religionibus ce-

¹ PS. CXLVIII.

² *Parad. Amiss.* Lib. v,

lebrandis carminum et hymnorum usus dominaretur. Ex antiqua illa musica et poesi, quam aliquando apud suos legibus constitutam fuisse testatur, eam speciem primo recenset Plato,¹ qua continebantur Preces ad Deos, quique dicebantur Hymni. In Latina poesi nihil memoratur æque vetustum ac Saliare Numæ Carmen, una cum primis sacrorum et cæremoniarum institutis a rege doctissimo conditum, quod Salii, ἵμηνται παν ενοπλιων θεων, ut eos appellat Dionysius,² ad tibiam canebant cum tripudiis solennique saltatu. Quid quod Carmen omnium quæ nunc extant antiquissimum (eorum dico, quorum ætas certo cognoscitur, et quæ justa sunt poemata) est ipsa Mosis Ode ἀχρεεσικη post transitum Maris Rubri, in suo genere perfectissima, lætarum quas dixi affectionum verus et naturalis fœtus. Ita Odæ origo ad ipsum Poeseos initium recurrit, quod cum Religio-nis, hoc est, cum ipsius humanæ naturæ ortu conjunctum videtur.

Hanc Poeseos speciem præ cæteris omnibus excole-bant Hebræi; et in eadem perinde eminent. Solenne erat per omnes Hebrææ nationis ætates ob res feliciter gestas prosperosque bellorum exitus lætis carminibus Deo servatori publice grates agere. Hinc Mosis, Deboræ, Davidis, Επινικια. Cum ipsis forsan reipublicæ primordiis initia sua habuerunt Scholæ Prophetarum; regum certe tempora antecedebant: ibi, uti jam vidi-mus, disciplinæ Propheticæ Alumni inter cætera studia sacræ poeticæ operam dabant, et Dei laudibus Odis et musica celebrandis vacabant. Sub Davide autem præ-

¹ *De Legibus* III.

² *Antiq. Rom.* II. 70.

cipue florebat musica et poesis: ex illius instituto quater mille Cantores sive Musici e numero Levitarum, sub præfectis ducentis octoginta octo, distributi in classes viginti quatuor, quæ per singulas hebdomadas vicibus suis in Templo fungerentur, sacrorum Hymnorum ministerio unice deserviebant, & partim voce, partim diversi generis instrumentis musicis canentes. Illorum principes erant Asaphus, Heman, et Iduthun; qui, quantum ex Psalmorum titulis colligere licet, ³ Hymnos etiam composuisse videntur. Ex apparatu tam splendido, cui nihil simile alibi unquam extitit, de Odæ Hebrææ dignitate et magnificentia conjecturam facere possumus. Meminerimus, nunc ejus reliquias ad nos pervenisse ornamentiis suis omnibus spoliatas, nisi quæ in dictione et sensibus eluent, quibus ipsis plurimæ obscuritates et tenebræ insiderunt. Quapropter de Oda Hebrææ differentes omni supersedebimus disquisitione de Musica Sacra, deque vario ejusmodi rerum apparatu, quæ aliquam proculdubio vim habere poterant in constituendis diversis Odarum generibus; quorum tamen omnium cum in summa ignoratione versamur, fatius duco de iis tacere, quam Eruditorum quorundam exemplo multa loquendo nihil dicere. Inquiram itaque breviter in communem hujuscce Poematis naturam et affectiones, quibus expositis de Hebræorum in hoc genere monumentis facilius certiusque judicare possimus.

I I. PARAL. XXIII. 5.

2 I. PARAL. XXV. I, ————— 7.

3 Vide etiam II. PARAL. XXIX. 30.

Est Ode Poematis species omnium maxime suavis, venusta, elegans, varia, sublimis; quorum singula fere in ordine, sensibus, imaginibus, dictione, numeris, cernuntur. In rerum ordine ac dispositione posita est prima ac maxima quidem Odæ venustas; quæ cum facilissime sentitur, difficillime tamen explicatur: hoc enim habet vel præcipuum, quod via et præceptis certaque partium descriptione minime continetur. Est enim læta, soluta, libera; in elatiore argumento exultans, audax, et nonnunquam pene effrænis: sed et hic etiam, semperque alias, nisi per totum regnet quædam facilitas, quæ negligentiae cujusdam minime affectatæ speciem habet, naturam non artem præ se ferens; quæque cernitur maxime in exordio obvio, nec nimis exquisito, et in ipsam plerumque rem protinus incurrente; in serie rerum per jucundam varietatem subtiliter et artificiose, sed quasi sponte, deducta; in clausula fine ullo acumine leni quodam lapsu in loco forsan minime expectato, et nonnunquam veluti fortuito cadente: nisi sit totius habitus quidam suus et forma peculiaris, in rebus ipsis, in ordine et dictione, non in metri genere posita, quæ hanc præcipue atque unice deceat; fiet quidem poema cætera forsan probabile, minime autem erit elegans Ode. Habent hanc formam Odæ Horatii plurimæ; Hannefii nostri paucæ quidem illæ, sed propemodum omnes. Occurrunt in Papinii Statii Sylvis¹ Carmina Lyrica duo, in quibus cum sint numeri in primis sonori, rotundi, et volubiles; sensus satis elegantes et venusti; dictio, si non delicata, ardens tamen et colorata; nihil tamen minus

¹ Lib. iv. Sylv. 5. et 7.

in iisdem illam totius formæ felicitatem et gratiam, et expressam Odæ effigiem, desidero.

Sensus atque Imagines rerum et argumenti rationem sequuntur, quæ varia est, et nullis plane finibus circumscripta. In humili materia erunt suaves, amœni, floridi; in elata graves, audaces, vividi; in omnibus summe elegantes, expressi et varii. Amat Ode potissimum Rerum Naturalium Imagines, Historiarum communes locos, descriptiones vividas, sed breves, et, cum altius insurgit, crebras Personarum fictions. Dictione utitur præcipue exquisita lecta que, clarissimos adhibens verborum colores, jucundissima figurarum lumina, elegantias quasdam proprias, et ut peculiarem totius dispositionis habitum, ita ornatum etiam elocutionis privatum et suum; in quo item non minus cernitur illa Horatii curiosa felicitas. Hæc omnia commendat numerorum omnis dulcedo et varietas, quam vel linguæ cujusque natura fert, vel rerum quas tractat prope infinita diversitas postulat.

Dolet profecto, quod de Oda Hebræa differentibus de numeris omnino sit silendum; quos quanquam nobis penitus ignotos, tamen et Musicæ ejus, quæ apud Hebræos multum colebatur, naturæ accommodatos, et pro linguæ ingenio perfectos fuisse, par est ut existimus. Cætera quod attinet, dictionis vim et elegantiam, sensuum atque imaginum pulchritudinem et dignitatem, ordinis et œconomiæ virtutes omnes et gratias, ne ei præ omnibus in hoc genere exterorum monumentis asserere possimus, minime erit verendum. Qua in disquisitione, cum tam late pateat, ne incerte fluctuemus, aliquem statuamus itineri nostro præfinitum cursum; quod satis

satis commode fieri posse existimo, si omnem hujuscem
poematis diversitatem in tres species includamus, qua-
rum primam distinguat, et quasi præcipua quadam nota
designet, Suavitas; alteram, Sublimitas; quibus inter-
poni potest Medius quidam et ex utraque temperatus
Character: harum communes habendæ erunt affectiones
Varietas et Elegantia.

Quanquam in materia gravissima semper versetur
Ode Hebræa, neque unquam ad illam descendat levita-
tem, quæ exteram in hoc genere poësin magna ex
parte occupavit; Suavitatis tamen Charactera minime
aspernatur. Eum constituant Affectus lenes et placidi,
Imagines amœnæ et floridæ, Dictione jucunda, composita,
et æquabilis. Quæ hic potissimum locum habent Af-
fectiones, sunt Amor, Desiderium, Spes, Lætitia non
nimis exultans, Dolor etiam, sed si constet modus.
Amorem et Desiderium suavissime expressit Vates Re-
gius in Judææ Deferto exulans, Psalmo sexagesimo ter-
tio. Dolorem habet cum Spe aliqua conjunctum Psal-
mus octogesimus. Spem Lætitiæ proximam quintus
supra octogesimum. Nonagesimus secundus totus est
Gaudii, sinceri, sed temperati. Quorum omnium tanta
est in compositione, dictione, sensibus, ordine, et præ-
cipue in his suavissimis Affectibus dulcedo, quantam
non Musæ omnes et Gratiæ, ut illi loquuntur, collatis
symbolis infundere potuissent. Quod ad Imaginum or-
natum attinet, qui nec illis superioribus deest, quid con-
cipi potest suavius et venustius quam illa Dei Pastoris
effigies? :

יְהוָה רֹעֵי לֹא אַחֲרֶךָ
בְּנֹאות רֹשֵׁא יְרִבִּיצָנִי
עַל מֵי מִנוּחוֹת יְנַהֲלֵנִי :

“Jehova est Pastor meus, nihil mihi deerit :
“In pascuis herbidis ut recubem faciet ;
“Propter aquas leniter fluentes me deducet.

Quid ipsa rerum et argumenti jucunditas, naturæ læta et florida Imago, quantam gratiam in Psalmo sexagesimo quinto, ubi Vates Dei beneficentiam laudat in rigandis fœcundandisque terris, pari ei quam depingit ubertate dictionis ? In materia etiam elatiore, sed læta et felici, qualis est Salomonis Inauguratio, quam celebrat Psalmus septuagesimus secundus, eam vim habet cum imaginum pulchritudo et varietas, tum dictionis et compositionis nitor, ut nihil facile æquare possit ejus carminis in haud mediocri sublimitate etiam dulcedinem et gratiam.

Hæc ex multis pauca Odæ venustioris exempla vobis tantum commonstravi, Academici, attentius expenda ; quibus perfectiora ex omnibus Musarum thesauris frustra, opinor, perquiretis. Unum solummodo adjiciam, quod et Odæ habitum illum et formam, nisi valde fallor, perfecte expressam exhibit, et suavitates ejus omnes quasi in brevissimum compendium adductas complectitur ; est enim, ut elegantissimi poetæ versum usurpem, ¹

Πιδακος εξ ιερης ολιγη λιθας, αυγον αυτον.

In festi alicujus celebritate populi frequentiam concordiamque contemplatus Psaltes, ταν læti spectaculi sen-

sum tali quodam modo expressit, si Davidem pati possit Latine canentem.

P S A L M U S C X X X I I I .¹

O dulce jucundumque ! Tribulum
Cœtu in frequenti mutua caritas !
O corda qui fraterna nodo
Jungit amor metuente solvi !
Non aura Nardi suavior occupat
Sensus, quæ Aronis vertice de sacro
Per ora, per barbam, per ipsas,
Lenta fluens, it odora vestes :

1 Est hic Psalmus ex numero illorum quindecim, qui singuli inscribuntur, שיר המעלות, “Ode Ascensionum :” hoc est, quæ caneretur, cum populus in Hierosolymam *ascenderet*; nimirum vel ad Festa quotannis celebranda, vel tum cum Captivitate Babylonica reverteretur. Ea fane reversio dicitur מבעלָה מבָבֵל, “Ascension ex Babylone,” EZR. VII. 9. et vetus Interpres SYRUS, qui titulis appositis Psalmorum argumenta exponit, huc refert Psalmos sic inscriptos prope omnes; perperam quidem nonnullos; sed plerique ad harum occasionum alterutram manifesto pertinent. Verum omnes indiscriminatim de Liberatione Babylonica interpretatur Theodoreetus; Titulum autem sic explicat: Ωδὴ τῶν αναστάθμων Θεοδόκεων, Αστρα τῶν αναστάθμων ὁ δὲ Συμμαχοῦς καὶ ἡ Ακολατή, Eis τὰς αναστάσεις. Δηλαστι μέντοι εἰς αναστάσεις, η οἱ αναστάθμοι, τὰ αποχμαλωτούσις λαες τίς απὸ Βαῖντλωνος επανεδον. THEOD. in PS. CXX. Sed nota est etiam, et in Utroque Testamento usu pervulgata, hæc Phrasis, בְּשִׁלְוִת יְרוּשָׁלָמֶשׁ, בְּנִיחַדְתָּה תְּשׁׁוּעָלְלָה, (vid. I. REG. XII. 27, 28.) αναστάνειν εἰς Ιερουσαλήμ, αναστάνειν εἰς τὸν ἱερόν. (vid. IOH. VII. 8.) Et perpende præ cæteris PS. CXXXII. qui vix aliter quam de Festi alicujus celebratione explicari potest. Quæ hic narrant Judæi de Templi Gradibus, sunt mera commenta hominum futileissimorum. Cæterum in ultima hujuscce Psalmi periodo particula בְּשִׁלְוִת necessario referenda est ad vocem יְרוּשָׁלָם; nihil aliud est ad quod possit referri; ad hoc, cui nisi Sioni promittebatur הכרנה בְּנִיחַדְתָּה? (Vide omnino PS. CXXXII. 13, et 15.) quæ voces ambiguous

Non rore largo lætior irrigat
 Hermona florentem ætherius liquor;
 Sanctæque fœcundat Sionis
 Uberibus juga celsa guttis,
 Præsens benigno numine quas fovet
 Jehova sedes; alma ubi Fauſtitas
 Testatur, æternumque magni
 Dia Salus Domini favorem.

biguae sunt, ita ut felicitas vel temporalis, vel æterna, vel utraque pariter, intelligi possit; (confer modo **DEUT.** xxviii. 2, &c. cum **P.S.** xxiv. 5. et **PROV.** xxvii. 27. cum **DAN.** xii. 2.) et hoc in loco ex Allegoria Myſtica in utrumque ſenſum interpretandæ ſunt. Hæc ſi vera ſunt, peggime hunc locum folicitarunt Critici. Nulla opus eſt emendatione: ſupplendo Ellipsis vocis repetendæ לְבָנָה, vel ſolum particulae י, vel נ, ante דָרְשׁ, expedienda eſt conſtructio. Eodem modo apud **ISAIA M.** dixit Hezekias:

כִּסְוָם עֲגֹר כֵּן אַצְפָּנָה

“Ut hirundo, [et ut] grus, ſic pipiebam.

Cap. xxxviii. 14.

PRÆLECTIO VICESIMA SEXTA:

O D Æ H E B R Æ Æ

M E D I U S C H A R A C T E R.

PROPOSITIS jam antea Odæ venustioris quibusdam exemplis, ut ad supremum Hebrææ Poëeos in hoc genere fastigium gradatim ascendamus, libet in Medio illo quem notavi Charactere paulum immorari : qui quidem dupliciter intelligi potest ; nimirum, ut vel ex Suavitate et Sublimitate sit ita æquabiliter temperatus mixtusque, ut ad utramlibet ex omni prope parte referri possit ; vel utramque ex diversis partibus simul comportet et inter se connectat, ita ut varius et computabilis sit styli color. In utroque genere unum alterumque exemplum profaram.

Psalmi Nonagesimi Primi Argumentum est, Pii Securitas, Victoria, Præmium. Odæ Exordium continet Pii illius in Deo fidentis descriptionem :¹

¹ Pessime acceptum est a Masoretis et Interpretibus plerisque, et mirum in modum turbatum, pulcherrimum hoc Exordium. Quorum errores ita optime coarguentur, si tollantur omnes quæ iis impedimento fuerunt difficultates. Est itaque בְּנָוִן Benoni, sicut בְּשָׁעָה : Futurum יְתַלֵּג vim item habet Participii, per Ellipsis וְ ;

ישב בסתור עליו
בצל שדי יתלונן:
אמר ליהוה מהמי ומצודתי
אליה אבטח בו:

“ Qui habitat in secreto Altissimi ;
“ Qui in umbram Omnipotentis sepe receptat :
“ Qui dicit Jehovæ, Spes mea et propugnaculum
“ meum !
“ Deus meus, in quo confidam : —
tum, sententia nondum absoluta, per Apostrophen ad
Pium illum quem haec tenus descripsit :

כִּי הוּא יַצֵּילךְ
מִפְחָד קֹשֶׁת מִדְבָּר הַוּת:

אשֶׁר ; cuius rei exempla, ne longius petamus, tria occurunt in
hoc ipso Psalmo v. 5, et 6 : ita etiam SYMMACHUS, qui primum
comma hoc modo reddit :

O κατοικῶν ὑπὸ σκόπου τοῦ ὑψίστου,
Υπὸ σκιῶν τε ἵπερου γυντερέσθων.

unde plane liquet eum non ita accepisse verbum אָמַר, ac si esset
prima persona Futuri, ut volunt Masoretæ ; unde potissimum error
omnis manavit : neque vero duo membra primi commatis, Paral-
lela et Synonyma, compedit in unam propositionem identicam et
nihil dicentem. Tum fit v. 3. Apostrophe apertissima atque facil-
lissima ad Personam de qua hucusque verba facta sunt : ubi etiam
notandum, particulam בִּי non esse causalem, sed affirmativam ;
enimvero profecto : ut P.S. LXXVII. 12. I. SAM. XIV. 39, et 44. et
sæpe alibi. Ut exemplo rem clarius demonstrem, tota hujuscce ex-
ordii forma et ratio fere eadem est ac Psalmi cxxviii. quod nemini
unquam moram injectit :

אשרי כל ירא יהוה
ההלך בדרךיכו :
ניע כפיך כי תأكل
אשריך וטוב לך :

“ Beatus

“ Ille profecto Te eripiet,

“ E laqueo venatoris, e peste exitiali.

Deinde quæ Imagines, quam variæ, quam jucundæ ;
quam graves et excelsæ !

בְּאֶבְרָתוֹ יִסְךְ לְ
וְתַחַת כְּנֵפֵיו תַחֲסָה
צְנָה וּסְחָרָה אַמְתָה :
לֹא תִּרְאَا מְפַחֵד לִילָה
מְחַזְ עֻוֹת יוֹמָם :
מְדָבֵר בְּאֶפְלָל יְהָלָק
מְקַטֵּב יִשּׁוּד צָהָרִים :
יְפָלָל מַצְדָּךְ אַלְפָ
וּרְבָּה מִימִינָךְ
אַלְיָךְ לֹא יִגְשָׁ:

“ Pennis suis Te proteget ;

“ Sub alis ejus tutus eris :

“ Erit tibi pro parma et clypeo ejus veritas.

“ Non metues a terrore nocturno ;

“ A Sagitta volitante interdiu :

“ Beatus omnis qui timet Jehovahm ;

“ Qui in viis ejus ambulat ;

“ Laborem manuum tuarum profecto comedes :

“ O Te beatum, et bene erit tibi.

Quod si cui minus placeat Apostrophe ex abrupta sententia facta, sumat is verbum אמר pro tertia persona Præteriti cum σύροι : ita fiet primum comma subjectum, alterum comma Prædicatum propositionis. Quin isthæc admittatur explicatio, non valde repugno : multum sane præstat receptæ. Sed et hoc modo, ex duobus commatibus in unum enuntiatum compactis, exsurgit sententia ablanguida, fitque item pene identica propositio.

“ A peste in tenebris incedente ;
 “ Ab excidio vastante per meridiem.
 “ Cadent a latere tuo mille ;
 “ Et a dextra tua decem millia :
 “ Ad Te minime pertinget.

Quid item ea quæ paucis interpositis sequuntur, Angelorum Satellitium, Animalium maxime ferocium et noxiorum conculcatio ? tum illa subita, sed opportune et facile tandem ¹ illapsa, Personarum mutatio, quam habet gratiam ?

כִּי בַּי חַשְׁק וְאֶפְלָתָהוּ
 אֲשֶׁגְבָּהוּ כִּי יַדְעַ שְׁמֵי :

“ Quoniam mihi adhæsit, ideo eum eruam ;
 “ Exaltabo eum, quia nomen meum agnovit.

¹ Personarum, inquam, Mutatio non nisi Commate demum 14.^{te} facta est : nam Commatis 9.ⁿⁱ aliam plane esse rationem existimo.

כִּי אַתָּה יְהוָה מֶחָטָה
 עַלְיָן שְׁמַת מְעוֹנָה :

“ Nam Tu, Jehova, spes mea :
 “ Altissimum posuisti refugium tuum.

Plures sunt hujus periodi interpretationes, quæ aliis aliter probantur : una quæ statuit primo membro dirigi sermonem a Pio illo ad Deum, altero deinde rursum a Vate ad Pium : quod est supra modum durum atque absolum, quanquam ei sententiæ palam faveat aperta atque obvia loci conſtructio. Alii deinde cum quibusdam Veteribus sic exponunt, ut nulla sit in membro secundo nova Personæ mutatio, sed de Jehova adhuc sermo sit :

“ Qui in excelsis collocasti habitaculum tuum :
 quod omnino nihil est. Alii denique hæc incommoda vitantes in majus incident ; nam sententiæ vim inferunt, novam ineuntes rationem expediendæ constructionis, hoc modo :

“ Nam tu Jehovam, qui spes est mea,
 “ Altissimum posuisti refugium tuum :

quod

Qui autem istarum Imaginum naturam et dignitatem, habita ratione Allegoriæ Hebrææ, attente animadvertisit, facile sibi persuadebit, in hoc Psalmo aliquid μυστηκῶτεον intus latere : ¹ sane Pius ille, sive Rex, sive fortassis Pontifex Maximus, qui hic primario est intelligendus, Personam etiam adhuc sublimiorem ibidem gerere videtur. Illud vero ut Theologis plenius exponendum relinquamus, videant elegantiarum spectatores, annon Horatius in Oda illa, cuius eximia venustas merito celebratur, “Quem Tu, Melpomene, semel —,” quæque in universo habitu ac forma aliquam habet cum hac de qua agimus similitudinem, cum Vati-

quod itidem, qui puras habent aureas, et Hebræo idiomate vel paullum modo tritas, ferre omnino non posse arbitror. Aliter olim rem tentaverat THEODORETUS in loc. Εἰλειπόμενη τη σωζόμενη τε λογία το ΕΙΠΑΣ συ κυρεε ἡ ελπίς μου· ιδίωμα γαρ τέτο πις αφερόμενη συγχρήψις, Διαφερούσα δὲ των ψαλμών· αλλ' ὅμως ἡ ακρονοτιά δηλον ποιει τη αμφιβολον. Quin hæc vera sit hujus loci sententia, mihi minime est dubium. Quod si cui displiceat hæc Ellipsis, (est enim sane duriuscula,) ei, credo, configiendum erit postremo ad HARII nostri, ingeniosissimi Critici, emendationem ; qui pro הַתְּנִינָה legendum existimat אַמְרָתָה. Est equidem conjectura paulo audacior ; nec tamen improbabilis, si expendantur loca parallela, PS. XVI. 2. (ubi legendum videtur אַמְרָתָה, cum omnibus VET. INTT. excepto CHALD. “nti et legitur in MSS. №. 36, 74, et 2.^{do} MS “MEERMANNI.” K.) PS. XXXI. 15. CXL. 7. CXLI. 6. Quid si autem legamus, unius tantum literæ mutatione, מְחֻסֵּךְ ? “Nam Tu, (i. e. te quod attinet,) Jehova spes Tua :” quam emendationem mihi proposuit Vir doctissimus JACOBUS MERRICK, qui Versionem Psalmorum Carmine Vernaculo jam absolvit ; opus eximum, multis eruditionis, artis, ingenii, luminibus distinctum.

¹ Hunc Psalmum Davidis nomine inscribunt LXX. CHALD. VULG. SYR. ARAB. ETHIOP. De Messia interpretantur Judæi : et vide MATT. IV. 6. LUC. IV. 10, 11.

nostro pondere et dignitate longe cedat, ab eodem etiam suavitate et gratia supereretur.

Alterum nobis exemplum erit Psalmus Octogesimus Primus; cuius item Character est ex Suavitate et Sublimitate confusus quodammodo et permixtus. Est Ode in Festo Tubarum, sive primi Novilunii anni civilis.¹ Continet Exordium hortationem ad celebrandum Deum cantis et musica; estque, ut apud Hebræos præcipue fieri solet, lætum imprimis et incitatum et gaudio exultans :

הָרְנִינוּ לְאֱלֹהִים עֹזֶנוּ
הָרְיעֹו לְאֱלֹהִי יַעֲקֹב :

“ Clangite Deo robori nostro;

“ Lætum clamorem tollite Deo Jacobi :

memorantur varia instrumenta musica, quorum crebram appellationem amat etiam exterorum Lyrica Poësis :

שָׁאוּ זָמָרָה וְתַנְנוּ תְּפָאָה
כָּנֹור נָעִים עַם נַבְלָל :

“ Efferte Psalterium, adhibete Tympanum,

“ Citharam amœnam cum Nablio :

præcipua fit Buccinæ mentio, quippe cujus in hoc Festo solennem usum præscripsérat Lex Mosis data: promulgatæ Legis commemoratio, itemque Buccinæ clangor, quod erat etiam signum Libertatis,² quasi sponte inducit Ægyptiacæ servitutis miserias, populum Deo vindice in libertatem assertum, cum Deo loquenter ad montem Sinam, (cujus omnis terror mirifice

¹ Vide RELAND. *Antiq. Hebr.* IV. 7.

² Vide LEV. XXIII. 24. NUM. XXIX. 1. et LEV. XXV. 9, 10.

depingitur duabus vocibus ; vocatur enim סתר רעם, “abscondita tonitruum sedes ;”) cum eodem denique certantem ad aquas Meribæ. Quid autem novi infert Meribæ recordatio ? populum nimirum semper contumacem, semper ingratum, et omnium Parentis indulgentissimi beneficiorum immemorem. Continet itaque reliqua Ode Dei cum populo suo amantissimam expostulationem, propositionem fœderis, confirmationem promissorum ; tum quasi ex spei frustratione dolorem et querimoniam. Ita hujusce Odæ Argumentum et finis est, Exhortatio ad obedientiam ex amore paterno, beneficiis, et promissionibus Dei ; sed quam eleganter, quam artificiose, quam varie, quam subtiliter deducta ! Porro ad cumulandam ejusdem in omni parte pulchritudinem, omnibus elegantiis referta est Clausula, sensuum, imaginum, et dictionis. Subita quidem illa et multiplex Personarum mutatio est valde notabilis, et in hoc genere prope singularis exempli ; nec tamen præter modum difficilis aut dura : sed habenda ratio est consuetudinis Hebrææ, et advertendus Scriptoris animus, naturæ non arti obtemperantis, et affectuum, ut fit, impetu ex obliqua in directam orationem, et contra iterum, desultoria quadam inconstantia transuntis.

De peculiari Odæ dispositione superiore Prælectione pauca generatim differui, et universam ejus formam et extrema lineamenta aliquo modo conatus sum effingere : sed in hac rerum subtilitate multo magis valet exemplum, quam quævis vel accurate facta adumbratio. Quærenti igitur justam hujusce Poematis descriptionem hunc Psalmum commendare ausim ; cuius si universum habitum ac figuram comprehendat, non multum

tum fane aberit, quin perfectam illam Odæ speciem teneat animo et complectatur.

Atque in his quidem unus est fere totius Carminis sonus, et æquabilis quædam styli temperatio: alia jam sunt quorum magis varius et commutabilis est rerum cursus, et quasi discolor ornatus orationis: quæ cum in diversis sui partibus et Suavitatem habeant et Sublimitatem, ad Medium illum Charætera, paulum dispari quidem ratione, tamen æque videntur revocari posse. Talia sunt quæ e lenioribus initiis ad grande aliquod argumentum exsurgunt; quæ a querimoniis exorsa in triumpho desinunt; ubicunque denique ad dissimilem et materiem et stylum fit transitus, idque multis modis: quæ omnia ad Odæ naturam valde sunt accommodata, cum eam nihil magis commendet quam et rerum ipsarum, et universi habitus, et quasi vestitus, varietas. Igitur cum Odarum scriptoribus ea licentia præcipue conceditur, ut varietatis hujuscce gratia in crebras digressiones libere excurrant; nec modo veniam habet, sed laudem etiam meretur isthæc audacia evagandi; non erit incommodum hoc in loco inquirere, quid hac in parte sibi permiserunt Hebræi Vates, quam consuetudinem et rationem potissimum sequuntur.

Odarum Hebraicarum pars multo major versatur cum in celebranda Dei Optimi, Maximi, bonitate et magnitudine, collatisque in Ecclesiam et populum suum beneficiis deprædicandis, tum in implorando ejusdem in rebus adversis auxilio: hoc est, cum omni arguento Historiæ Israeliticæ ita conjuncta est earum ratio, ut nunquam non faciles det exitus ad ejusmodi digressiones, quæ sunt præ omnibus aliis hujus Poematris naturæ convenientissimæ multoque pulcherrimæ.

Sive

Sive enim res bene gestas celebrent, sive adversas de-
presentur; sive Dei Sospitatoris auxilium gratiarum
actionibus prosequantur, sive Numinis merito infensi
justitiam agnoscant humiliter supplices; exprimatur
gaudium, spes, fiducia, luctus, timor, desperatio; ul-
tro occurrit omnis antiquitatis memoria; temporum,
regionum, hominum, rerum varia recordatio; universa
illa miraculorum series in Ægypto, in Deserto, in Ju-
dæa, in gratiam populi dilecti divinitus editorum:
quæ rei ipsi ita sua natura adsident et adhærent, ut pe-
tita inde ornamenta in suum locum devenisse, non in
alienum irruisse, videantur. Hoc itaque de Oda He-
bræa vere statui posse videtur; eam, ex ipsa rerum
quas tractat natura, tam faciles habere aditus ad pul-
cherrimos ornamentorum locos, tot opportunitates egre-
sionum, ut in summa rerum varietate, et liberrimis
excursionibus, plerumque ei mirifice constet continua-
tionis atque ordinis ratio.

Merito celebratur in Digressionibus Pindari felix au-
dacia: sed ut longe diversus est illius Poetæ in hoc
genere usus et consuetudo, ita alia est argumenti na-
tura et conditio, alia lex operis, peculiaris causa et ex-
cusatio licentiae. Habemus, unde de ejus ingenio ju-
dicare possimus, numero quidem satis multa Pindari
monumenta, sed rerum et materiæ ratione parum va-
ria; Odas nimirum plus quadraginta, omnes, ut ve-
rum dicamus, unius et ejusdem plane argumenti. Lau-
datur Heros ob Victoriam; fit plerumque exornatio, a
moribus ejus, a genere, a laude majorum, civitatis, et
patriæ. Nisi hos locos summa cum libertate tractare,
aliosque etiam longius disjunctos interdum quærere sta-
tuisset Poeta, cum se Victorum in ludis gymnusicis præ-
conem

conem profiteretur; vix erat, ut opera eidem argumento toties impertita fastidio occurrere potuisset. Habet itaque necessitatis excusationem; nec modo veniam, sed laudem merito adeptus est: atque ita quidem, ut multa ejusmodi, quæ in alio nec defendenda essent nec ferenda, in Pindaro hoc nomine probari, ac valde etiam laudari posse videantur. Quod ne temere dici existimetis, uno ex multis exemplo confirmabo. Pythiorum Tertium Hieroni inscribitur, gravi et diuturno morbo tum forte laboranti: qua occasione usus Poeta exordium satis apte sumit a voto, quo illi Chironis aut Æsculapii, si eos in vitam redire fas sit, medicam opem precatur. Cuiquamne vero, nisi Pindaro, quisquam concederet, ut idcirco versibus plus centum, et totius Poematis omnino dimidia parte, universam Æsculapii historiam exequeretur? quis ipsi Pindaro id condonaret, nisi eidem Hieroni de eodem argumento Victoriae a ludis gymnicis reportatae Odam jam quartam pangeret? Sed ferenda est poetæ audacia, si ex his rerum angustiis in liberioris campi spatha vel temerario aliquantum impetu effugerit. Quocirca nec de Vatibus Hebræis quidquam derogo, cum illos hac in parte Pindari diffimillimos esse judico; nec de Pindari laude detractum eo, cum addo Hebræos in longe pulcherrimo ac verissimo Odarum genere versari.

Quæ de Odæ Hebrææ œconomia, ejusque argumenti ratione hactenus dixi, ea aliquantum illustrabit Psalmi Septuagesimi septimi exemplum. Est Ode medii Characteris, et in vario illo et inæquali genere, ab humili et submisso exordio per justissimam rerum seriem ascendens ad summum gradum Sublimitatis. Gravissima afflictione oppressus Vates extremam animi sui dejectio-

dejectionem et perturbationem exponit ; et quas subiret confictiones et certamina, antequam se a summo mœrore ad spem fidemque vix tandem erigeret, pulcherrime exprimit. Primo supplex ad Deum preces fundit :

קָולִי אֶל אֱלֹהִים וְאַצְעָקָה
קָולִי אֶל אֱלֹהִים וְהַאוֹזֵן אֶלְיָה :

“ Vox mea ad Deum fertur, et usque inclamo ;

“ Vox mea ad Deum, ut me exaudiat :

sed nec in precibus sat erat solatii. Tum superiorum temporum recordatione dolorem suum quærit lenire : ea autem quid agit, nisi ut præteritæ felicitatis comparatione malorum præsentium miseria ingravescat, et extorqueat ~~παραπομπας~~ expostulationes :

הַלְׁעוֹלָמִים יוֹנָה אֲדֻנִי
וְלֹא יִסְפַּת לְرָצֹות עֹור :
הַאֲפָם לְנַצְחָה חַסְדָו
גָמָר אָמַר לְדָר וְדָר :
הַשְׁכָחָה חֲנוּת אֶל
אָמֵן קְפַץ בָּאָפָר רְחָמֵיו :

“ Num in perpetuum rejiciet me Deus,

“ Nec amplius se placabilem præbebit ?

“ Num periiit in æternum ejus clementia ?

“ Defecit promissio in omnes ætates ?

“ Num oblitus est misereri Deus ?

“ An cohibuit in ira misericordias suas ?

Tum autem secum reputans divina consilia in hominibus castigandis, שְׁנוֹת יְמִין עַלְיוֹן, “ mutationem dextræ Altissimi,” Deum nimirum variis rationibus suorum salutem procurare, et idcirco voluntatem ejus ab iis

iis quos maxime diligit sæpe aversam videri: recognitansque prolixum ejus erga populum suum favorem, miracula in eorum gratiam edita, divinam bonitatem, sanctitatem, et potentiam: ea meditatione recreatus in Numinis laudes ardentissimo cum affectu protinus erumpit. Quo in loco æque admiranda sunt, cum egressionis facilitas et gratia, tum rerum delectus, imaginum granditas, dictionis pondus et elegantia.

אֱלֹהִים בְּקַדֵּשׁ דָּרְכֶךָ
מֵאֵל גָּדוֹל כְּאֱלֹהִים:
אַתָּה הָאֵל עֲשֵׂה פְּلָא
הַוּדָעַת בְּעִמִּים עֹז:
גָּאֵל בְּזֹרוּעַ עַמְךָ
בְּנֵי יַעֲקֹב וּוּסָף:
רָאוּךְ מִים אֱלֹהִים
רָאוּךְ מִם יְחִילָךְ
אֲפִיךְ רְגֹנוֹת תְּהֻמוֹת:
וּרְמֹנוֹ מִם עֲבוֹת
קוֹל נְתָנוֹ שְׁחָקִים
אֲפִיךְ חַצִּיךְ יְתַהֲלָכוֹ:
קוֹל רַעַמְךָ בְּגָלְגָל
הָאִירֹו בְּרָקִים חַבְלָל
רְגֹנוֹת וְתְּרֻעַשׁ הָאָרֶץ:

“O Deus ! sancta omnino sunt consilia tua :
“Quis Deus cum Deo majestate comparandus ?
“Tu es Deus ille faciens mirabilia ;
“Notum fecisti in populis robur tuum.
“Vindicasti brachio populum tuum,

“Jacobi

“ Jacobi et Josephi posteros.
 “ Viderunt Te aquæ, O Deus !
 “ Viderunt Te aquæ, contremuerunt ;
 “ Etiam turbatæ sunt Abyssi.
 “ Exundaverunt aquis nubes ;
 “ Fragorem edidit æther ;
 “ Tum vero sagittæ tuæ discurrerunt :
 “ Vox tonitrus tui in turbine ;
 “ Illuxerunt orbi fulmina ;
 “ Tremuit et commota est tellus.

Alterum quod in hoc genere apponam exemplum contrariam quandam habet rationem: nam ab exordio splendido imprimis et excenso in leniorem et remissiorem sonum, et suavissimos pietatis affectus, paulatim delabitur, cum summa rerum, imaginum, ac sensuum varietate. Psalmus est decimus nonus. Prædicatur Dei gloria ex operibus ejus tum Naturæ tum Gratiæ. Eum si vobis integrum exhibuero, rudi opera utcunque adumbratum, rerum tamen ordinem et seriem facilius percipere poteritis.

P S A L M U S X I X .

Immensi chorus ætheris,
 Orbis stelliferi, lucida sidera,
 Laudes concelebrant Dei,
 Auctorisque canunt artificem manum.
 Dulces excipiunt modos
 Noctem rite dies, noxque diem premens ;
 Alternoque volubiles
 Concentu variant perpetuum melos.

Et

Et quanquam levibus rotis
 Labuntur taciti per liquidum æthera,
 Terrarum tamen ultimos
 Tractus, alta poli mœnia, personat
 Æterni sacra vox chori,
 Concordi memorans eloquio Deum.
 Cœlorum in penetralibus
 Soli qui posuit celsa palatia :
 Lætos unde ferens gradus
 Prodit, ceu thalamo Sponsus ab aureo ;
 Fidens viribus ut Gigas
 Præscriptum stadii carpit ovans iter.
 Cœli limite ab ultimo
 Egressus, rediens limitem ad ultimum,
 Emensam relegit viam,
 Fœcundisque fovet cuncta caloribus.
 Non Lex sancta Dei minus
 Languentes animas vi reficit sacra :
 Puro lumine Lex Dei
 Illustringit oculos, et tenebras fugans ;
 Informans animos rudes,
 Cœlestique replens corda scientia ;
 Mentes lætificans pias ;
 Confirmans stabili pectora gaudio.
 Illam Justitia et Fides
 Fixit perpetuam, æternaque Veritas.
 Non illam æquiparat pretio
 Aurum, jam rutilis purius e focis ;
 Non dulcedine, quæ recens
 Stillant pressa favis mella liquentibus.
 Fida adstat monitrix suis,
 Et merces eadem magna, clientibus.

Quis

Quis lapsus tamen ah ! fuos,
Quis secreta sinu crimina perspicit ?
Adsis, O Deus ! O Pater !
Da cæcis veniam, da miseris opem !
Errantes cohibe gradus,
Effrænemque animi frange superbiam !
Solum munere sic Tuo
Mox insons sceleris, purus ero mali :
Sic O ! sic placeant Tibi
Quæ supplex meditor, quæ loquor, O Deus !

PRÆLECTIO VICESIMA SEPTIMA:

ODÆ HEBRÆÆ

TERTIUS CHARACTER.

TE R T I U M Odæ Hebrææ Charæctera constituit Sublimitas. De Poeseos Hebrææ Sublimitate in genere, prout ea diætione et conceptibus oriæetur, satis fuse antehac differui : nunc de peculiariæ hujuscæ apud Hebræos Poematis Sublimitate agendum est. Ea autem exsurgit, vel ex ipso potissimum habitu Poematis, et universæ dispositionis et formæ magnificentia ; vel ex communibus illis quos dixi fontibus, conceptuum granditate et vi diætionis ; vel denique ex horum utrisque simul conjunctis, cum totius formæ pulchritudini et dignitati sensuum insuper excelsissimorum et splendidissimæ diætionis omniumque virtutum quasi cumulus accedit. Horum trium generum exempla quantum potero lectissima vobis singulatim exponam, Academici : accuratam fane tractationem meretur hic locus ; versamur enim in summo Hebrææ Poeseos fastigio, cujus et universæ præcipua laus Sublimitas, et species maxime sublimis est Ode.

Videamus

Videamus itaque primum, quantam materiæ sua natura non admodum excelsæ sublimitatem inducere potest ipsa Poematis forma et dispositio. Exemplum nobis esto Psalmus quinquagesimus ; cuius Argumentum est ex genere Didacticō ad moralem Theologiam pertinens, grave imprimis et fructuosum, sed parum elatum aut splendidum : Deo nimur non placere Sacrificia et extērnos ritus religionis, sed sinceram potius pietatem laudesque ex grato animo profluentes ; neque vero has ipsas pietatis significationes sine justitia cæterisque virtutibus. Ita duas habet partes ; primo arguitur cultor pius quidem, sed ignarus et superstitioni obnoxius ; deinde improbus pietatis simulator. Argumenti pars utraque, si imagines et dictionem seorsum spectes, varie potius et eleganter quam elate tractatur. Quod si totum hujusce Odæ apparatum et quasi scenam contemplamur, nihil facile potest esse magnificentius. Deus universum genus humanum solenni edicto convocat, ut de populo suo judicium publice exerceat ; ponitur in Sione augustum Tribunal :

אֵל אֱלֹהִים יְהוָה
דְּבָר וַיָּקָרָא אָרֶץ
מִמּוּרָה שֶׁמֶשׁ עַד מִבָּאוֹ
מִצְיוֹן מִכְלָל יְפִי אֱלֹהִים הַופִיעַ

“ Deus Deorum Jehova
“ Locutus est et convocavit terram,
“ Ab ortu solis ad ejus occasum :
“ Ex Sione perfectæ pulchritudinis Deus exortus
“ est.

Depingitur Dei advenientis majestas imaginibus a Descensu in montem Sinam petitis, qui, uti prius notavi,

in hujusmodi materia est communis ille locus unde plerumque sumitur exornatio :

יבא אלהינו ואל יחרש
אש לפניו תאכל
וסביביו נשעהה מאד :

“ Adveniet Deus noster, nec filebit ;
“ Præcedet eum ignis edax,
“ Et circumfremet turbo.

Cœlum et Terra invocantur Divinæ iustitiæ testes, formula Hebrææ magniloquentiæ vix minus usitata : ¹

יקרא אל השמים מעל
ואל הארץ לדין עמו :

“ Advocabit cœlos ex alto ;
“ Et terram, ut judicio contendat cum populo
“ suo.

Tum demum inducitur Dei ipsius sententiam dicentis augustissima persona, per reliquam Oden continuata ; unde cum cæteris ejus partibus admirabilis illa exordii majestas et splendor communicatur. Habet Horatius Oden non absimilis argumenti ; ² quod et suo more, hoc est, varie atque eleganter, et, præter morem hominis a divina veritate alieni, pie etiam et graviter tractavit : verum in hujusmodi materia summus ille sublimitatis gradus, quem affecutus est Psaltes, soli conceditur Musæ Hebrææ ; nulla enim alia vel Religio vel Historia Poetica tam grandem habet rerum apparatus, aut satis pulchras et excelsas imagines, unde æque nobilis scena ullo modo extrui atque exornari possit.

¹ Confer D E U T. XXXII. I. I S A I. I, 2.

² Vide H O R A T. Lib. III. Od. XXIII.

Alterum quod proponam exemplum eo quidem a priore erit aliquantum dissimile, quod ipsum Odæ Argumentum summam in se majestatem habet et splendorrem; non tamen minima sublimitatis pars universæ Poematis formæ ac dispositioni debetur. Psalmo vice-simo quarto occasionem præbuit sacrosancta Dei Arca in montem Sionem a Davide inducta.¹ Celebrabatur Arcæ translatio summa populi frequentia; summo, ut par erat, totius apparatus splendore; siquidem hoc modo consecrabatur publici cultus sedes divinitus electa, Dei manifesto præsentis Domicilium, fiebatque Jehovæ regnantis in solium suum deductio, et quædam quasi solennis inauguratio. Arcam comitabatur universa Israëlitarum natio: Levitarum gens pompam ducebat, et voce et variis generis instrumentis musicis canentes. Hanc autem Oden tum videntur populo præcinuisse, cum ventum esset ad montis verticem. Exprimit Odæ Exordium supremum atque infinitum Dei Dominium creationis jure fundatum:

לְיהוָה הָרֶץ וּמַלְאָה
תָּבֵל וַיִּשְׁבֵּי בָּהּ:
כִּי הוּא עַל יְמִים יָסֶדֶת
וְעַל נְהֹרוֹת יְכֹונֶה:

“Jehovæ est tellus et plenitudo ejus;

“Orbis, quique eum incolunt:

“Ille enim supra maria eum fundavit,

“Et supra flumina eum stabilivit.

Quanti itaque erat favoris, quam eximia propensæ voluntatis significatio, in universo et communi illo Impe-

¹ Vide II. SAM. VI. I. PARALIP. XV.

rio peculiarem sibi sedem et populum eligere? quos sanctitatis, justitiae, et virtutum omnium fructus reddere decebat gentem tam singulari beneficio obstrictam? “Ecce,” inquit Moses Israelitas alloquens,¹ “Jehovæ Dei vestri sunt cœli, et cœli cœlorum, et tellus, et quicquid in ea continetur: nihilominus majores vestros amore complexus est, et eorum posteros, vos nimirum ipsos, ex omnibus populis elegit, ut videtis. Quocirca circumcidite cordis vestri præputium, neque cervicem vestram amplius indurate.” Eademque plane est Davidis hoc in loco, quanquam paulo minus explicata, argumentatio:

מי יעלה בהר יהוה

ומי יקום במקומ קדשו:

נקי כפים ובר לבב

אשר לא² נשא לשוא נפשו

ולא נשבע למרמה:

ישא ברכה מאת יהוה

צדקה מלאה י酬:

זה דור דרשו

מבוקשי פניך³ יעקב:

¹ DEUT. X. 14 — 16.

² notat hæc phrasis fiduciam, spem, desiderium. Vide PS. XXV. I. LXXXVI. 4. CXLI. 8. item DEUT. XXIV. 15. JER. XXII. 27. EZECH. XXIV. 25. Idolum: לשוא יקטרו, “vanis numinibus thura adolent.” JER. XVIII. 15.

³ Omnino legendum, vel cum LXX. VULG. ARAB. ÆTHIOP. vel cum SYRO; פניך אל יעקב, quod perinde est. Legitur פניך אללה יעקב in Cod. MS. quem possidet Dom. EBNERUS ab ESCHENBACH Norimbergensis. Vide NADLERI “Dissertat. de EBNERI Codicibus MStis. 1748.” K. Sacrofæcta “Arca,

“Quis ascendet in montem Jehovæ;
 “Et quis stabit in sede ejus sanctitatis?
 “Immunis manibus, et purus corde:
 “Qui in vanis numinibus fiduciam suam non re-
 “posuit,
 “Nec juravit fallendæ fidei consilio.
 “Is reportabit benedictionem a Jehova,
 “Et justitiam a Deo ejus sospitatorem.
 “Talis fit gens quæ illum quærerit;
 “Quæ visit faciem Dei Jacobi.

Hactenus itaque exponitur, quam eximia esset Dei in
 Israelitas benevolentia, iisque contra quam infinitæ
 ad colendam pietatem essent impositæ obligationes,
 quod omnium Creator et Dominus inter eos peculiari
 modo versari, atque iis se se præsentem exhibere, dig-
 naretur. Jam ad Tabernaculi fores accedit pompa: dum
 Arca infertur, Levitæ in duos choros divisi quod reli-

Arca, eique insidens *שכינה*, Symbolum illud Divinæ præsentiae,
 appellatur Facies Dei: et quærere faciem Dei, est coram Arca
 comparere, ad Sanctuarium Deum colere; quod ter quotannis Is-
 raelitas facere oportebat. Vide II. SAM. XXI. I. II. PARAL.
 VII. 14. PP. XXVII. 8. EXOD. XXXIII. 17.

דָרְשׁוּ יְהוָה וְעֹזֶר

בְקַשׁוּ פָנֵי תָמִיד :

“Quærite Jehovam, et ejus Robur;
 “Semper visite Faciem ejus.

P.S. CV. 4.

Ubi notandum, *אָז* parallelum esse synonymum *רָבֶּה*, et Arcam
 Dei significare: confer P.S. LXXXVIII. 61. CXXXII. 8. Nihil agunt,
 qui ex recepta lectione commodum sensum extorquere conantur.
 Porro commate nono repetendum existimo verbum *וְהַנְשָׁאָנוּ* in forma
Niphil: ita legisse videntur V E T T. I N T T. omnes.

quum est Odæ alternatim canunt. Ea cantus alternatio potuit quidem fortasse per totum obtinere; in extrema certe Odæ parte manifeste deprehenditur. Hujuscce autem Dialogismi, seu rem ipsam, seu dictionem, imagines, et figuræ spectamus, est quædam simplex et minime arcessita, ideoque vera summeque admiranda sublimitas:

שָׁאוֹ שְׁעָרִים רַאשֵּׁינֶם
וְהַנְשָׁאוֹ פַתְחֵי עֲלֹם
וַיָּבֹא מֶלֶךְ הַכְבּוֹד:
מֵזֶה מֶלֶךְ הַכְבּוֹד
יְהוָה עֹזֶז וְגָבוֹר
יְהוָה גָבוֹר מִלְחָמָה:
שָׁאוֹ שְׁעָרִים רַאשֵּׁינֶם
וְשָׁאוֹ פַתְחֵי עֲלֹם
וַיָּבֹא מֶלֶךְ הַכְבּוֹד:
מֵזֶה מֶלֶךְ הַכְבּוֹד
יְהוָה צָבָאות הָוָא מֶלֶךְ הַכְבּוֹד:

“Tollite capita vestra, ô Portæ;
“Vosque exaltemini, æternæ Fores,
“Et intrabit Rex gloriæ.
“Quis est Rex ille gloriæ?
“Jehova robustus et potens,
“Jehova potens belli.
“Tollite capita vestra, ô Portæ;
“Vosque exaltemini, æternæ Fores,
“Et intrabit Rex gloriæ.
“Quis vero est Rex ille gloriæ?
“Jehova Armipotens, ille Rex est gloriæ.

Videtis,

Videtis, Academici, hujusce Psalmi pulchritudinem et sublimitatem ita conjunctam esse cum ipsa rerum et temporum occasione, cumque tota ejus solennitatis, cui accommodatur, scena, ut nisi omnia isthuc referremus, non modo periret vis ejus et gratia præcipua, verum ne constaret quidem sensuum, verborum, atque ordinis ratio. Quid itaque de aliis quamplurimis statuendum arbitramini, quibus omnem historiæ lucem invidit vetus? quantum est quod in sacris carminibus hac ex parte perdidimus? quantum elegantiæ et decoris velavit, suppressit etiam, et penitus extinxit, rebus ipsis et argumento jampridem inducta obscuritas? Quam saepe usu venit, ut omnino nos lateat alicujus poematis scriptor, ætas, occasio; quanto etiam saepius, ut summa in ignoratione versemur plurimarum rerum factorumque, quæ principi materiæ adhærent, et universo carmini præcipua ornamenta administrant? Hoc habet aliqua saltem ex parte nobile illud Deboræ Canticum: eademque videtur esse Psalmi sexagesimi octavi ratio; quanquam appareat saltem affinis esse argumenti cum superiore illo de quo modo egimus, cum nota illa formula, in translatione Arcæ solenniter usurpata, Exordii loco utatur:

'קֹם אֱלֹהִים יָפֹצֵר אֹוִיבָיו
וַיְנַסְּכוּ מִשְׁנָאוּ מִפְנֵיו :

“ Exsurgat Deus; dissipentur ejus inimici;

“ Et fugiant a facie ejus qui eum oderunt.

Sed ex omnibus fere causis nobilissimo poemati plurimæ insiderunt obscuritates: alioquin habuissimus profecto singulare quoddam incredibilis sublimitatis exemplum,

cujus jam sparsos tantum radios, et ex densis veluti nubibus vix eluctantes, merito tamen admiramur.

In altero illo quod statui genere, cuius nimirum sublimitatem unice sustentat conceptuum magnitudo et vis dictionis, sine peculiari aliqua totius formæ magnificentia et pulchritudine dispositionis, egregium habemus exemplum, Oden Mosis ἐγένετον post transitum Maris Rubri.¹ Carmen hoc est ex omni parte nudum impensis et simplex; nihil habens artificii, nihil in rerum sive inventione sive ordine exquisitum. Naturæ solummodo et affectuum vocem audimus: ultra qua licet erumpit Gaudium, Admiratio, et cum pia Veneratione conjunctus Amor. Unice obversatur Israelitarum animis ingens prodigium divisi maris, fluctuum dum ipsi transirent utrinque cumulatorum, obrutorum denique aquis refluenteribus hostium: haec omnia, ut possunt, exprimunt; abrupte, intercise, fervide, exultanter; singula breviter, eadem tamen saepius efferentes:

אֲשִׁירָה לְיְהוָה כִּי נָאָה נָאָה

סָמֵךְ וּרְכַבְנוּ רְמָה בַּיָּם :

“ Cantabo Jehovæ, magnifice fese extulit;

“ Equum equitemque in mare dejecit.

Hoc est Odæ ὄδης, idemque Versus Intercalaris a Mullierum Choro inter canendum identidem insertus, quo breviter exprimitur universi carminis argumentum: nihil tamen minus eadem res paulum variata dictione, et figuris diversis, crebro iteratur:

מִרְכַּבָּת פָּרָעוֹ וְהַיּוֹ יְרָה בַּיָּם

וּמְבָחר שֶׁלַשׁ טְבֻעַ בַּיָּם סָופֶה :

תְּהִמָּת יַכְסִימָו
יַרְדוּ בְּמַצּוֹלָת כְּמוֹ אָבָן :

“ Pharaonis currus copiasque in mare dejecit ;
“ Et in mari Rubro demersi sunt electi ejus duces.
“ Operuerunt eos Abyssi ;
“ Descenderunt in profunda, sicut lapis.

Atque iterum :

אָמֵר אֹוִיב אֲרָדָף אַשְׁגָּג
אֲחַלָּק שֶׁלֶל חַמְלָאָמוֹ נַפְשִׁי
אֲרִיק חַרְבִּי תּוֹרִישָׁמוֹ יְדִי :
נְשָׁפַת בְּרוֹחַךְ כְּסָמוֹ יִם
צָלָלוּ כֻּעֲפָרָת בְּמִים אֲדִירִים :

“ Dixerat hostis, persequar, adsequar ;
“ Dividam spolia, exfaturabitur anima mea ;
“ Stringam gladium, exscindet eos manus mea :
“ Spiritu tuo flavisti ; operuit eos mare ;
“ Demersi sunt, ut plumbum in aquis ingentibus.

Nec id satis :

מֵי כְּמָכָה בָּאָלָם יְהֹוָה
מֵי כְּמָכָה נָאָדָר בְּקָדְשָׁו
נוֹרָא תְּהִלָּת עֲשָׂה פָּلָא
נְטִית יְמִינָךְ תְּבָלָעָמוּ אָרֶן :

“ Quis Tui similis inter Deos, Jehova !
“ Quis Tui similis, verendus sanctitate !
“ Terribilis laudum, faciens mirabilia !
“ Extendisti dextram ; absorbet eos tellus.

¹ “ Hoc e Magistris quidam ita explicat, *implebitur ex eis* ; id est, inquit alias, *לְקַחַת כָּל מִמְ�וֹת capiendo omnes eorum opes, vel substantiam.* ” H.

En veros animi commoti impetus ! germanam naturæ vim, nunquam arti concessam ! affectus vix eluctantes, pariter laborantes rerum copia atque inopia verborum, eoque ipso sese efferentes expressius ! Recitanda esset tota Ode, si singulas ejus partes recensere vellem quarum laudanda esset sublimitas. Unum tantum adnotabo, quod et in universa Hebræorum Poesi locum habet, et in hoc Poemate præcipue cernitur : nimirum dictionis Brevitatem unum esse maximum subsidium sublimitatis. Rerum ponderi plerumque officit diffusa et exuberans oratio : quantum fano corpori carnium et obesitatis addideris, tantum detraxeris de vigore et viribus. Hebræi, si universa species, sunt largi, copiosi, uberes ; si singula, parcii, restricti, pressique : variando, repetendo, subinde addendo, amplificant : tota quidem res fuse interdum tractatur, sed iteratis crebrisque, et per omnia brevibus et nervosis sententiis ; ita ut nec copia, nec vis desit. Debetur isthæc brevitas, cum linguæ ingenio, tum etiam naturæ carminis Hebræi : ideoque huic parti ut nullæ plerumque versiones satisfaciunt, ita minime omnium versiones metricæ.

Hujuscce brevitatis dictionis cum rerum copia conjunctæ, idemque sublimitatis in hoc genere insigne exemplum apponam Psalmi vicesimi noni. Demonstratur Supremum Dei Dominium, et immensa Potentia, ex horribili fragore et admiranda vi Tonitrus, quem Hebræi Dei Vocem appellant : ejus effectus describuntur. Hanc Oden, cum ne soluta quidem oratione ita reddi possit, ut per omnia servetur brevitas, totidem versibus Anapæsticis utcunque exprimere conatus sum.

P S A L M U S XXIX.

Regum Domino cedite, Reges,
 Cedite summi decus imperii.
 Date, quos meruit Nomen, honores;
 Adytis Deum adorate sacratis.
 Sonat horrendum magna Dei Vox !
 Æthere ab alto Deus intonuit;
 Æquore vasto superintonuit
 Valida, augusta, decora Dei Vox !
 Ruit ingenti turbine cedros,
 Ruit umbrosi cedros Libani.
 Quatitur Libanus, subsilit Hermon ;
 Ut vaga lato bucula campo,
 Levis in montibus ut saltat oryx.
 Ruptis rutilant nubibus ignes ;
 Deserta tremunt ; tremit alta Cades :
 Sylva gemit : querceta ¹ laborant ;

וְיַחֲלֹת אֵילָת ¹, dolore afficit, vel tremefacit, *quercus*. **הַלָּח**, sive etiam **אֵילָה**, est *Quercus*: certe in hoc sensu sæpe occurrit hæc vox in plurali numero forma masculina inferto ', **אֵילָת**. Et ita accepit hoc in loco Interpres **SYRUS**; qui reddit, **דְּמַעַע אֵילָת**. Nam verbum γῆ apud Syros, ut apud Hebræos etiam et Chaldæos, notat motum aut agitationem in genere, neque dolores partus specia-
 tim respicit; uti neque ad eum sensum necessario restringenda est vi formæ *Piel* verbum **חַזְלֵל**. vide *ISAIA. LI. 9.* “ Hæc explicatio
 “ vocis **חַזְלֵל**, in sensu *movendi*, vel *concutiendi*, et tra dubium po-
 “ nitur auctoritate verbi Arabici **لَهُ**, *moveri, vacillare.*” H. Vox
 autem **אֵילָת**, quanquam pro *Quercu* suo in loco non comparet in Lexicis Syriacis, tamen in Versione Syriaca quater occurrit in hoc sensu, Hebrææ voci **הַלָּח** respondens; *II. SAM. XVIII. 9, 10, et 14.* adeoque hoc etiam in loco pro *Quercu* ponitur. De Cervis par-
 turientibus hæc vulgo accipiunt Interpretes: quod cum cæteris
 imaginibus hic usurpati parum convenit vel natura vel etiam dig-
 nitate :

Densis nudantur nemora umbris ;
 Subitoque jacent perculsa metu
 Hominum corda, agnoscuntque Deum.
 Deus undantem regit Oceanum ;
 Rex æterno sedet in folio :
 Populumque Deus sibi dilectum
 Viribus, opibus, pace beabit.

nitate : nec mihi persuadent, quæ ad rem ipsam confirmandam afferunt; imprimis Doctissimus **B O C H A R T U S.** Hieroz. Part. i. Lib. iii. Cap. 17. Optime autem huic loco congruit imago Quercuum fulmine tactarum. Atque idem etiam Bochartus vocem קֶרְבָּן, perperam itidem de Cerva a Masoretis cæterisque Interpretibus intellectam, de Arbore interpretatur in pulcherrima explicatione loci obscuri GEN. XLIX. 21. quam vidisse non pœnitabit, ibid. Cap. 18.

PRAELECTIO VICESIMA OCTAVA:

ODÆ HEBRÆÆ

TERTIUS CHARACTER.

Quo propositæ de Oda Hebræa disputationi finem tandem imponam, supereft ut in eo genere exempla quædam proferam, in quo ex omnibus causis, ex dictione, ex sensibus, ex ipsa poematis forma, exsurgit, estque omnium virtutum quasi *εγρος* quidam, summa Sublimitas. Quæ mihi hanc in rem erunt adducenda Poemata, ita nota sunt, ut minutam explicationem minime postulent; ita excelsa, suaque luce illustria, ut pene admittere dedigentur: sufficiat itaque ea in universum indicare, et partes aliquas notatu fortasse digniores breviter vobis commendare.

Primum nobis exemplum esto Mosis Ode Prophetica,¹ continens Defensionem pro Deo adversus Israelitas, et divinorum judiciorum rationem explicans. Exordium habet elegans et imprimis magnificum; universam dispositionem et formam rectam, facilem, argumenti naturæ accommodatam, ordine pene historico; incredibilem rerum maximarum varietatem, Dei veri-

tatem et justitiam, amorem paternum et propensissimas erga Populum electum benignitates; hujus contra animum ingratum et rebellem; tum Divinæ indignationis ardorem, et gravissimas minas, insigni Proseopœia expositas, qua nihil extat in lectissimis Poeseos thesauris magnificentius: ipsos tamen iracundiæ æstus misericordia et lenitate identidem temperatos, et in promissionibus et consolatione tandem desinentes. Quod ad Sensuum elationem, Affectuum impetum, Figurorum et Dictionis vim attinet, cum hæc omnia generaliter antehac tractarem, ¹ vix fieri potuit, quin ex hac ipsa Ode multa tum adducerem, quæ ad horum singula illustranda imprimis pertinerent. Ea ne aut repetam, aut accumulem accessionibus parum necessariis, id unum de hoc poemate animadvertisendum adjicio; eam esse argumenti rationem, ut Propheticæ Poeseos stylum et colores multum sequatur, ita ut ad Odæ vim omnem, atque impetum, et audaces spiritus, etiam eximia illa eique generi peculiaris Imaginum varietas et granditas accedat.

Alterum exemplum Odæ ex omni parte sublimis erit Deboræ Επνικιον. ² Habet hæc Ode tres partes; primo Exordium; deinde eorum, quæ tum antecedebant tum comitabantur victoriam, Recensionem; postremo, ultimi eventus pleniorum Descriptionem, omnibus ornatam Poeseos luminibus; mortem nimirum Siferæ, et Matris spes frustratas. ³ Hujuscce partis posterioris præcipuas elegantias prius conatus sum, et fati quidem fuse, exponere. ³ Media, ut verum fatea-

¹ Vide supra PRÆL. xv.

² JUD. v.

³ Vide supra PRÆL. xiii.

mur, obsederunt haud exiguæ obscuritates, multum officientes carminis pulchritudini, nec facile dissipandæ, nisi uberior historiæ lux accederet. Exordii ratio, vel propter insignem ejus magnificentiam effet hic explicanda, vel eo etiam nomine, quod, quam de Odarum Hebræarum Digressionibus sententiam nuper proposui, ei amplius illustrandæ optime inferviat. Animadverteram enim præcipuos Sacræ Historiæ locos, quos maxime in Egressionibus sectarentur Hebræi Vates, ita cum omni Sacrorum Carminum argumento esse conjunctos, ut vix unquam vel in maxime præcipiti excursu periculum effet, ne rerum series atque ordo laboraret. Hujuscce Odæ argumentum est, Populus Israeliticus devictis Dei auxilio inimicis in libertatem vindicatus: quod in ipso ingressu Vates breviter proponit, appellatisque, ut tantæ rei animum advertant, regibus gentiumque vicinarum principibus, Dei laudes auspicatur, non ex recenti beneficio exorsus, sed ex prodigiis in exitu Ægyptiaco olim editis :

יְהוָה בָּצָאתְךָ מִשְׁעֵיד
בָּצָעַדְךָ מִשְׁדָּה אֲדוֹם :
אָרֶץ רָעַשָּׂה גַּם שְׁמַיִם נִטְפּוּ
גַּם עֲבִים נִטְפּוּ מִים :
הַרִּים נָזְלוּ מִפְנֵי יְהוָה
זֶה סִינֵי מִפְנֵי יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל :

“O Jehova, cum e Seire exires,
“Cum ex agro Idumæo procederes;
“Terra commota est, stillaverunt cœli,
“Stillaverunt aquis nubes ;
“Fluxerunt montes a facie Jehovæ,
“Ipse Sina a facie Jehovæ Dei Israelis.

Spirat hæc liberum ac fervidum Odæ ingenium tantarum rerum tam insperato facta inductio; nec tamen ratio connexionis, tacitaque comparatio beneficii modo accepti cum stupenda illa liberatione, ullam habet obscuritatem.

Eodem etiam vel in primis pertinet Habaccuchi Oratio;¹ insigne exemplum ejus Sublimitatis quæ Odæ est maxime propria, quæque valde audaci et tamen facili Digressioni plurimum debetur. Vates præsentiens Dei judicia, calamitates populo suo Chaldæorum ministerio primum inferendas, tum poenas de ipsis Chaldaëis sumendas; partim terrore perculsus, partim spe et divinæ bonitatis fiducia recreatus, Deum precatur, ut suorum redemptionem et salutem maturet:

יְהוָה שִׁמְעֵת יַרְאָתִי
יְהוָה פָּעֵל בְּקָרְבֵן שְׁנִים חַיְהוּ
בְּקָרְבֵן שְׁנִים תֹּדֵעַ
בְּרָגֵן רָחֵם תָּזִכּוּר :

“Jehova, audivi nuntium tuum, extimui;
“Opus tuum, O Jehova, in medio annorum²
“instaura;
“In medio annorum notum facias:
“In iracundia misericordiæ reminiscere.

Jam ultro hoc in loco cuivis occurrit Captivitatis Babylonicae et Ægyptiacæ similitudo; fieri etiam posse, ut Deo auxiliante par esset ratio liberationis: porro quam apte Vates preces suas ad Deum ita continuare

I H A B A C. III.

² Ita VULG. et THEODOTION. εν μετρῳ ετων. A Q U I L A, et LXX. εν τῷ εγγίζει τῷ επονῷ Symmachus, εντος τῶν ενσωτῶν. Omnes eodem fere sensu; id est, “intra præfinitum tempus.”

poterat

poterat, ut qui tot miracula in populi sui subsidium olim ediderat, eidem mox subvenire dignaretur; quam efficaciter piorum animos ita confirmare, ut meminissent Deum, qui olim Israelitas ex tantis malis eripiendo infinitam suam potentiam testatam fecerat, idem etiam denuo in eorum posteris vindicandis præstare posse. Verum omnes hujusmodi ingressioñis formulas, eo ipso quod ultro occurrerent, penitus omisit; nec in splendissimæ materiæ spatia quærit sibi aditum, sed inopinato impetu irrumpit:

אֱלֹהָ מֶתִימָן יְבוֹא
וּקְדוֹשׁ מֵהָר פָּאָרָן:
כִּסְחָ שְׁמַיִם הַדּוֹ
וְתַהֲלָתוֹ מֶלֶאָה הָאָרֶץ:

“Deus e Themane prodiit,
“Et Sanctus e monte Paranæo:
“Operuit cœlos gloria ejus,
“Et splendore ejus oppleta est tellus.

Equidem totum hunc locum pari qua ingressus est magnificientia exornat Vates; ex tanta rerum admirandarum copia nobilissima quæque feligens, eaque coloribus splendidissimis, imaginibus, figuris, dictione elatissima illustrans; quorum summam sublimitatem cumulat et commendat singularis clausulæ elegantia: ita ut, nisi una atque altera ei insideret obscuritatis nebula vetustate, ut videtur, inducta, vix quidquam hoc poëmate in suo genere extaret luculentius aut perfectius.

Unum insuper addam insigne exemplum Sublimitatis, quod nefas effet præterire, Israelitarum Carmen Triumphale in Excidium Babylonis, apud Vatem, cum in eleganti tum in elato dicendi genere principem,

Ifaiam : quod omni modo cupiens explicare, quoniam prius satis fusa enarratione exposui, nunc versibus adumbratum dabo ; non quo existimem divinam illam vim et audaces colores ulla imitatione exprimi posse, sed ut perfecta illa Odæ effigies aliquanto clarius perspiciatur, vel extrema saltem ejus lineamenta.

ISRAELITARUM ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ
IN OCCASUM REGIS REGNIQUE BABYLONICI:
ODE PROPHETICA.

ISAIAE CAP. XIV. 4, —— 27.

Ergo insolentis corruit Imperi
Insana moles ? occidit urbium
Regina victrice, nec subacto
Effera jam dominatur orbi ?
Fastus Tyranni contudit impios
Jehova vindex, sceptraque ferrea :
Qui verbere haud unquam remisso
Fregit atrox populos gementes,
Nunc ipse diras jure subit vices.
Pacata Tellus undique gaudio
Exultat effræni, et solutos
Ingeminat fine more cantus.
Secura summis stat Libani in jugis
Ridetque Cedrus : Sicne jaces, ferox !
Jam nemo fævam, Te jacente,
Per nemorum dabit alta stragem.
Te propter imis concita sedibus
Nigrantis Orci magna fremit domus :
En ! luce defunctos Tyrannos,
Sceptrigeras foliis ab altis

Excivit

Excivit umbras, hospitis in novi
 Occursum eentes. Tene etiam, occupant,
 Te viribus, Te luce cassum
 Conspicimus, similemque nostri ?
 Orbumque fastu ? Non comitum frequens
 Deducit ordo ; non tuba, non lyrae
 Concentus ; at squalentis Orci
 Nox premit, et taciturnus horror :
 At turba circum plurima vermium
 Fervet, pererrans membra licentius,
 Fœdumque tabo diffuentes
 Læta cohors populatur artus.
 Ut decidisti cœlitus, agminis,
 Eoe, clarum fidere decus !
 Ut decidisti, qui domabas
 Victor ovans populos trementes !
 Nuper minatus : Scandam ego nubila ;
 Stabo Sionis culmine in arduo
 Sublimis, et qua spectat Arcton
 Arce sacra solium locabo :
 Subjecta calcabo astra, premens polum,
 Terramque torquens numine, par Deo.
 At dura Te lethi profundo
 Vis cohibet barathro jacentem.
 Ac forte quisquam conspicit avio
 Deforme corpus littore : stat diu
 Incertus, admotoque pronus
 Lumine, Te propius tuetur.
 Mox infit : Hic est, quem Fuga, quem Pavor
 Præcessit ? hic, quem terricolis gravem
 Strages secuta est, Vastitasque ? hic
 Attoniti spoliator orbis ?

Indigna regum colla gravi jugo et
 Duris catenis subjicere insolens,
 Lateque diffusa ruina
 Per laceras equitare gentes ?
 Reges, tyrannique, et validum ducum
 Manes superbi, non sine gloria
 Conduntur omnes, et reposti
 Sedibus in patriis quiescunt :
 At Te, supremis mortis honoribus,
 Vili carentem munere pulveris,
 Inter cadentum turpe vulgus,
 Sordidum et indecorum sepulchris
 Egere avitis : Te, quia patriæ
 Tuisque iniquum ; Te, quia gentibus
 Fatale portentum. Malorum
 Nullus honos cineres sequetur ;
 Poena immerentes ob patrium scelus
 Natos manebit. Funditus impiam
 Delete gentem, ne superbos
 Proroget ulterius triumphos :
 Namque ipse consurgam, Omnipotens ait,
 Et nomen extinguam Babylonium,
 Stirpemque, natosque, ultimasque
 Relliquis generis nefandi ;
 Urbemque diris alitibus dabo
 Ferisque habendam : vasta teget palus
 Demersam, et æterno profunda
 Obruget exitio vorago.

וְאַתָּה תִּשְׁמֹךְ : קַיְמֵת אֶתְנָתָר בְּמִתְאַתָּה כִּי :
 επωλειαν. Ita LXX. (quos sequitur ARABS,) docte apteque, cum
 ad sensum, tum quod vim vocis atque etymon attinet : vocabulum
 enim נְבֵל (hanc etenim esse formam radicalem vult ELIAS LE-
 VITA, aliique ; per geminationem in *Pibel*, נְבָל) ita acceperunt,

Dixit sacramentum inviolabile
 Jehova : Sic stat consilium ; hic tenor,
 Fatique non mutandus ordo,
 Terminus hic stabilis manebit :
 Frangam superbas montibus in meis
 Vires tyrannorum ; eripiam truci
 Jugo laborantes, meorumque
 Ex humeris onus amovebo.
 Jehova dixit : quis dabit irritum ?
 Gentes in omnes hanc Pater en ! manum
 Extendit ! extentam Jehovah
 Quis poterit cohibere dextram ?

ac si idem esset ac טוֹת, unde derivatur טט, Cœnum. Notum autem est, Verba Quiescentia secunda ו, loco ו sæpe admittere נ : sic קָמַת ו קָוֵת, H O S. X. 14. רְוִתָּה רָאָמָה, Z E C H. XIV. 10. כָּרָת כָּרָו, ut videtur, quod idem ac כָּרָה, in loco insigni Ps. XXII. 17. pro qua voce Judæi contra suæ Masoræ auctoritatem supposuerunt, vel saltem e Margine in Textum transtulerunt, כָּרָר'. Vide BOCHART. Hieroz. Part. I. Lib. III. 6. et KENNICOTT. *Dissert. I. de Textu Hebræo*, p. 499. et *Dissert. II.* p. 329. Hæ rationes auctoritate Seniorum confirmatae multo magis me movent, quam anilis illa Fabella, quam de hac voce עַנְתָּה narrant Judæorum Magistri, pro more suo, cum vocabulorum ignoritorum significaciones comminiscuntur.

“ Verbum טוֹת, vel טאָת, multum forma differt a עַנְתָּה ; prior “ trilitera est, hæc quadrilatera. Verum Dialetus Arabica vocem “ nobis servavit iisdem omnino literis constantem, quæ confirmare “ videtur, atque etiam extra dubium ponere, explicationem LXX. “ Interpretum : nimirum עַנְתָּה, demisit, profundam effecit, fossam ; “ unde nomen עַנְתָּה terra depreßa ac humiliis, qua quis tegi ac occul- “ tari posset. Mirum videri possit Doctissimum P O C O C K I U M, cum “ tam multa disputaverit de Rabbinica hujus vecis notione, de hac “ nihil dixisse, quæ auctoritate tanto graviore commendatur, tan- “ toque est ad orationis contextum accommodatior.” H,

PRÆLECTIO VICESIMA NONA:

שׁ י

S I V E H Y M N U S.

D E I D Y L L I O H E B R A E O,

INTER Hebræorum Cantica, quæ communi vocabulo שִׁירִים appellantur, alia sunt quæ a Poëseos Lyricæ natura aliquatenus recedunt, nec ad eam speciem, quæ Ode vulgo dicitur, commode referri possunt. Ea in singularem potius classem, Idylliorum titulo notatam, placet includere: cujus et nominis et rei reddenda nobis est ratio.

Græcorum Carmina nonnulla (an ab ipsis Poëtis, an a Grammaticis qui eorum monumenta recenserent, id factum esset, haud liquido affirmaverim) generali Titulo Εἰδῆ inscripta fuissent accipimus; qui nihil aliud denotat, nisi quasdam Poematum Species, sive diversa quædam Carmina, absque aliqua vel formæ vel argumenti certa designatione. Id nomen etiamnum retinent Pindari Odæ. Quod si quæ aut levioris argumenti, aut styli submissioris, aut generis quomodo cunque inferioris esse viderentur, nec item ab una materia inscribi possent, ea diminutivo vocabulo εἰδελλατα appellabant. Ita inscri-

inscribuntur Theocriti Poemata, Bucolica nimirum cum aliis varii generis admistis : qualia Latini Eclogas malebant vocare, quasi Poemata quædam habitu ex pluribus delectu edita ; vel diversa ex causa, et verecundiore titulo, Silvas ; quasi congeriem Carminum subito impetu effusorum, quæ vel secundis curis, vel tali etiam delectui, materiem præbere posset. Quanquam autem *ΕΙΔΩΛΑΙΟΝ* sit nomen vagum et commune, nihil ex vi sua de Carminis specie certo præfiniens, usu tamen et consuetudine suum quandam et proprium Charactera tandem obtinuisse videtur : et fortasse non male ita describi potest, ut sit Poema modicæ magnitudinis ; styli medii, æquabilis, ad suavitatem et elegantiam potissimum comparati ; dispositionis facilis, rectæ, apparentis. In hoc genere perfecta quædam exempla præbent Hebræi Vates : eorum pleraque haud pigebit singulatim monstrare atque exponere.

Primum hic nobis occurunt Psalmi Historici, Dei laudes ex rebus gestis et miraculis in populi sui gratiam editis celebrantes : quorum prior, ¹ Asaphi nomine inscriptus, Israelitarum historiam ab Exitu Ægyptiaco ad Davidis usque tempora exequitur ; rerum tantum præcipua excerpens et illustrans : stylo simplici fere atque temperato, sed poetica constructione et quibusdam sententiarum luminibus distincto. Nec plane historicus est rerum ordo ; nam ne tot rerum tam longa temporum serie gestarum ordinata expositio fastidium crearet, miracula Ægyptiaca valde eleganti et felici egressione inducuntur, et Episodii cujusdam locum obtinent. Idem argumentum aliis duobus Psalmis mate-

riem præbet, quinto nimirum et sexto supra centesimum : quorum alter historiam usque ab Abraham repetitam ad Exodum dedit ; alter ab Exodo ad posteriora Israelitarum tempora prosequitur : uterque superiori illi Poemati per omnia plane similis, cum universo styli colore, (nisi paulo fortasse simplicior) tum etiam, quæ merito erat laudanda, facilitate et gratia Exordii.

Jam vero hi Psalmi, quorum haec tenus feci mentionem, tota forma et charactere mirifice convenient cum Hymnis Græcorum. Sane Græci Interpretes, ut id obiter notemus, ipsum Psalmorum Librum rectius inscripissent ΤΜΝΟΙ ; quæ vox cum Hebræo Titulo Θαλητα μulto melius congruit. Erat apud Græcos hoc poematis genus a prima usque eorum Poeseos origine usu receptum, et in religionibus celebrandis adhibitum. Exponebantur plerumque Deorum origines, natalia, res gestæ, aliaque ad eorum historiam pertinentia : ita factum videmus in iis quæ etiamnum superfunt in hoc genere Græcorum monumentis, in elegantissimis Hymnis Callimachi, iisque qui Homero tribuuntur : eandem habet rationem Carmen Theocriti Διοσκύροι inscriptum, quod revera est Hymnus, iisque pulcherrimus ; nec immerito in Idylliorum censum relatus, qui totum hoc genus satis apte possit includere. Veram hanc Hymni formam et germanum charactera apud Virgilium, ¹ accuratissimum vetustatis imitatorem, egregie expressit geminus ille chorus Sa- liorum,

“ qui carmine laudes
“ Herculeas et facta ferunt.

Hymni illi antiqui, qui Orphei falso dicuntur, sunt potius πτεραι, sive quæ Latini Indigitamenta nominabant; habent enim ¹ “tantum Deorum invocationes, quibus “utebantur in Mysteriis ii qui sacris cujuspiam Dei ini-“tiarentur.” Utramque Hymni speciem pulcherrime conjunxit interque se sociavit Ovidius, poeta elegantior incertum an doctior: nam exordium Hymni in Bacchum ² continet ejus Dei Indigitamenta, hoc est, nomina ejus et titulos solenniter enuntiat; reliqua pars ejusdem res gestas et laudes exequitur.

Restat adhuc aliis, qui inter Historicos numerari potest, Psalmus nimirum centesimus tricesimus sextus. Dei laudes celebrat, et infinitam ejus potentiam et benignitatem prædicat, facto ex operibus Creationis exordio, inductis dein miraculis Exodi, quorum præcipua ordinatim fere exequitur, Inchoatur hoc Carmen noto illo Disticho;

הָדוּ לִיהוָה כִּי טוֹב
כִּי לְעוֹלָם חָסְדוֹ:

“Laudate Jehovam, quia bonus est;

“Quia æterna est ejus benignitas:

quod alternis cantari solitum fuisse Ezræ ³ testimonio liquet: illud autem habet præcipue notabile, quod ejus Distichi posterior versiculus, ab altero choro identidem interjectus, singulis etiam versiculis subiunctus, (quod est singularis exempli) perpetuam παράδοσιν facit. Hinc satis clare perspicitur ratio omnis et forma Versus Intercalaris: quippe qui unum aliquem sensum, in

¹ JOS. SCALIGER. Annot. in Hymn. Orph.

² METAMORPH. IV. II.

³ EZR. III. 10, 11.

quo potissimum totius Carminis argumentum aut finis vertitur, dilucide, breviter, simpliciterque exprimit; qui-que aptis pro Carminis dispositione intervallis, rei efficacius animo imprimendæ causa, injicitur. Versum hujusmodi Intercalarem Idyllio præcipue convenire, ejusque Poematis quodammodo proprium esse, satis evincit Theocriti, Bionis, Moschi, Virgilii denique auctoritas. Ex Sacris Vatibus unum alterumque exemplum adjungam, quod cum perfectissimis in hoc genere tantorum Poetarum monumentis conferri non vereatur: in quo, ut eluceat cum universa Poematis elegantia, tum Versus Intercalaris vis et venustas, ordo rerum et totius dispositio præcipue explicanda est.

Inter elegantissimos proculdubio recenseri meretur Psalmus centesimus septimus, ejusque elegantia maxima ex parte rerum dispositioni et universæ Poematis formæ debetur. Celebrat hoc Carmen Dei bonitatem et misericordiam erga omnes homines in maximis eorum calamitatibus, præsenti auxilio potentibus concessò, testatam: primo, errantibus in deserto, fameque laborantibus; tum in vincula conjectis; deinde morbo conflictantibus; postremo in alto jaëtatis. Subjiciuntur divinæ severitatis adversus improbos, erga pios benignitatis exempla, quæ cum superioribus hominum cordatorum meditationi commendantur. Ita totum Poema in quinque partes fere æquales ex ipsa materiæ ratione distribuitur; quarum priores quatuor clauduntur Versu Intercalari ipsius Hymni consilium et finem exprimente:

יְהוָה חֶסֶד
וְנִפְלָאוֹתָיו לְבָנֵי אָרֶץ;

“Laudent

“ Laudent Jehovam ob ejus misericordiam,
“ Et miracula in hominum gratiam edita.

Hoc ipsum Distichon perpetuo variatur, alio subiecto
Disticho, quod vel materiem modo tractatam resumit;

כִּי הַשְׁבֵיעַ נֶפֶשׁ שָׁוֹקְקָה

וְנֶפֶשׁ רֻעָה מְלָא טֹוב :

“ Nam satiavit animam fatiscentem,
“ Animamque esurientem implevit bonis:

כִּי שָׁבֵר דְּלָתֹות נְחַשָּׁת

וּבְרִיחַ בְּרוֹלָל גְּדֻעַ:

“ Nam fregit portas aheneas,

“ Et vectes ferreos discidit:

vel ipsius παραπτήσεως sententiam repetit, novisque imaginibus
amplificat;

יוֹדוֹ לִיהוָה חָסְרוֹ

וְנִפְלָאוּתָיו לְבָנֵי אָדָם :

וַיַּזְבְּחוּ זְבַחַי תּוֹדָה

וַיַּסְפְּרוּ מַעֲשָׂיו בְּרַנְחָה :

“ Laudent Jehovam ob ejus misericordiam,

“ Et miracula in hominum gratiam edita:

“ Et offerant sacrificia laudis,

“ Et facta ejus læto cantu enarrent:

וַיַּרְומְמוּהוּ בְּקָהָל עַמּ

וּבְמוֹשֵׁב זָקְנִים יְהִלְלוּהוּ :

“ Et exalent eum in cœtu populi,

“ Et in concilio seniorum eum celebrent.

In his etiam omnibus elegantissime fit transitus a calamitatis descriptione ad liberationem, perpetua repetitione ejusdem Distichi;

וַיַּצְעַקְוּ

וַיְצַעֲקُ אֶל־יְהוָה בֶּצֶר לְהַם
מִצּוֹקּוֹתֵיהֶם יִצְלַם :

“Et invocarunt Jehovam in rebus afflictis;

“Ex eorum angustiis eos liberat :

quod tamen non videtur habere naturam Versus Intercalaris. Ultima pars, quæ in materiem paulo uberiorum excurrit, suam habet clausulam duobus item distichis constantem, gravem et bonæ frugis plenam, nec a totius Poematis pulchritudine quidquam derogantem.

Supersunt quidem in Psalmis alia ejusdem generis, sed haud æque perfecta exempla : alterum itaque ex Isaia petam, eoque libentius, quod Vatem elegantissimum hic, ut sæpe etiam alibi fit, obscuravit vulgaris capitum distributio, unum pulcherrimum Poema in duas partes discerpens, diversisque hinc inde sectionibus adnectens, quibuscum ei nulla intercedit argumenti necessitudo. Capitis Noni partem posteriorem cum sequentis initio conjunge, ⁱ jam integrum habes Vaticinum editum in Israelitas Samariæ regnum tenentes ; grave, atrox, comminationibus plenum ; eam quidem vim habens et sublimitatem, ad quam Idyllium raro consurgit ; ipsam tamen Idyllii formam adeo perfecte expressam exhibens, ut in eam classem jure referri possit. Quatuor sunt hujus Poematis partes, quarum unaquæque continet denunciationem Divinæ vindictæ in

ⁱ ISAI. IX. 8, ————— x. 4. “In 2.^{do} MS MEERMANI spatium vacuum relinquitur post ISAI. X. 4; sed nullum ejusmodi spatium ad finem Cap. ix. In nostro MS N^o. 3, post Cap. x. 4. “interponitur spatium unius lineæ.” K,

populum rebellem, grave aliquod crimen ei exprobrans, plagamque merito infligendam intentans. Primo arguitur Israelitarum Arrogantia et Fastus; tum animi Obduratio, et communis morum Depravatio; tertio audax Impietas, omnia quasi flamma et incendio corripiens et devastans; postremo Judiciorum iniquitas et oppressio pauperum. Hæc ob singula certum aliquod atque horribile supplicium denunciatur: cui porro subjicitur minax Clausula, quæ επωθην facit, ad augendum terrorem mirifice comparata; significatur, graviora adhuc imminere, nondum his pœnis fore expiata populi delicta, nec justitiæ Divinæ satisfactum:

בְּכָל־זֹאת לֹא שִׁב אַפּוֹ
וְעַד יְדוֹ נֶטוּידָה:

“ His omnibus nondum conversa est ejus indig-
“ natio,

“ Sed manus ejus adhuc est extenta.

Quæ hactenus protuli exempla ex ipso habitu ac facie Idylliorum classi protinus adjudicanda sunt: restant fortasse non pauca, quæ ob stylum et charactera eidem æque adscribi debent, in Libro Psalmorum potissimum; nimirum ubi tractatur una aliqua materia plenius et ordinatius quam ab Oda fieri solet. Talis est Psalmus centesimus quartus, qui Dei Creatoris laudes exornat, sumpto argumento ex pulcherrima sapientissimaque totius rerum naturæ dispositione; quod, uti par erat, ordine eleganti et imprimis dilucido, stysi coloribus jucundissimis, imaginibus magnificis, splendidis, amoenis, variis, sed iisdem lectissimis, illustrat. Hoc Hymno nihil extat, nihil cogitari potest perfectius, sive Carmen ipsum, sive Hymni genus species. Habent quidem

quidem Prodigia quod primo aspectu grandius apparet, quodque animum admiratione et stupore ferit protinus et vehementius percellit: verissimam tamen laudis materiem, Deo Optimo, Maximo, dignissimam, hominum mentibus fervido et permanenti pietatis sensu imbuendis accommodatissimam, præbet ejusdem in creanda rerum universitate potentia, in ornanda sapientia, in sustentanda regendaque providentia, in rebus humanae administrandis justitia et bonitas. Græcorum Hymnos maximam partem conficiebant Fabulæ, eæque de rebus nee valde admirandis, neque etiam laudandis: nec mihi occurrit quidquam, quod quidem extat, ex illo genere graviore, præter Cleanthis Stoici Hymnum¹ Jovi inscriptum, hoc est, Deo Creatori, sive, ut ipse loqui amat, Æternæ Rationi rerum Naturæ Effectrici atque Moderatrici; pulcherrimum sane antiquæ sapientiæ monumentum, sensibus magnificis, solidis, verisque refertum: quæ enim habet Philosophus de summa Dei potentia, de supremæ Legis et totius Naturæ harmonia, de hominum impiorum cæcisque animæ perturbationibus obnoxiorum stultitia atque infania; ante omnia Divini auxilii imploratio, quo Numen ipsum perpetuis laudibus digne possimus celebrare; hæc omnia tam fano minimeque fucato pietatis affectu animantur, ut ad Sacrorum etiam Vatum spiritum aliquatenus videantur accedere.

Merito in hoc genere primas tenet Hymnus ille Davidis quem modo memoravi: illi proxime affidet alias ejusdem Auctoris, tum ratione argumenti, tum etiam eximiæ pulchritudinis: celebrat enim infinitam Dei

¹ Vide C U D W O R T H . *System. Intellect.* pag. 432.

scientiam, et admirabilem in humano corpore fabricando solertiam; et si fortasse ordinis et dispositionis venustate a priore vincitur, sensuum tamen, imaginum, figurarum, dignitate atque elegantia neutiquam ei cedit. Superioribus itaque exemplis cumulus accedat Psalmus centesimus tricesimus nonus; quem Latinis versibus utcunque expressum, fretus vestra, Academici, toties mihi perspecta indulgentia, recitabo.

P S A L M U S C XXXIX .

Tu mihi semper ades, Tu me omni ex parte patentem

Intueris, Deus! et manifesto in lumine cernis.

Tu me, quicquid ago, quoquo vestigia flecto,
Usque premis; seu luce labor, seu alterna silenti
Nocte quies redeat: Tu pectus et abdita mentis
Perspicis, introrsum insinuans; cæcoque recessu
Exagitas latitatem, arcta que indagine cingis.

Tu dubiis vixdum eluctantia dicta labellis

Antevenis, primosque animi præverteris orsus.

Quippe manu presumque tenes; nudumque, re-
clusumque,

Ante, retro, exploras, mihi me præsentior ipso.

O Deus! infinitum atque inscrutabile Numen!

Cuncta sciens Mens, ipsa incognita! qua fugiam
Te,

Obtutusque tuos et conscia lumina fallam?

Ascendam cœlos? ibi Tu: subeam ima barathri
Tartara? ades: simul hæc magno loca numine
complex.

Auro-

Auroræne procul rutilus ferar ales in oras ?
 Occiduine petam fines novus incola ponti ?
 Hic etiam tua me ducet manus ; hic tua cursum
 Dextera præveniet cohibens, reprimetque fugacem.
 Ergo petam tenebras, et condar nocte sub atra :
 Demens, qui tenues umbras, et inania vela,
 Sancte ! tuis obvertam oculis, densissima cui nox
 Pellucet, tenebraeque ipsæ sunt luminis instar.

Te Dominum Auctoremque colo ; Tu hos con-
 ditor artus

Formâsti, et gravida texisti matris in alvo.
 Obstupo, et memet læta formidine lustro,
 Divini monumentum operis ! Tu corporis omnem
 Compagem, mersam tenebris et carcere cæco,
 Perspex'ti ; tua solerti per singula ductu
 Dextera iit, tua pinxit acus mirabile textum.
 Ipse rudi invigilans massæ, primisque elementis
 Conscius instabas : jussas orientia formas
 Membra minutatim induerunt, quocunque vocares
 Prompta sequi : sua cuique tuis inscripta tabellis
 Effigies erat, atque operis data norma futuri.

Ut mî animum sancto permista horrore vo-
 luptas

Percipit ! ut vano juvat indulgere labori,
 Dum tua facta, Deus, recolo ; tua mente revollo
 Consilia, et numero artificis miracula dextræ !
 Promptius expediam, quot volvant æquora fluctus ;
 Littore vexato quam multæ agitantur arenæ.
 Usque eadem incassum meditanti lumina somnus
 Opprimit ; usque eadem vigilanti cura recursat.

Non Tu sacrilegos perdes, Deus ? Ite, profani !

Ite procul, scelerum auctores, cædisque ministri !
Non ego, Sancte, tuos hostes hostilibus iris
Insequar ? en ! bellum Tibi bella parantibus ultro
Indico ; neque do dextram, neque foedera jungo.
Tu nunc esto mihi testis ; Tu pectoris ima
Cerne, Deus ! penitusque altos scrutare recessus.
Excute, siqua mihi cæcis concreta medullis
Hæret adhuc labes, et noxia corda refinge.
Tum sceleris purum accipias, mittasque salutis
Æternum per iter, rectoque in tramite ducas.

POEMATA DRAMATICA.

שִׁיר הַשִּׁירִים

CANTICUM CANTICORUM.

PRÆLECTIO TRICESIMA:

CANTICUM SALOMONIS

NON ESSE JUSTUM DRAMA.

VETERES, Platonem¹ secuti, universam Poësin, pro diversa enunciationis ratione et forma, dividebant in enarrativam, imitativam sive dramaticam, et mixtam. Cujus distributionis haud sane magna est utilitas, cum neque diversas poematum species secernit, neque alicujus poëmatis intimæ naturæ et constitutioni explicandæ multum inservit. Siquidem omnes hæ formæ sunt omnium poematum communes; nisi quod genus Epicum non simplicem sed mixtam narrationem semper adhibeat, Scenicæ Poëeos natura formam imitativam necessario

¹ Vid. PLAT. De Rep. Lib. III.

postulet. Et ut liberum est cuivis alii poemati forma mixta uti, ita nihil prohibet quo minus, si libeat, etiam dramaticam induat. Verum nescio quomodo usū jam receptum est, ut hæc forma dramatica, quanquam multis communis, certum tamen Poematis genus constitutat, vel ei saltem nomen imponat. Itaque in hoc genere Dramatico quid habeat Hebræorum Poesis, mihi jam quærendum restat: et ne nobis illudat nominis ambiguitas a recentioribus inducta, in ipso limine præcavendum est.

Dramaticæ quidem Poeseos appellationem, uti modo notavi, omnino ad se traxisse sibique vindicasse videntur duæ præcipuae species cæteris exclusis; fere enim jam obtinuit, ut ea intelligamus Tragoëdiam solummodo et Comœdiā. Id autem nomen multo latius patet: nihil enim aliud spectat, nisi externam enunciationis formam, et de omni poemate recte usurpatum in quo personæ loquentes inducuntur sine poetæ interlocutione; uti fit in bene multis Theocriti et Virgilii Bucolicis, in nonnullis Horatii Sermonibus, unaque atque altera Ode. Quo itaque accuratius de hac re agamus, Poesin Dramaticam in duas species distribuere libet; unam minorem, quæ per enunciationem imitativam, sive personis introducitis, mores, affectus, actiones exprimit: alteram majorem, quæ uti cætera omnia, ita insuper Fabulam aliquam continet, sive Rem gestam unam, integrum, satis amplæ magnitudinis, in qua aliud ex alio sequitur, quæque per variam eventuum novorum seriem ad exitum aliquem deducitur. Hæc species in se complectitur Comœdiā atque Tragoëdiam; quæ uti a minoribus illis Carminibus Dramaticis

maticis Fabulæ potissimum ratione distinguuntur, ita ab Epico præcipue distant modo enunciandi.

In priore illa specie Dramatici Carminis apud Hebræos nonnulla extant exempla, et palam apparent; latent fortasse alia, eaque plura quam suspicamur. Est quidem crebra illa mutatio personarum apud Hebræos Vates plerumque animi valde commoti, et ex vehementi affectu ab actionis descriptione in ejusdem imitationem inconsulto transeuntis; sed nonnunquam formam dramatycam indicat, eoque modo commodissime explicari potest. Habet hanc formam Psalmus Vicesimus quartus, continens, uti antea exposui, Arcæ translationem in montem Sionem, quæ per totum scenice quodammodo exhibetur, quanquam non nisi in poematis fine dialogismus appareat. Et insignis ille locus Isaiae, ubi Mef-sias Vindex cum Choro quodam loquens veluti in scenam inducitur:¹

מי זה בא מארום
חמוֹן בנדים מבצורה!
זה הדור לבושו
צעה ברב כחו:
אני מרבר בצדקה רב להושיע:
מדוע ארט ללבושך
ובנדיך כדרך בגרת:
פורה דרכתי בלבדי
ומעמים אין איש אתני:
ואדרכם באפי
וארמסט בחמתני:

וַיְזִחֵם עַל בָגְדִי
וְכָל מִלְבָשִׁי אֲנָא לְתִי :
כִי יּוֹם נִקְםַת בְלַבִי
וְשָׁנַת גָּאֹלִי בָאָה :
וְאַבִיט וְאֵין עֹז
וְאַשְׁתּוּמַת וְאֵין סֻמְךָ :
וְתוֹשֵׁעַ לִי זֶרְעִי
וְחַמְתִי הִיא סְמַחְתִּי ;
וְאַבּוּס עַמִּים בָאָפִי
וְאַשְׁכָרָם בְחַמְתִי
וְאוֹרֵיד לְאָרֶץ נִצְחָם :

C H O. "Quis iste qui venit ab Edomo ?

"Tinctis horrendum vestibus a Botfra ?

"Iste verendus amictu ;

"Grandi passu incedens pro maxima vi sua ?

M E S. "Ego Justitiæ prædicator, potens salutis.

C H O. "Quare rubet amictus tuus ?

"Et vestes tuæ ut calcantis in torculari ?

M E S. "Torcular calcavi solus ;

"Et ex populis nemo vir erat mecum :

"Et calcavi eos in ira mea ;

"Et protrivi eos in æstu meo :

"Et respersa est cædes eorum in vestes meas,

"Et omnem amictum fœdavi.

"Nam dies ultionis in corde meo est ;

"Et annus quo meos redimam venit :

"Et circumspexi, neque erat adjutor ;

"Et obstupui, neque enim erat sustentator :

"Tum mihi salutem præstítit brachium meum,

“ Et indignatio mea ipsa me sustentavit,
 “ Et conculcavi populos in ira mea,
 “ Et in æstu meo ebrios et attonitos reddidi,
 “ Et cædem eorum derivavi in terram.

Ex eodem item genere est Psalmus centesimus vicesimus primus; quem etiam, cum et brevis sit nec inelegans, integrum apponam. Rex, ad bellum gerendum, ut videtur, egressurus, prius ad Arcam Dei in monte Sione constitutam accedit, et divinam opem, in qua se unice confidere profitetur, implorat :

אָשָׁא עַנִּי אֶל הַרְיָךְ
 מֵאֵין יָבוֹא עֹזְרִי :
 עֹזְרִי מִעֵם יְהוָה
 עֲשֵׂה שְׁמִים וְאֶרֶץ :
 אֶל יִתְןֵן לְמֹות רָגְלֵךְ
 אֶל יָנוּם שְׁמַרְךָ :
 הַנָּה לֹא יָנוּם וְלֹא יִשְׁן
 שְׁמַר יִשְׂרָאֵל :
 יְהוָה שְׁמַרְךָ
 יְהוָה צָלָךְ עַל יָד יְמִינְךָ :
 יוֹמָם הַשְׁמֵשׁ לֹא יִכְנַחַ
 וַיַּרְחֵךְ בְּלִילָה :
 יְהוָה יִשְׁמַרְךָ מִכָּל רֵעֵךְ
 יִשְׁמַר אֶת נְפָשָׁךְ :
 יְהוָה יִשְׁמַר צָאתְךָ וּבָוָאְךָ
 בְּעִתָּה וְעַד עוֹלָתְךָ :

“ Attollam oculos meos in montes,
 “ Unde venit auxilium meum.

“ Auxilium

“ Auxilium meum est a Jehova,

“ Qui fecit cœlos et terram.

Respondet illi e Tabernaculo Pontifex :

“ Non sinet labi pedem tuum ;

“ Non dormitabit, qui Te custodit :

“ Ecce non dormitabit, neque somno succumbet,

“ Qui custodit Israëlem.

“ Jehova Te custodiet ;

“ Jehova Te obumbrabit ad dexteram.

“ Interdiu Sol non Te lædet,

“ Neque Luna per noctem.

“ Jehova Te custodiet ab omni malo ;

“ Custodiet etiam animam tuam.

“ Jehova custodiet exitum tuum et introitum,

“ Ex hoc tempore, et usque in sæculum.

Atque hæc de minori illa specie Dramatici carminis, seu potius de forma Dramatica quæ cuivis fere Poemati pro libitu competit, dicta sufficientant. Altera illa, quæ continet in se Actionem sive Fabulam, quæque revera constituit justam eamque perfectissimam Poematis speciem, diligentiorem disceptationem meretur.

Duo omnino extant apud Hebræos Poemata quæ hic in quæstionem venire possunt, Canticum Salomonis, et Carmen Jobi; monumentorum omnium sacrorum vel elegantia, vel sublimitate, vel etiam obscuritate, maxime notabilia. Post infinitos aliorum labores vix quicquam aliud in me sumam, quam ut inquiram paulo accuratius in utriusque Poematis naturam et formam, et quousque ad justi Dramatis speciem accedat: de cætero, ex doctorum potissimum sententiis quæ mihi maxime probabiles videbuntur, breviter expositurus, si quæ necessaria

necessaria erunt vel ad hanc quæstionem expediendam, vel ad præcipuas Carminum venustates illuſtrandas.

Canticum Canticorum Salomonis, (ita inscriptum propter summam excellentiam vel compositionis vel argumenti) est Epithalamium, sive *oæcisus* Nuptialis; vel, ut Hebræum potius titulum ei imponamus, **שִׁיר יְדִידוֹת**,¹ Carmen Amorum, fervidissimos simulque suavissimos exprimens affectus, amoris vim omnem ac dulcedinem spirans; ipsius Salomonis sermo cum Sponsa sua, qui varie exhibentur, et soli, et inter se invicem loquentes. Inducuntur etiam Puellæ, Sponsæ Comites, quæ scenæ semper interesse videntur, et suas etiam in dialogo partes gerunt: fit item mentio Juvenum Sponsi Amicorum;² sunt autem mutæ Personæ. Hæc ex moribus Hebræorum, qui in nuptiis adhibere solebant *παρεγγυματις*; quales numero triginta honoris causa Samsoni³ in festo nuptiali aderant: in Evangelio φίλοι των γυμφών,⁴ et ἄριτες νυμφῶν,⁵ dicti; ex Hebræorum vocibus **רַעֵם**, et **בְּנֵי הַוֶּה**:⁶ occurunt ibidem Virgines decem, Sponsi obviam ituræ, nimirum **בְּתוּלָות הַכְּלָלָה**.⁷ Quæ satis indicant sedem et quasi fundamentum hujusc Poematis positum esse in Hebræorum ritibus nuptialibus, eoque Connubii quandam formam exprimi. In hoc plerique omnes consentiunt Interpretes: de universa autem operis œconomia,

¹ Ita inscribitur PSALMUS XLV.

² CANT. V. I. VIII. 13. vid. III. 7, — II.

³ JUD. XIV. 11.

⁴ JOH. III. 29.

⁵ MATT. IX. 15.

⁶ LIGHTFOOT. in MATT. ibid.

⁷ PS. XLV. 15.

de rerum ordine, de partium distributione, summa est diffensio. Nihil aliud jam quærimus, nisi an Fabulam contineat, sive Actionem aliquam imitetur: atque ex omnibus Eruditorum opinionibus, quæ ad hanc rem faciunt, maxime mihi probabilis videtur Viri Clarissimi, admirabili ingenio summaque doctrina præditi, Jacobi Benigni Bossueti de hoc Poemate Sententia.¹ Eam, quantum ad Carminis formam ac dispositionem pertinet, breviter Vobis exponam, Academici: an inde sequatur, haberi illud posse pro justo Dramate, dehinc videbimus.

Constat, Nuptiale Convivium apud Hebræos per septem dies fuisse celebratum,² ut omnia fere solennia per Hebdomadas: hinc quærendam existimat Vir Doc-tissimus Poematis constitutionem, totumque in totidem partes seu dies distribuendum. Non temere diei noctis que recurrentis vices passim memorantur: iis itaque utitur indiciis in vera partium divisione indaganda. Peracto ex more nuptiali Epulo, Sponsa vesperi ad virum deducebatur: hinc sumendum Nuptialis Hebdomadis initium; nam Hebræi in diebus numerandis a vespera inchoabant.³ Sponsus, qui Pastor esse fingitur, summo mane ad consueta rusticæ pastoralisque vitæ officia repetenda proficiscitur: Sponsa mox eviligans, et absentem requirens, prorumpit in voces plenissimas amoris et desiderii, unde Poema exordium sumit. Solennis esse videtur matutina Sponsi egressio; hinc illa proficiscensis, et Sponsæ quiescenti consulentis, saepius re-pe-tita obtestatio:⁴

¹ Vid. BOSSUET. Præf. et Comment. in CANT.

² Vid. GEN. XXIX. 27. JUD. XIV. 12.

³ Vid. GEN. I. 5, &c.

⁴ Cap. II. 7. III. 5. VIII. 4.

השבועתי אתכם בנות ירושלם
בצבאות או באילות השדרה
אם תערו ואמ תעוררו
את אהבה עד שתחפץ :

“ Obtestor Vos, Solymitides,
“ Per capreolas, perque cervas agrestes,
“ Ne excitetis, ne expergefaciatis,
“ Dilectissimam, donec ipsa velit.

Nec minus frequens illa Puellarum exclamatio :
.

מי זאת עלה מן המדבר :
מי זאת הנשכפה כמו שחר :
“ Quænam est Illa, quæ ascendit e deserto ! —
“ Quænam est Illa, quæ prospectat, ut Aurora !

ita Sponsam e thalamo mane progredientem et primum apparentem admirari et salutare videntur. Hæ temporis matutini significationes. Noctis interdum fit ² mentio ; interdum ex adjunctis ³ indicatur. Quas temporum notas si quis vere repertas recteque constitutas esse admittet, iisque insistet, is, credo, videbit totum opus satis commode distingui posse in portiones septem, ⁴ quarum

¹ Cap. III. 6. VIII. 5. VI. 10.

² Cap. III. I. V. 2.

³ Cap. II. 6. VIII. 3.

⁴ Hæc est operis distributio ex mente BOSSUETI :

Dies Primus :	Cap. I.	—	II.	6.
Secundus :	Cap. II.	7,	—	17.
Tertius :	Cap. III.	—	V.	I.
Quartus :	Cap. V.	2,	—	VI. 9.
Quintus :	Cap. VI.	10,	—	VII. 11.
Sextus :	Cap. VII.	12,	—	VIII. 3.
Septimus :	Cap. VIII.	4,	—	14.

unaquæque unius dei spatium occupat. Addit Auctor, videri sibi ultimo die designari Sabbatum, ex eo quod Sponsus non jam, ut alias, solus egreditur ad rustici operis negotia, sed una cum Sponfa ¹ e thalamo procedit in publicum. Hæc est Viri Magni sententia; quam ita amplector non ut evidentem et certam, sed ut conjecturam in re valde obscura non omnino omni probabilitate destitutam; ita sequor, ut faculam, qua clarorem in tantis tenebris nec illucere video, neque affulsum spero.

Favet hæc Sententia omnium maxime ei opinioni quæ Carmen hoc in justi Dramatis loco habet: ita enim esset Rei cuiusdam gestæ imitatio ac repræsentatio Scenica. Quod si, qui Dramatis appellationem ei tribuunt, ex passim jam recepta vocis significatione loquuntur; ii sane id volunt dicere, contineri hoc Poemate Fabulam, sive Actionem unam, integrām, idoneā magnitudinis, in qua aliud ex alio sequitur, quæque per varios eventus ad exitum aliquem perducitur. Verum Festi Nuptialis solennitas in se spectata minime censenda est istiusmodi fuisse. Rituum quidem atque institutorum, quæ apud Hebræos in nuptiis celebrandis locum habuerunt, non nisi valde imperfæta ad nos pervenit cognitio; nihil autem occurrit ex quo suspicari possumus ea fuisse ejusmodi, ut in se suaque natura aliquam eventuum varietatem includere, aut veræ ac legitimæ rerum gestarum constitutioni materiem præbere possent. Una erat lætitiae series, idem gaudij tenor. Poterat quidem externi aliquod casu aliquando incidere, quo rerum in deuterius vel contra mutatio fieret, vel unde Fabulæ, sim-

¹ Cap. viii. 5.

plicis fortasse sed veræ, argumentum oriretur : an hic ita se res habeat, ex ipso Poemate colligendum. Verum nihil ejusmodi ibi occurrit : a principio usque ad finem idem esse videtur rerum status, idem color ; nisi quod amantium variantur affectus, eo præcipue quod nunc absentes languent, nunc mutuo consortio præsentes fruuntur. Sponsaⁱ Sponsum absentem desiderat, quærit, invenit, amplectitur, domum deducit ; iterum insequitur fugientem, sed frustra ; mœret, languet, comitibus mandata dat ei perferenda, et splendidam fusamque ejus formæ descriptionem subjicit. Nihil hic justæ Actionis simile, nec quod magis accedat ad naturam legitimæ Fabulæ, quam quæ habet quodvis e Theocriti aut Virgilii Bucolicis Dramaticis, quibus Patores amores suos, lusus, aut certamina exponunt ; quæ nemo temere in eadem classe cum Euripidis aut Terentii Fabulis collocabit. Id itaque satis tuto jam statuere licet, Canticum Salomonis ad minorem illam speciem Dramaticæ Poeeos pertinere, seu formam solummodo dramaticam habere ; neutquam justi Dramatis titulo insigniri posse.

Verum sane ex alia parte hoc Poema cum Græcorum Dramate magnam habet affinitatem ; nam Chorus ille Virginum cum Choro Tragico mirum in modum consentire videtur. Adsunt ad omnia vel consilii vel solatii officia paratæ : cum Sponsis colloquuntur ; percontantur, respondent ; omnibus se immiscent, nec recedunt usquam. Existimaverunt Viri eruditi, Theocritum Poetam suavissimum, septuaginta illis Interpretibus æqualem, et in aula Ptolemæi Philadelphi una florentem,

ⁱ Capp. III, et v.

aliqua

aliqua ex hoc Carmine delibasse, et pene ad verbum expressa in sua Idyllia translatisse.¹ Nec magis a similitudine veri abesse videretur opinio, si quis judicaret Græcos usum Chori totamque ejus constitutionem ex hoc Salomonis Poemate didicisse, et ad Tragœdiæ suæ ornamentum accommodasse; si non multo magis credibile esset hujusc Cantici notitiam nimis fero ad eos pervenisse; planeque insuper constaret, Græcorum Chorum aliam omnino habuisse originem, neque Chorum Fabulæ, sed Fabulam Chori fuisse accessionem.

¹ Confer. CANT. I. 9. VI. 10. cum THEOC. XVIII. 30, 26. CANT. IV. II. cum THEOC. XX. 26. CANT. VIII. 6, 7. cum THEOC. XXIII. 23, ————— 26.

PRÆLECTIO TRICESIMA PRIMA:

DE CANTICI SALOMONIS

ARGUMENTO ET STYLO.

DE Cantici Salomonis œconomia et constitutione, quæ mihi in summa opinionum diversitate maxime probabilia videbantur, breviter exposui. De vero ejus Argumento non minus anceps et obscura est quæstio. Alii omnia ad proprium verborum sensum restringenda censent; alii in omnibus quærunt Allegoriam: nec inter eos qui Allegorice interpretantur magis convenit; alii simplicem tantum Allegoriam admittunt, quidam etiam eam quam Mysticam voco, historicæ nimirum rei veritati superstructam. Quæ fane omnia a meo instituto aliena existimarem, et ut summa obscuritate involuta libenter defugerem, nisi et singulatim de hujusmodi Allegoriæ cum sacra Poesi conjunctione atque affinitate antea egisset, et perpetuo diligenter notâsssem usum et consuetudinem et analogiam Dictionis Parabolicæ: qua certæ Imagines, plurimum Naturales, certas alias notiones, quarum subtilior est ratio, lege quadam constanter servata, exprimunt; quam rem unam arbitror, si accurate investigetur, ad intelligendos Vates Hebræos semper maximo

maximo adjumento fore; in ea certe hujuscemodi quæstionis cardo præcipue vertitur.

Itaque ut ad rem illico veniam, et in quæstione valde obscura quæ mihi maxime probabilia videntur exponam, plane profiteor me in eam partem propendere, ut existimem Carmen hoc esse omnino Allegoricum: primo Judaicæ veteris et Christianæ Ecclesiæ consensu et auctoritate motus; deinde, idque maxime, Dictionis Parabolicae Analogia inductus. Eam profecto ii parum videntur expendisse, qui huic opinioni præcipue adversantur, qui que nescio quam Imaginum incongruitatem et indignitatem objiciunt: cujus offendiculi amovendi causa, quod multis impedimento esse video, hujuscemodi Allegoriæ rationem et legem, et sacrorum Vatum in eadem adhibenda prope omnium consensum, paulo fusiū explicabo.

Cum eae sint humanæ mentis angustiæ, ea imbecillitas, ut *vix* ullam Divinæ Naturæ partem cogitando complecti vel investigando attingere possit, dignatus est Deus immensam suam majestatem veluti contrahere, et crassis imaginibus adumbratam exhibere, quo se intra limites nostri conceptus fisteret, suamque naturam hebeti humani intellectus aciei expositam planeque conspicendam præberet. In sacris itaque Scripturis descendit quodammodo in terram Deus, humano corpore, membris, sensibus, affectibus indutus; omnia mortali similis, — *ημεν δεμας, ηδε και αυδην*. Hanc Allegoriam *αρχωποτασιαν* appellant; quæ valde late patet, et Theologiæ proprie dictæ, uti in monumentis sacris traditur, magnam partem occupat. In primis hic locum habent Affectus: neque sane est ulla mentis humanæ commotio ac perturbatio, quæ non cum omnibus suis adjunctis

tis plane ac sine omni remedio ac lenimento Deo tribuantur; nec minimum eæ, quæ multum terrenæ fæcis secum admistum habere videntur, Iracundia, Dolor, Odium, Ultio. Fieri non potuit, quin suas etiam in hac veluti fabula partes ageret Amor, isque ardentissimus vehementissimusque qui in hominis naturam cadit. Itaque non Affectionis solum paterni pietas lenitasque Deo tribuitur, sed et Conjugalis Amoris vis, ardor, sollicitudo, et ejusdem etiam læsi violentia; cumque eo conjunctæ perturbationes, Desiderium, Ægritudo, Zelotypia.

Hujus autem translationis ratio minime omnium est obscura: fundamento nititur valde aperto, et quanquam in varias partes et minutiora adjuncta saepe deducatur, sua tamen ei semper constat perspicuitas. Ex omnibus populis elegit sibi Deus in gentem peculiarem Abrahæ posteros, eamque nationem solenni foedere sibi propriam dicavit. Hujus foederis quædam erant utrinque præstandæ conditiones; ex altera parte amor, defensio, conservatio; ex altera fides, obedientia, purusque cultus. Hoc est illud Conjugium a Deo cum Ecclesia sua initum; sacrosancta pactio sub ea imagine a sacris Vatisbus fere omnibus toties celebrata: insigni exemplo ejus Metaphoræ, quam Aristoteles ¹ Analogicam vocat; cum, propositis quatuor notionibus, prima ad secundam eandem habet rationem quam tertia ad quartam; et voces homologæ inter se invicem commutari possunt. Ita Deus ad Ecclesiam eandem habet rationem quam Maritus ad Uxorem; et Deus est Maritus Ecclesiæ, Ecclesia Uxor Dei; sic etiam in cæteris, cum

in plura adjuncta particulatim deducitur; quomodo enim se habet ad Divinum illud Fœdus populi Pietas, Impietas, Idololatria, Rejectio; sic ad Pactum Conjugale se habet uxoris Castimonia, Impudicitia, Adulterium, Repudium. Quæ notio sacris Scriptoribus ita est familiaris, ut pro Idolorum cultu passim usu receptum sit Scortandi vocabulum, nec alienum locum ibi occupasse, sed pene suum ac proprium obtinuisse, videatur.

Videamus autem paulum quomodo in hac Imagine versentur Sacri Vates, quam libenter ei inhærent, quam non reformident eam in omnes partes educere, et per singula adjuncta persequi. De Ecclesia in Dei gratiam reconciliata, inter alia complura ejusdem generis, elegantissimus Isaias :

כִּי־בָּעֵלֶךְ עֲשֵׂיךְ
יְהוָה צָבֹאות שְׁמוֹ
וּגְאַלְךְ קָדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל
אֱלֹהִי כָּל הָאָרֶץ יִקְרָא:

“ Nam Maritus tibi erit Creator tuus;
“ Nomen ei Jehova Exercituum:
“ Et Redemptor tuus Sanctus Israelis;
“ Deus universæ terræ vocabitur.

Et alibi per Comparationem :²

כִּי־בָּעֵל בָּחֹר בְּתֻולָה
בָּעֵלָךְ בָּנִיךְ³

¹ ISA I. LIV. 5.

² ISA I. LXII. 5.

³ בָּנִיךְ . Interpretes omnes, cum veteres tum recentiores, in angustias inextricabiles induxit hujus voculae ambiguitas; quam cum male acceperunt LXX, male item punctaverunt Masoretæ, illorum auctoritate consecratus error late manavit, et penitus jam inolevit. Nihil tamen planius, nihil magis obvium et expositum:

ומושׁוח חתּן עַל כָּלהּ
ישׁ עַלְיָךְ אֱלֹהִיךְ:

- “ Nam ut Juvenis Uxorem dicit Virginem,
- “ Ita Te Uxorem ducet Conditor tuus :
- “ Et ut Sponsus in Sponsa gaudet,
- “ Ita in Te gaudebit Deus tuus.

Eandem Imaginem varie et paúlo liberius, utpote cum aliqua indignatione, prosequitur Jeremias, ¹ Judæis defectionem a Dei cultu exprobrans. Ab eadem tota

non est enim Plurale Nominis Substantivi בָּן, sed Participii *Benoni* Verbi בְּנֵה, hoc modo secundum leges Masoreticas efferendum, בְּנֵי ; estque parallelum ac synonymum τῷ in membro alterno. Confer locum *ISAIAE* modo citatum ; ubi etiam nota, בְּעֵלֶיךְ, *Marii*, *Creatores*, pluraliter dici cum eadem relatione ad eandem vocem. Hoc modo facillime tollitur illa Imaginis incestæ indignitas, quæ merito omnibus Interpretibus impedimento fuit. Ecce autem alium *Isaiæ* locum, in quo item male accepta est a Masoretis eadem ipsa vox :

מהרו בנים מהריסך
ונחריבך בנים צאו :

- “ Cito fient Conditores tui, qui te everterant ;
- “ Quique te destruxerant, ex te prodibunt.

ISAIAE XLIX. 17.

Ita enim invitis Masoretis distribuenda est sententia ; ita explicanda cum *LXX*, qui non modo vocem ambiguam hic recte reddiderunt, (uti etiam fecerunt *CHALD.* et *VULG.*) sed totam etiam periodum docte, accurate, eleganter, ut nihil possit supra :

Ταχὺ οικοδεματζησοῦ ὥφ' ᾧ οὐ πεπίστευτος,
Καὶ οἱ εργματωτες σε ἐξελασσονται εκ σε.

Eos, ut solet, sequitur ARABS. Simile quoddam Idioma verbi מהר, vide in *PS. CVI. 13. EXOD. II. 18.* eundem sensum verbi נָשָׁ, *JER. XXX. 21. NAHUM. I. 11.*

I JER. III. 1, &c.

pendet

pendet pars prior Vaticiniorum Hoseæ ; quam sive ex Historica veritate interpreteris, sive ad Allegoriam omnino detorqueas, perinde hujus translationis, in hoc argumento quodammodo consecratæ, lex et ratio elucebit. Verum nemo est qui in hac materia pari cum audacia versatus est, aut æque licenter se effudit, atque Ezekiel ; Vates præfervidi ingenii, parum curiosus elegantiarum, securus offendit : ut admodum verear, ne in graves reprehensiones incurrat hominum delicatorum, qui e Gallorum scholis Critici evaserunt : ita omnes locos qui huic rei adjacent libere aperteque tractavit, binis Parabolis¹ bene longis, quibus Judæorum atque Israelitarum ingratum erga Deum animum, turpemque a vero ejus cultu defectionem, ductis imaginibus ab Uxore adultera, et Mulierum duarum amorous meretriciis, fuse exequitur. Has Parabolas, ex ipsius Dei persona prolatas, cum clara et aperta Allegoriæ explicatione, in materia lubrica non sane nimium caute timideque incedentes, sed multa exponentes liberius ; has, inquam, qui semel attente perperderit, is opinor iis, qui Canticum Salomonis, in omnibus summe elegans et verecundum, in divinorem sensum interpretantur, nunquam posthac objicit colores vel tam sancto argumento indignos, vel a facrorum monumentorum usu, gravitate, ac puritate ullo modo alienos. His accedat Psalmus Quadragesimus quintus ; sanctissimum Epithalamium, de cuius argumento, quantum video, nulla est apud sanos interpretes dubitatio, Dei cum Ecclesia sua conjunctionem sub eadem figura exprimens : quod etiam multi non temere judi-

carunt eadem occasione compositum fuisse, eodemque veritatis fundamento constructum, quo hoc ipsum Salomonis Canticum. Non est denique prætereundum, Novi etiam Fœderis Scriptores¹ eandem Allegoriam ab antecessoribus suis receptam libenter admisisse, suaque auctoritate denuo consecravisse.²

Abunde hæc sufficiunt, ut mihi quidem videtur, ad amovendas omnes offensiones ex parte rei ipsius et ex imaginis indignitate exortas, quæ plurimos Allegoricæ hujus Poematis interpretationi aversos et iniquos habuerunt. Eam sententiam ulterius confirmare, et argumentis ex ipso Poemate ductis munire, superfedeo; reformidans, ut verum fatear, rei difficultatem: nam quanquam ita rem habere prorsus existimem, opinione ductus, et auctoritate vetustatis, et præcipue, uti dixi, Translationis Analogia; vereor tamen, ut id rationibus directis et ex interna operis structura petitis satis clare evinci possit.

Quod si vero concedatur, Allegoricum esse hoc Poema, alia jam exsurgit quæstio, quamnam ad speciem Allegoriæ, ex tribus istis quas antea constituimus, referendum sit. Earum prima erat Metaphora continua; altera Parabola proprie dicta; tertia erat, quam

¹ Vide MATT. IX. 15. JOH. III. 29. ² COR. XI. 2. EPH. V. 23, &c. APOC. XIX. 7. XXI. 2. XXII. 17.

² Hoc in loco notari meretur quod de Persarum poesi memorat CHARDINUS: ipsius verba apponam. “La debauche et le libertinage font le sujet ordinaire de ces pieces [de Poesie]; mais il faut remarquer, que des Poetes plus sages, comme Afex entr’ autres traite dans ses *Kafel* des plus sublimes matieres de la ‘Theologie affective sous les termes de libertinage et par Allegorie.’” Voyages de CHARDIN. Amst. 1711. 4.^{to} Tom. II. Ch. 14.

Mysticam Allegoriam appellavi, quæ Historicæ veritati sensum sublimiorem superinducit. Iis plane accedo, qui in ultima illa Allegoriarum classe Carmen hoc includunt: quam causam sane facile obtinere possumus, si modo ullus hic detur Allegoriæ locus; nam quin de ipso Salomone hic agatur, deque veris ejus nuptiis, vix est ut dubitari possit. Norunt etiam qui in Vatum Hebræorum scriptis paulo diligentius versati sunt, quam sit ea ratio Poeseos sacræ consuetudini et naturæ consentanea; quæ in vero arguento tractando ultra proximam materiem prospicere amat, et rerum humanaarum descriptionibus divinarum adumbrationem quandam substernere. Argumentum autem huic Canticō præbent Nuptiæ Salomonis, Regis illius Israelitarum, et nomine et re, Pacifici: Sponsa ejus vocatur Salomitis, eodem nomine ad fœmininam positionem converso, quanquam id Judæi perversa pronuntiatione aliquantum obscuraverunt: sonat enim Salomo et Salomitis,ⁱ plane ut apud Romanos Caius et Caia. Non erat præterea hujus appellationis animadversio; habere enim videtur aliquid momenti, nec obscuram continere occulti sensu significationem: quorsum enim Conjugi Salomonis, præter consuetudinem Hebræorum, imponeretur ipsius nomen, nisi ex vi ac notione vocabuli? unde intelligitur, eandem nominis vim in ipso Salomone non esse negligendam, nec in ejus persona unice hærendum. Quænam autem fuerit ea Salomonis Sponsa, non certo quidem constat: verum non absurde conjecterunt Viri eruditii, fuisse eam Pha-

ⁱ שָׁלֹמִית; quod ita Græce exprimi potest: Σολομων, Σωλομιτις. CANT. VI. 12. VII. 1.

raonis Filiam, quam præcipue amavit Salomo. Quidni autem Salomo Ægyptiam uxorem ducens ex hac etiam parte apte adumbraret alterum Illum Pacificum, qui Ecclesiam ex gentibus et alienigenis delectam sibi effet desponsaturus?

Porro de hac Allegoria id solum addam; ejus explicationem aggredienti duo imprimis esse cavenda: primo, ne in omnibus eam nimium urgendo, et minutissima quæque in partes pertrahendo, hominibus cordatis, doctis perinde atque indoctis, ludibrium debat: tum, ut constanter teneat hujus Allegoriæ consuetudinem ac legem in sacris monumentis plene explicateque traditam, permittatque ut, qui ejus auctor fuit, idem sit solus interpres. Hac in parte multum, ut mihi quidem videtur, erraverunt eruditii quidam Viri, qui quæ de Sponfa dicta sunt non solum de universa Ecclesia, sed de piis etiam Animabus privatim interpretantur; (ut alia mittam longe absurdiora;) quod quo nitatur fundamento, aut quomodo cum hujus Allegoriæ analogia a sacris Vatisbus perpetuo servata constare possit, non video.

Supereft ut de hujus Poematis stylo pauca dicenda sint. Pastorale esse hoc Carmen antea indicavi; siquidem duæ Personæ principes² Pastores esse finguntur. Id non abhorrebat ab Hebræorum moribus, qui in curando pecore³ multum erant occupati, neque alienum ducebant a principum virorum dignitate ejusmodi negotiis vacare. Salomonem certe minime dedecebat

¹ BERNARDUS, DURHAMUS, SANCTIUS, BOSSUETUS, &c.

² Vid. Cap. i. 7, 8.

³ Vid. GEN. xlvi. 32, —— 34.

Pastoris munus, cuius Patrem Deus a gregibus ovium ad regnum Israeliticum evexit. Cum autem omnis agrestis et pastoralis vitæ species in se suaque natura sit jucunda, tum Hebræos ex usu et consuetudine, adjuncta etiam dignitatis opinione, præcipue delectabat. Hic vero coloribus ad omnem elegantiam compositis depingitur, summaque lectissimarum imaginum varietate commendatur. Etenim ¹ “ hæc Cantio tota scatet “ deliciis : ubique flores, fructus, pulcherrimarumque “ plantarum copia, veris amœnitatis, agrorum ubertas, “ horti vernantes, irrigui ; aquæ, putei, fontes : odo-“ ramenta, sive arte confecta, sive quæ sponte sua hu-“ mus parturit : adhæc columbæ, turturum voces, mel-“ la, lac, vina liquentia : postremo in utroque sexu “ formæ honestas ac venustas, casta oscula, amplexus, “ amores tam pudici quam blandi : si quid horrescit, “ ut rupes, ferique montes, ac leonum cubilia, totum “ ad voluptatem, ac velut pulcherrimæ tabulæ orna-“ tum varietatemque, compositum.” Quam pulchræ sunt descriptiones cum suavissimo affectu conjunctæ ! ²

קומי לך רעה
יפתיה ולכיה לך :
כי הנה הסתו עבר
הגשם חלף הלהך לו :
הנצחנים נראו הארץ
עת הזמיר הניע
ו��יל החור נשמע הארץ :

¹ BOSSUET. Præf. in CANT.

² Cap. II. 10, — 13.

הנתנה חננה פניה
והgneנים סמדר נתנו ריח;
קומי לך רעה;
יפת' ולכי לך:

“Surge age, Deliciæ meæ!
“Formosa mea, et veni!
“Ecce enim Hyems præteriit;
“Pluvia tempestas transiit, abiit;
“Apparent humi flosculi;
“Tempus adest cantus avium;
“Et vox Turturis in terra nostra auditur,
“Ficus dulci succo condivit fructus suos,
“Et vineæ florescentes odorem diffundunt,
“Surge age, Deliciæ meæ!
“Formosa mea, et veni!

Quanta suavitate conditæ comparationes!

מה יפו דידיך אהתי כליה
מה טבו דידיך מיין
וريح שמניך מכל בשמיון;
נפת חטפנה שפתחיך כליה
רבש וחלב החת לשונך
וريح שלמיהיך כריח לבנוו;

“Quam jucundi sunt amores tui, O foror mea,
“O sponsa!
“Quanto dulciores amores tui vino,
“Et odor unguentorum tuorum omnibus aro-
“matis!
“Labia tua, O sponsa, sunt favi stillantes;

Cap. iv. 10, 11,

“Mel

“ Mel et lac sub lingua tua ;

“ Et odor vestium tuarum sicut odor Libani.

Sunt aliæ nonnullæ, quas operæ pretium erit paulo diligentius exponere. ¹

שְׁעַרְקָ כְּעַדְרַ הַעֲוֵיָם

שְׁגַלְשָׁו ² מַהֲרַ גַּלְעָר :

“ Capilli tui sicut grex caprarum,

“ E monte Galaado emicantium.

Caprarum pili erant molles, nitidi, fulvi, Sponsæ capillis concolores : ³ comparantur pulcherrimi capitum cincinni cum densis caprarum gregibus montem florentissimum ab imo ad summum usque verticem operientibus.

שְׁנִיךְ כְּעַדְרַ הַקְצֹבָות ⁴

שְׁעַלְוּ מִן הַרְחַצָּה

¹ Cap. iv. 1, ————— 5.

² “ Haud proclive esset hujus, ac vocum quarundam sequentium, aliam explicationem exhibere, quam quæ ab interpretibus jamdudum tradita est. Vox hæc in lingua Arabica notat *ascendere, ab inferiore loco in superiorem evadere* : quæ significatio quomodo hic admitti possit, non video. LXX. ἐνθλυφθωσαν, et Cap. vi. 4. ανεφαυνησαν : num a גַּלְהָ ? Sed notio illa, quam exprimit vox *emicare*, æque forsan ac quævis alia huic loco conveniet. Quod si verbum שְׁגַלְשָׁו in prædicta *ascendendi* notione hic sumatur, eum esse sensum oportet, qui supra exprimitur ; nimirum, caprarum greges montem ab imo ad summum usque verticem operire.” H.

³ Vide Cap. vii. 5. et confer 1. SAM. xix. 13, 16. cum XVI. 12. et consule BOCHART. Hieroz. Part. 1. Lib. II. 51.

⁴ “ Verbum קָצֵב notat *refecuit, præcidit* : itaque interpretatione vocis tonsarum, quam plerique adhibent, quamque confirmant omnes Versiones antiquæ, mihi videtur probabilis. Ex eodem, arbitror, verbo derivatur significatio *præcise æqualium* ;

“ quasi

שכלם מתאות
ושכלה אין בהם:

“Dentes tui sicut grex ovium præcise æqualium,
“Quæ e lavacro ascendunt;
“Omnes inter se gemellæ,
“Neque est ulla pari suo orba.

Mirifice exprimitur dentium æqualitas, candor, perfecta compositio, et illæsa series.

כחות השני שפתוחיך

ומדברך נאوه:

“Labella tua sicut filum coccineum;
“Et decorus fermo tuus:
tenuia nimirum et mire rubicunda, commendantia vocis et locutionis dulcedinem et gratiam.

כפלח הרמוני רקטך

מבעד לצמתך:

“quasi præcisæ essent oves, ut æquales fierent. [Vide BOCHART.
“Hieron. Part. 1. Lib. 11. 45.] Estne vero hic sensus huic loco
“satis accommodatus? Nonne candor potius et puritas ovium (ac
“proinde dentium) his duobus membris exprimitur, quam æqualitas,
“quæ duobus sequentibus exprimi videtur?” H.

1 Verbum Arabicum תְּאַמֵּן notat, non modo gemellos parere,
“verum etiam socium habere: unde תְּוָאֵם, conjugatus, et serie con-
“sequens: et חֲמִתֵּן, inquit COLIUS, est Margarita, a nexu; ordo
“margaritarum: quibus imaginibus nihil potest esse significantius
“ad exprimendam pulchre ordinatam et æqualem dentium seriem.
“Cl. MICHAELIS mavult gemelli paræ; respiciens forsan שבללה
“oppositum in proximo membro.” H.

2 “Post velum tuum, inquit Cl. MICHAELIS, ab Arabico צְמַנֵּן,
“constringere: et noto, אלרָאֵם צְמַנֵּן apud GIGGEIUM esse, si-
“pato capite; cui operculum sit inditum.” H.

“ Genæ tuæ, sicut sectio mali punici,

“ Cincinnis tuis intermicantes :

Paulum scilicet capillis velatæ, et sub illa umbra dulcius erubescentes ; ut grana mali punici (quorum color est candor rubore suffusus) intra resectum corticem.

כמנדל דויר צוארכ
בנוי לטלפיות
אלף המן תליי עליו
כל שלטי הגבורים :

“ Collum tuum, sicut turris Davidis,

“ In pinnas extructa ;

“ In qua pendent mille clypei,

“ Arma virorum fortium.

Cervix procera, erecta, excelsa, ad elegantissimas symmetriæ leges exacta ; auro, gemmis, unionibus ornata pulcherrime confertur cum Turre aliqua in arce Sionis, editiore, notæque elegantiæ, nec struætura minus quam supelleætile decora ; ubi varii generis arma ordinate tholæ affixa erant.

שני שדייך כ שני עפריים

חאומי צביה

הרעים בשושנים :

“ Duæ mamillæ tuæ, sicut duo hinnulei,

“ Gemelli capreolæ,

“ Pascentes inter lilia :

I “ Hanc vocem, quæ numeratur inter ἀπαξ λεγομένων, quidam, inquit, R. L. B. GERSHOM, deducunt a תלה, suspendit, et פית, id est, gladii : alii a אלף mille, (puta, clypei :) ita proxime sequens sententia, אלף המן תליי עלי, erit explica-
tio etymologica istius vocis.” H.

venustæ,

venustæ, tenellæ, fororiantes, extantesque in pectore candidissimo. Est **בָּשָׂר** animal eximiæ pulchritudinis, ex ea ipsa nomen habens. Quibus omnibus quid deliciatus, quid exquisitus, quid etiam aptius et expressius, cogitari potest? Quantum perdidimus in aliis bene multis hujus Poematis locis, quorum claritati atque elegantiæ inextricabiles tenebras offudit vetustas?

אִוֶּב

P O E M A J O B I.

PRÆLECTIO TRICESIMA SECUNDA:

D E P O E M A T I S J O B I

A R G U M E N T O E T F I N E.

Cum de Jobi Poemate ejusque natura et constitutione jam agendum sit, video mihi eam quæstionem propositam, in qua summa est opinionum diversitas, prope sola inter eruditos de maxima ejus obscuritate consensio: ut argumentum vel tam difficile, vel toties tractatum, ingredienti quærenda sit excusatio temeritatis. Quanquam autem vel doctissimorum virorum de rebus valde dubiis inter ipsos dissentientium aliquanto levior videri possit auctoritas, eoque minorem invidiam veniamque paratiorem sint habituræ forsan aliorum, quæcunque sint, sententiæ; ea tamen defensione non utar, cum id modo in me recipiam, quod mihi necessario imponit instituti mei ratio; non nova quæram, non eruditorum lites dijudicare ausim, obscura vix sperem illustrare; tantummodo ex

ex locis clarioribus probabilia colligere, eaque quæ mihi videntur aliquo rationis fundamento niti, non quasi comperta ac plane percepta, sed in opinione posita, proponere : cum de Poematis constitutione et partibus satisclare disputari non posse arbitror, nisi quis in tanta opinionum varietate, quæ sit sua potissimum de universo opere sententia, prius explicet.

Inter omnia Sacri Codicis monumenta exstare quodammodo mihi videtur Liber Jobi, quasi singulare quoddam atque unicum ; utpote minimam omnium cum cæteris habens cognationem, nullam cum Israelitarum rebus necessitudinem. Ponitur ¹ in Idumæa scena

¹ Cum valde incerta sunt ea omnia, quæ ex Græcorum monumentis et Geographiæ longe recentioris Eruditii congesserunt, ad indicandam Jobi cæterorumque, qui hic memorantur, patriam et fedes ; aliam prorsus rationem ineundam censeo, et ex Sacris Litteris unice petendam hujuscæ quæstionis solutionem : quæ itaque mihi videntur ad hanc rem illustrandam aliquo modo pertinere, exinde deprompta breviter exponam.

יְהוּןָה, Terra Utzi, est Idumæa, ut plane constat ex THREN. IV. 21. Erat Utz Seiri Choræi Nepos : G E N. XXXVI. 20, 28. I. P A R. I. 38, 42. Seirus tractum montanum cognominem ante Abrahami tempora insederat, sed ejus posteris ejectis regionem occupaverunt Idumæi : G E N. XIV. 6. D E U T. II. 12. Duo alii viri memorantur eodem nomine יהו appellati ; alter Shemo oriundus, alter Filius Nachoris fratri Abrahami ; sed an regio aliqua ex horum alterutro nomen duxerit, omnino non liquet. Est autem Idumæa pars Arabiae Petrææ, Tribui Judæ contermina ad meridiem : N U M. XXXIV. 3. J O S H. XV. 1, 21. adeoque Terra Utzi recte locatur inter Ægyptum et Philistæos, J E R. XXV. 20. ubi ordo locorum in populis recensendis ab Ægypto usque ad Babylonem satis accurate servari videtur ; atque iidem populi eodem fere ordine iterum collocantur, J E R. XLVI, — L.

מִצְרַיִם, Orientales : ita appellantur omnes illæ gentes diversæ, populique miscellanei, (uti vocantur J E R. XXV. 20.) qui inter Ægypt-

Historiæ ; hominis Idumæi casus narrantur ; qui loquentes inducuntur sunt omnes Idumæi, vel finitimi Arabes, ex Abrahami quidem familia plerique oriundi : sermo est pure Hebræus, quanquam auctore, ut videtur, Idumæo ; nam omnes Abrahami posteros Israelitas, Idumæos, Arabas tum Keturæos, tum Ishmaelitas, communi lingua diu usos fuisse veri est simillimum. Idumæos autem, ac speciatim Themanitas, sapientæ fama claruisse, Jeremiæ atque Abdiæ Prophetarum testimonio constat : Baruchus ² etiam hos vel præcipue τοις μυθολογοῖς καὶ τοις εὐηγγελτικαῖς της οὐρανοῦ adnumerat. De Auctore quidem varie opinati sunt Viri eruditi : Eli-

Ægyptum et Euphratem habitant, Judææ circumvicini ad meridiem et orientem ; speciatim Idumæi, Amalekitæ, Midianitæ, Moabitæ, Ammonitæ ; vid. JUD. VI. 3. et ISA I. XI. 14. Ex iis certe Idumæi et Amalekitæ siti erant ad meridiem Judææ ; vid. NUM. XXXIV. 3. XIII. 29. I. SAM. XXVII, 8, 10. Hoc plane modo se res habere videtur : omnis ea regio inter Ægyptum et Euphratem vocabatur Oriens, primum respectu Ægypti, (ubi Israëlitæ sic loqui didicisse censet JOS. MEDUS, Oper. pag. 580.) postea absolute, et sine ulla relatione ad situm loquentis, aut ad rem de qua agitur. Abrahamus dicitur amandâsse concubinarum suarum, hoc est, Keturæ et Hagaræ, filios, קָדְמָה אֶל־אַרְץ קָדְמָה, “orientem versus, in eam regionem quæ Oriens vulgo dicitur :” GEN. XXV. 6. ubi nomen regionis ab ejusdem situ distingui videatur. Salomo perhibetur “sapientia antecelluisse omnes Orientales “et omnem Ægyptum :” I. REG. IV. 30. hoc est, omnes populos vicinos ex ea parte simul sumptos : erant enim qui sapientiæ fama non minimum claruerunt, extra Ægyptum siti, et Judææ vicini ad meridiem, nimirum Idumæi, (vid. JER. XLIX. 7. ABD. 8.) quorum hic habenda erat ratio. Ita Babylonii edicit Jehova ; “Surgite, ascendite in Kedarenos, et vastate filios Orientis :” JER. XLIX. 28. veruntamen ii siti erant Babylonii ad Occidentem.

I JER. XLIX. 7. ABD. 8.

2 BARUCH. III. 22, 23.

huum fuisse, Lightfooti nostri conjectura est; quæ primo quidem aspectu sese aliquantum commendat: videtur enim Eliuu in exordio¹ sui sermonis aliqua ex Auctoris persona afferre. Verum ea Apostrophe melius intelligitur ad Jobum, vel forsan ad seipsum, facta: ad hoc, duobus Distichis manifesto constat, cum cætera omnia ex Auctoris persona soluto sermone efferantur. Altera, quæ plurimum etiam obtinuit, sententia Mose fuisse Scriptorem statuit: quæ alii opinioni solummodo consequens esse videtur; nimirum, Carmen hoc in Israelitarum solatium compositum fuisse, eorumque res aliquo modo adumbrare; quam ipsam esse vanissimam

Jobus igitur et si numeretur inter Orientales, non est tamen propterea necessario locandus in Arabia Deserta.

אֲלִיפּוֹתְהַמָּן, Eliphazus Themanites: erat Eliphazus Esavi filius, et Theman Eliphazi: GEN. xxxvi. 10, 11. ex hac gente proculdubio erat hic Eliphazus. Theman certe est urbs Idumæorum: JER. XLIX. 7, 20. EZEK. XXV. 13. AMOS. I. 11, 12. ABD. 8, 9.

בָּלְדָרְהַשָּׁוּחֵי, Bildadus Suchites: erat Suchacus Abrahami ex Katura filius, cuius posteri inter Orientales numerandi; cum fratre Midiane, et fratri filiis Sheba et Dedane fortasse collocandus: vid. GEN. XXV. 2, 3. Dedan est urbs Idumææ: JER. XLIX. 8. et in ejus limite orientali sita videtur, ut Theman in occidentali; EZEK. XXV. 13. Ex Sheba oriundi Sabæi, in aditu Arabiæ Felicis ad Mare Rubrum: Sheba cum Midiane conjungitur, ISAIA. LX 6. Midianitis autem in eadem est regione non longe a monte Horebo, EXOD. II. 15. III. 1.

צִפְרָהַנְעָמָתִי, Zopharus Naamathites: inter urbes, quæ Tribui Judæ sorte obvenerunt Idumæis conterminæ ad meridiem, numeratur Naama, JOSH. XV. 21, 41. neque alia occurrit hoc nomine: hinc forsan oriundus Zopharus.

אֶלְיָזָרְהַבּוּיִי, Eliuu Buzites: semel tantum occurrit Buz ut nomen loci vel regionis, JER. XXV. 23. ubi cum Dedane et Thema

arbitror: cum morum, rituum, rerum Israeliticarum nulla vestigia, nullam speciem aut umbram reperio. Addo etiam videri mihi stylum Poematis a poetico Moses charactere haud paulum discrepare; pressiorem enim esse, adstrictiorem, breviorem, in poetica sententiarum constructione accuratiorem: quod idem animadvertis potest in Balaami Aramæi Vaticinationibus, hominis item exteri, sed Prophetæ, nec a lingua Hebræa, nec a vero Deo, alieni. Probabiliorum itaque existimo eorum sententiam, qui vel Jobum ipsum, vel aliquem potius ei ætate supparem, Carminis Auctorem statuunt: nam antiquissimum esse omnium monumentorum sacro-

jungitur: Dedan, uti jam vidimus, est urbs Idumææ; Thema erat ex filiis Ishmaelis, qui habitasse dicuntur "a Chavila usque ad Shur, quod est e regione Ægypti;" GEN. xxv. 15, 18. Saulus autem dicitur percussisse Amalekitas "a Chavila usque ad Shur, quod est e regione Ægypti;" I. SAM. xv. 7. Chavila igitur isthac non longe est a finibus Amalekitarum; Amalekitæ autem nunquam sese extenderunt ultra fines Arabiae Petrææ; adeoque Thema urbs, quæ inter Chavilam et desertum Shur, est alicubi ad meridiem, vel ortum hibernum Jûdææ. Thema item Shebæ jungitur, JOB. vi. 19.

His probe perpensis, clare, quantum in hujusmodi quæstione sperare fas est, constare arbitror, Jobum in Idumæa habitasse, omnesque ejus Amicos in Arabia item Petræa, vel in regionibus proxime vicinis, sedes habuisse. Unum hic objicitur: quæritur, quomodo Chaldæi ad Euphratem siti in camelos Jobi, habitantis in Idumæa tam longe distita, impetum facere potuerunt? quod satis esse causæ multis habetur, cur Jobi patriam in Arabia Deserta non longe ab Euphrate collocent. Quid vero prohibet, quo minus Chaldæi juxta atque Sabæi, populi rapinis dediti, et prædæ caufaturmatim longe lateque grassantes, per omnes has regiones, in singulas gentes ac familias potius quam in nationes et regna divisas, adeoque latrociniis semper infestas, impune vagari potuerint, et ab Euphrate etiam usque Ægyptum excurrere? Porro autem ex

rum, ¹ res, fermo, universus character, ipsa denique obscuritas, arguit. De ætate Jobi ipsius, quanquam accurate definiri non potest, non tamen video cur multum dubitemus. Mose antiquorem fuisse, ac æqualem etiam Patriarchis, ipsius longa ætas indicat. Ut cætera taceam hic pertinentia, quæ Viri eruditæ animadverterunt, ante Legem latam eum vixisse probabilius inferri potest ex eo Sacrificii genere, quod Deo jubente offert; septem nimirum juvencos et septem arietes: ² quod in iis regionibus, ea ætate, nondum deleta inter gentes Creationis intra septem dies memoria, obtinuisse, Balaami Aramæi exemplo constat. Nunquam

altera parte quæro, an æque credibile fit, Amicos omnes Jobi, in Idumæa ejusque vicinia degentes, statim inaudire potuisse ea omnia quæ Jobo in Arabia Deserta prope Chaldæam acciderant, ei que protinus accurrere? aut, si eorum aliquos Arabiæ Desertæ incolas fuisse quisquam contenderit, inter se constituere, ut Jobum una viserent, cum certo constet Eliphazum Themane in extrema Idumæa habitasse? Quod attinet ad Ptolemæi *Aistorias*, (sic enim habent exemplaria, non *Aistoras*) non constat id nomen cum Hebræa voce γνω̄ vel una litera congruere. LXX. regionem quidem *Aistoridu* appellant, sed in finibus Idumææ locant; et Jobum ipsum pro Idumæo, Esavi Pronepote, habent. Vide Additamentum LXX. ad finem JOBI.

¹ Contra antiquitatem Poematis, et id quod supra dixi, nullam ei cum Israelitarum rebus necessitudinem intercedere, urgetur. JOB. XXXI. 28. Vide ANONYMI *Liberam et Candidam Examinationem Concionum Episcopi Londonensis*, p. 165. Quæritur, “Ubinam terrarum a Magistratu in crimen Idololatriæ unquam animadversum fuerit, nisi sub œconomia Judaica?” Proponitur argumentum ut palmarium, et auctoritate LOCKII satis fidenter confirmatur. Nos auctoritate LOCKII ipsius multo melius muniti a scriptoris auctoritate ad rationum momenta provocamus. Ad quæstionem respondetur: Sub œconomia Patriarcharum; in familiis et

² JOB. XLII. 8. Confer N U M. XXIII. 1, &c.

in dubium vocata fuisset Historiæ veritas, nisi quibusdam Allegoriarum conqueritoribus tantum placuissent suæ fictiones, ut nihil amplecti vellent quod non umbratile esset et commentitium. Veritatem dico quoad rerum summam: nam sermones omnes, atque alia aliqua fortasse adjuncta poetice ornata esse arbitror, sed nequaquam conficta aut detorta ad extruendam Allegoriam. In ipso Poemate ne minima quidem Allegoriæ indicia comperio: in Prologo¹ si quæ ejusmodi occurserunt, similia ac paria habent etiam Libri Historici. Esse autem Prologum et Epilogum quodammodo extra ipsum opus, et Argumentum Poematis explicare,

sub dominatiū Abrahāmi, Melchizedechi, Jobi, cæterorumque. Ingruente Idolatria, divinitus evocabatur ex Chaldæa Abrahamus; eum in finem, ut fieret pater gentis, quæ ab aliis omnibus divisa Verum Deum coleret, publicum proponeret exemplum puræ religionis, contraque cultum vanorum numinum testimonium perhiberet. Nonne erat igitur Abrahāmi, in sua familia principatum exercētis, proprium officium et munus in Idolatriam animadvertere? Nonne Melchizedechi, Jobi, omniumque tunc temporis in suis tribubus principum, qui veri Dei cognitionem et cultum in communi fere gentium circumvicinarum defectione adhuc retinebant, cavere, ne sui deficerent; coercere delinquentes; obstinatos, et rebelles, et sceleris contagionem propagantes, supplicio afficere? Enimvero in hac ipsa judicis animadversione in Idolatriam, inque eam potissimum speciem, quæ hic memoratur, (cultum nimirum Solis et Lunæ) primævam et omnium antiquissimam, apparet manifestum indicium vetustatis, et nota insignis ævi Patriarcharum. Si quis autem id tribuat poetæ mores ejus ætatis, unde fabulam suam depromsit, accurate imitanti; hoc quidem multo magis ad rem; ad amovendum argumentum pro antiquitate Poematis ex hoc loco sumptum: verum poetæ semibarbaro post Captivitatem Babyloniam scribenti tantam subtilitatem ut concedam, impetrare a me non possum. Porro autem stylus Poematis, quod

¹ JOB. 1, 6, &c. 11. 1, &c. Confer I. REG. XXII. 19, — 22.

manifestum est; an ejusdem cum Poemate et ætatis et auctoris, incertum: sunt quidem in Prologo nonnulla, unde multi certo sibi collegisse videntur, scriptorem Ju-dæum fuisse; quæ tamen non nimium urgenda esse ex-istimo.

Hæc omnia in ambiguo esse, et multis doctissimorum hominum controversiis ultro citroque jactari, minime est mirandum: de præcipuo autem Poematis Argumen-to ac Fine potuisse unquam dubitari, id quidem merito mirari quisquam possit. Nam quanquam multa sint loca valde obscura, multa quæ vereor ut quisquam mortalium satis intelligat; quanquam etiam in rerum et sententiarum nexu, et serie orationis, plerumque præcipua posita sit obscuritas; eo tamen usque tenebris involuta esse omnia, ut nihil in universum clare percipi certeque concludi possit, non est existimandum. Ac longe quidem aliter se res habet. Effulget enim per to-tum una atque eadem, eodem ducens, quanquam sæ-pius intermissa, lux: quam si quis attente sequatur, neque sese ultro tenebris immergit, iisque nimium inhæreat, non dubito quin universi operis feriem, argumentum, et finem, satis clare fit perspecturus. Eam

vel maximum est, præcipue vetustatem sapit; est ejus peculiaris character *αρχαιότης*. Adeo ut, qui id infra Captivitatem Babylo-nicam deprimit, non multo sanius in Hebraicis judicare videan-tur, quam in Latinis Harduinus; qui aurea Virgilii, Horatii, cæ-terorumque poemata ferreis Monachorum sœculis adscripsit.

Quod ad alteram illam difficultatem attinet, cuius solutionem tantopere exoptat; nimirum, qui fieri potuit, ut ab œconomia Ju-daica alienus Deum priorum criminum pœnas filiis reservare diceret; *Job. xxii. 19*: in præsens Horatiano illo versiculo contentus abito Examinatorum omnium Candidissimus:

“*Delicta majorum immeritus lues, Romane.*”

rationem

rationem sequamur paulum, Academicī; et obscuriora suspenso pede transeuntes, clarioribus insistentes diligentius, totum opus pingui, ut aiunt, Minerva percurramus, videamusque, si quam universi argumenti notionem consequi et in animis nostris consignare possumus.

Proponitur exemplum Viri Boni, pietatis conspicuæ, probatæque integritatis, e summo rerum prosperarum fastigio in profundissimas miserias subita ruina deturbati: qui cum primo omnes quibus abundabat facultates, liberosque etiam, amisisset; deinde gravissimo insuper totius corporis morbo laboraret; isthæc omnia æquo animo ac forti Deique reverentissimo sustinuit. “Hucusque, inquit¹ Historicus, nihil deliquerat Jobus, nec indigni quidquam aut insulti Deo attribuerat:” et post secundam Tentationem,² “In his omnibus Jobus labiis suis haud quidquam peccaverat.” Quod notat iterumque urget Historiæ scriptor, quo excitet lectorem eumque attentiores reddat ad sequentia, quæ Poematis argumentum constituunt: nimirum ut animadvertis, num in constantia sua persistitus esset Jobus, quæque adhuc etiam ingruerent mala pari animi fortitudine, parique dictorum modestia et temperantia, esset latus. Accedebat enim jam aliud oneris, quo penitus exploraretur Viri virtus, quod revera, uti suos jam præmonuit scriptor, haud æque firmiter eum sustinuisse deprehendemus: Amicorum nimirum, qui ad eum consolandi animo venerant, iniquæ suspicione, acerbæ accusationes, et importunæ vehementesque altercationes. Hinc exsurgit Poematis Argumentum,

¹ JOB. I. 22.

² JOB. II. 10.

Cum enim, post diutinum eorum silentium, in gravifimos questus et ardentissimam Natalium suorum Execrationem paulo impotentius sese effudisset Jobi dolor; exacerbati subito amicorum animi, mutatae voluntates, et solatia, si quæ secum in sinu reposita attulissent, in contumelias versa. Prior ex tribus illis egregiis Consolatoribus impatientiam ejus corripit; arguit improbitatis; te^ctē quidem et oblique, cum de probis Deus hujusmodi pœnas non sumat; monet non aspernandam esse Dei castigationem. Alter, in alloquendo non lenior, pro concessio ac comperto habet, liberos ejus scelerum suorum pœnas luisse; ipsum, modo innocens sit vel ad misericordiam Divinam confugiat, in integrum restitu^r posse. Tertius eum accusat arrogantiæ, vanitatis, et mendacii, eo quod se contra sociorum accusationes defendat; ad saniorem mentem vitamque sanctiorem hortatur. Omnes de Dei judiciis in malos impiosque semper aperte editis, deque hypocitarum certissimo exitio, multa differunt, haud obscure Jobum pertentes. Quid ad hæc omnia ac singula Jobus? de suis miseriis, de Amicorum inhumanitate, de Dei ab se alienatione, queritur; Deum hominesque testatur, innocentem se opprimi; Deo imparem esse, et justissimam causam obtinere non posse: animosius paulo et contentiousius cum Deo agit, quem probos ac improbos æque plagiis confidere affirmat. His responsionibus multo etiam magis irritati sunt sociorum animi: acrius ac vehementius ad accusandum denuo se accingunt. Jobum impietatis, superbiæ, impotentia, furoris, insimulant: eosdem locos tractant, de Justitia Dei, de impiorum suppliciis, certissimoque post brevem felicitatem excidio: quam sententiam sua patrumque suorum experientia

rientia comprobata fiderent pronuntiant, multisque imaginum ac sententiarum luminibus exornatam gravissime amplificant. Ex parte item Jobi eadem fere cum superioribus, sed multum aucta et exaggerata, retractantur: provocationes ad Deum, gravissimæ expostulationes, integritatis suæ contestationes; de amicorum crudelitate, de vitæ humanæ vanitate, de suis miseriis, questus, mœror, desperatio: spem tamen ultimam in Deo sese reponere fiderent testatur; quanto autem fortius impiorum pœnas objecissent adversarii, tanto pertinacius Jobus eorundem impunitatem perpetuamque usque ad mortem securitatem felicitatemqueⁱ regerit et confirmat. His commotus prior Censorum Eliphazus ad apertas criminationes et contumelias descendit: hominem integerrimum gravissimorum criminum acriter accusat; injustitiae, rapinæ, oppressionis, reum agit; utque impium virtutis et religionis simulatorem infectatus, postremo ad pœnitentiam hortatur. Eo animosius Jobus ad Dei Tribunal provocat, utque coram ipso causam suam agere sibi liceat, exoptat: de Dei in se severitate impatientius queritur, de sua iustitia fidentius gloriatur; deinde suam de impiorum impunitate sententiam acrius tuetur. Ad hæc alter Triumvirorum Bildadus ornate sed breviter de Dei maiestate et sanctitate solummodo differit; audaciam Jobi clam exagitans, qui ad eum provocare ausus esset. Bildadum irridet Jobus; et infinitam Dei potentiam et sapientiam fusius et ornatius exponit. Cum autem nihil reponeret Tertius, cæterique penitus tacerent; veram

ⁱ Sunt quidem Capita xxii, et xxiv, ex obscurioribus; sed mihi videtur ingeniosa et probabilis Cl. SCHULTENSII Interpretatio in hanc sententiam.

tandem animi sui sententiam de impiorum forte aperit : non esse stabilem eorum felicitatem ; ipsos eorumque posteros Deum injustitiæ Vindicem subito quandoque experturos. Sed in his omnibus Divinam Sapientiam ab hominibus nullo modo per vestigari posse ; summam autem hominis Sapientiam in Dei timore positam esse. Priorem gloriam et felicitatem, cum præsenti sua miseria et dedecore comparatam, amplificat. Postremo contra Eliphazi criminationes, cæterorumque iniquas suspicione, vitæ anteactæ rationem singulatim reddit, suam in omnibus officiis spectatam integritatem coram Deo hominibusque testatur, iterumque ad Deum Judicem provocat.

Hæc si vere ex universa orationis serie colligantur, quatenus eam per loca apertiora minusque perplexa incedentes investigare ac consequi possumus, non difficile erit hujuscce partis, quæ Disputationem inter Jobum et Triumviros continet, Argumentum statuere. Quæstio itaque est, De Jobi Pietate et Integritate ; an, qui tam insigni Dei judicio tantis malis conflictetur, proprio et insonte haberri possit. Ea in latiorem controversiæ campum quæstionemque minus definitam deducit, De Dei consilio in hujuscce vitæ miseriis et felicitate dispensanda. Amici, Jobum videntes tam graves pœnas luentem, hominem simulatæ pietatis accusant, et atrocioris alicujus sceleris reum falso arguunt : Jobus nullius sibi flagitii conscius, et inquis eorum criminationibus lacefitus, integritatem suam fidentius et pertinacius quam homini fas est coram Deo tuetur, atque ita se fæcum esse contendit, ut Deum ipsum injustitiæ videatur insimulare,

Status hic Controversiæ clarissime explicatur in sequentibus : nam cum Triumviri Jobo respondere defiſſent, ¹ “eo quod justus ſibi videretur,” hoc eft, quod ſe nullius ſceleris reum eſſe, quo tam graves Dei vindicis iras commeruiſſet, conſtanter contendederet ; prodiſ Elihuuſ in utroſque commotuſ ; in Jobuſ, ² quod “ſeſe præ Deo iuſtificaret,” hoc eft, ita ſuæ iuſtitiaſ cauſam defenderet, ut Deum iſpum iuſtitiaſ arguere videretur ; in Triumviros, ³ “quod cum nihil habe-“ rent quod Jobo responderent, eum tamen condeſna-“ rent ;” nimirum quod inique ſecum ſtatuerent, Jobuſ impium eſſe et flagitioſum, cum tamen illius gra- viſſimis innocentiaſ ſuæ aſſeverationibus nihil haberent quod reponerent, aut quo, rebus factiſque prolatiſ, eum ſceleris reum arguere poſſent.

Ad eundem controverſiæ ſtatum plane conformatur Elihi Aetio : De ſe enim pauca præfatus, ſe alia ratione, ſine odio aut favore, cum Jobo aeturum profite- tur. Caſtigat itaque Jobuſ, iſpiuſ verbis prolatiſ, quod ſuæ iuſtitiaſ nimium tribueret ; quod ſe omnis delicti ac pravitatis immunem affirmaret ; quod cum Deo contentioſius ageret, eumque hostili erga ſe animo eſſe dictitaret. Deum non neceſſe habere omnes confilii ſui rationes hominibus exponere : multis tamen modis monere mortales, nocturniſ ſciliſ revelationibuſ, aut immiſſiſ gravioribuſ morbiſ, quo ſuperbiā eis adi- mat. Jobuſ denuo increpat, eo quod ſe iuſtum eſſe prædicaret, Deum autem iuſtice atque inimice ſecum

¹ Cap. xxxii. 1.

² Cap. xxxii. 2. conſer xxv. 2. xl. 8.

³ Cap. xxxii. 3.

egisse affirmaret: quod quam indecorum quamque indignum esset, ostendit. Tertio Jobo objicit, quod ex bonorum miseriis et malorum felicitate male ac perverse concluderet, nemini prodeesse Religionis cultum: probos etenim propterea calamitatibus diutius conflictari, quod auxilium Divinum vel non quærant, vel non patienter expectent, nec se coram Deo humiliter et submissè gerant; quo uno responso, utⁱ ipse monet, tum Jobi contumacia castigatur, tum trium Censorum malignæ suspicione tolluntur. Postremo Dei consilium in hominibus castigandis aperit; nimirum ut probet eos, ut emendet, ut eorum superbiam frangat; ut contumaces male perdat, submissis autem gratiam præstet: ita jam cum Jobo Deum agere; propterea ipsi cendum, ne Deo minus obsequentem se præbeat, neve ultra in se delictum admittat. Porro ex contemplatione Divinæ potentiae et majestatis ad debitam Numini reverentiam præstandam hortatur. Ad Elihui toties intermissas ac deinde repetitas castigationes nihil respondet Jobus.

Eliuum excipit Dei ipsius oratio; qua, in abditas consiliorum suorum rationes descendere haud dignatus, sed suæ immensitatis stupenda quædam exempla proponens, in eodem quod Elihuus ingressus erat arguento insistit: primo, castigata Jobi temeritate, eum Ignorantiæ arguit; qui suorum operum, quæ vulgo omnibus obversantur, rationem percipere non possit; formationem et naturam terræ, maris, lucis, animalium: deinde ei suam Debilitatem demonstrat; ad edenda in æmulationem Numinis potentiae suæ exem-

ⁱ Cap. xxxv. 4.

pla provocans; tum ad unum atque alterum ex brutis animantibus remittens, quibuscum non ausit contendere; quanto ¹ minus cum Creatore, omnipotente, rerum omnium Domino, nullique obnoxio? Ad hæc Jobus humillime se Deo submittit, suam imbecillitatem atque ignorantiam agnoscit, et cinere aspersus pœnitentiam agit.

Quibus omnibus perpensis, videor mihi vere constitutere posse, hujus Poematis Argumentum esse, Tertiam ultimamque Jobi Tentationem ab Amicis criminantibus factam: cuius eventus est, primo Jobi æstus, indignatio, contumacia; deinde animi sedatio, submissio, pœnitentia: Ejusdem autem præcipuum esse Finem, Ut homines doceat, habita ratione tum humanæ corruptionis, ignorantiae, et debilitatis, tum infinitæ Dei sapientiæ et immensæ majestatis, suis viribus, suæ justitiæ, renuntiandum esse; Deo fidem habendum, et cum summa humilitate et reverentia ei fese in omnibus submittendum.

Illud autem diligenter imprimis animadversum ve-
lim; aliud plane Disputationis inter Jobum et Amicos, aliud universi Poematis esse Argumentum: alium plane esse Poematis, alium universæ Historiæ Finem. Nam quanquam is sit, quem dixi, Finis, id Argumentum Poematis, nihilo tamen minus concedi potest Historiam universam simul sumptam proprie continere Patientiæ spectatae Exemplar et Præmium. Hæc quoniam non satis definite distinctoraque a doctis tractata sunt, id ipsum non minime in causa esse existimo, cur in totam hanc quæstionem tanta inducta sit obscuritas.

¹ Vide Cap. xli. 2, 3.

Non ignoro hoc argumentum ineuntibus quæstiones aliquas occurrere solere, quæ, ut solenni ritu fusius tractentur, quasi suo jure depositant: verum cum eorum pleræque in locis quibusdam obscuris potissimum versantur, quorum non satis adhuc explicata est sententia; nec, quemcunque tandem exitum habituræ sint, eorum quæ statuimus veritatem, quantum video, sunt labefacturæ, iis omnibus supersedendum duxi. Nec vero, quia multa adhuc restant involuta et incerta, est idcirco de apertis et evidentibus dubitandum. Quod ad graviora quædam Dogmata attinet, quæ Viri eruditissimi ex egregio hoc veteris sapientiæ monumento docte et ingeniose confirmarunt; cum ejusmodi sunt, ut vel ex locis itidem obscurioribus potissimum pendeat, vel ad præcipuum Poematis finem, ut mihi quidem videtur, non pertineant, vel cum eo ipso quem jam statui probe constent; ea in disquisitionem vocare multo minus erat consilium. Suffecisse etenim arbitror, quæ hactenus dicta sunt, ei negotio, quod unum a me exigebat instituti mei ratio; et ad quæstionem de hujusc Poematis constitutione et virtutibus, quantum necesse est, aditum aperuisse.

PRÆLECTIO TRICESIMA TERTIA;

P O E M A J O B I

N O N E S S E J U S T U M D R A M A.

De Jobi Carmine eo potissimum confilio instituta nobis est disputatio, ut de ejus natura et constitutione accuratius paulo quæreretur, utque in Poematum Hebræorum censu suus ei certusque tribueretur locus: quod ipsum otiose et præter necessitatem fecisse forsan videbimus; cum res jamdiu constituta sit et præjudicata, et Poema hoc apud eruditos fere omnes et habeatur et appelletur Dramaticum. Verum cum hæc ipsa appellatio, uti antea notavi, sit valde ambigua, non una hoc in loco oriatur quæstio; etenim quærendum est primo, qui de hoc loquuntur Dramate, quam notionem ei voci subjiciunt: quod si certo investigare possimus, nusquam enim quid velint clare explicant, erit tum postea disceptandum, an id nomen sub ea notione jure recteque huic Poemati imponatur.

Poemata appellantur Dramatica, vel ex sola enunciationis forma, cum personæ loquentes ac veluti agentes inducuntur sine poetæ interlocutione; quæ erat antiquis recepta vocabuli notio: vel, quod hodie potissimum

tissimum obtinet, cum sub eadem forma Actio etiam quædam, sive Fabula, exponitur. Prius si volunt, qui Jobi Poema Dramaticum vocant, non repugno; neque vero operæ pretium esset ejusmodi quæstionem pluribus agitare. Profecto qui litigiosus esset, contendere posset, universum opus esse ex forma narrativa et dramatica Mixtum, cum pars Historica ex Auctoris persona prolata negligi non debeat: verum cum ea omnia sint soluto sermone, et mihi videantur argumenti solum loco esse ad explicanda reliqua, neque Poematis partem ullam constituere; quæ autem singulis orationibus præmittuntur vix quidquam majus contineant, quam si nuda loquentium nomina præfigerentur; habent per me licet quod petunt; sit Poema Forma Dramatica compositum. Hoc autem ut concedamus, vix erit satis: sunt qui majus quiddam postulare videntur: loquuntur enim de Rerum Constitutione, de Catastrophe Dramatis; *de oī aīto μηχανή* induci dicunt; quidam etiam Actus Fabulæ numerant; iisdem certe vocibus utuntur, ac si de Tragœdia aliqua Græcorum sermo esset; adeoque cum Carmen Jobi Dramaticum vocant, de ea specie Dramatis loqui censendi sunt, quæ Athenis maxime et exculta est et perfecta. Restat itaque quærendum, an Poema Jobi præcipuas habeat Græci Dramatis proprietates, ita ut ad eandem speciem jure referri possit.

Majorem hanc ac legitimam Dramatici Carminis speciem eo potissimum nomine ab altera illa minore et communi sejungi statuimus, quod, præter Formam Dramaticam, justam atque integrum etiam Actionem sive Fabulam contineret. Atque id quidem ex mente Aristotelis: nam quanquam plures statuat Tragœdiæ partes,

tes, Fabulæ tamen primas tribuit ;¹ hanc principium, hanc finem, hanc omnium maximum, hanc animam Tragœdiæ appellat, sine qua nec nomen suum obtinere, nec omnino esse potest. Fabula autem est Actionis Imitatio, sive rerum gestarum Compositio ; quod post explicat distinctius : Tragœdia, inquit, est Imitatio, non Hominum, sed Actionum, et vitæ, et felicitatis, et infelicitatis : hoc est, præcipuum est hujus Poematis munus, non Mores humanos imitari ; nam nec sola morum imitatio constituit Tragœdiam, et Tragœdia potest esse sine moribus ; sed Actiones, et vitam humanam exprimere ; compositam nimirum aliquam rerum gestarum atque eventuum seriem adhibere, ex quibus ipsis efficitur agentium felicitas et infelicitas. Nam felicitas in actione est ; et finis hominis est actio quædam, non qualitas : quoad mores tales quidam, boni puta aut mali, habemur ; quoad actiones autem felices, aut contra, sumus. Igitur Poetæ non eo constituunt Actionem, ut Mores imitentur, sed Actionis gratia Mores una complectuntur. Haec tenus imitationem Actionis ab imitatione Morum accurate distinxit. Præterea autem eam Actionem² oportet unam esse, integrum, et idoneæ magnitudinis. Porro, ut Fabulæ naturam clarius perspiciamus, notandum est duas esse ejus præcipuas species :³ est enim vel Implexa vel Simplex ; quarum altera continet, vel subitam rerum in contrarium mutationem, vel personæ ignoratæ agnitionem, vel etiam utrumque ; altera neutrum habet, sed continuo quodam et æquabili rerum tenore proce-

I ARIST. Poet. Cap. vi.

² Ibid. Cap. vii.

³ Ibid. Cap. x.

dit.

dit. Omnis autem Fabulæ, adeoque et Simplicis, etsi nihil habeat in eventis valde admirabile et impropositum, est tamen aliquis rerum ⁱ nexus et solutio, et ab una ad alteram harum partium transitus: quod fieri non potest, nisi aliud ex alio sequatur, nisi sit rerum et even-tuum diversorum ordo quidam et series, quæ gradatim ad exitum aliquem perducit.

His omnibus probe expensis, non dubito affirmare, Poema Jobi nullam omnino, ne Simplicem quidem, Actionem continere; sed posito rerum statu certo ac definito, cui ne minima quidem commutatio ab initio usque ad finem Carminis accedit, mores, affectus, sententias, quæ ex eo statu probabiliter vel necessario consequuntur, solummodo imitari. Quid enim? inducitur Jobus e summo felicitatis gradu dejectus, et in gravissimis miseriis constitutus; exponuntur tum Jobi tum Amicorum in eo rerum statu sensus et affectiones. Hoc enim in loco nova oritur Jobi Tentatio, deque ejus constantia durissima omnium quæstio exercetur, quæ verum atque unicum totius Poematis argumentum constituit: nam, qui gravissimas calamitates subito et cumulate ingruentes, paupertatem, orbitatem, et asperrimos corporis dolores, integritatis suæ conscientia fretus, tam fortiter sustinuisse, ut nihil in dictis indecorum sibi extorqueri, nihil de summa sua erga Deum reverentia detrahi, pateretur; queritur, an idem innocentiam suam ac virtutem, cui nimium fortasse tribueret ac plus æquo consideret, in suspicionem et crimen vocari æque patienter ferret. Jobus, acerbissime doloris sensu pene oppressus, fortem suam impotentius

ⁱ Ibid. Cap. xviii.

Iuget:

luget: Amici ejus intolerantiam castigant, de ejus virtute scrupulum ac dubitationem injiciunt, Dei justitiam in puniendis improbis amplificant. Acrius commovetur Jobus; apertius criminantur Amici. Alter ad Deum provocat, cum Deo animosius expostulat; alteri interea jam concitato instant, atque urgent; acerbius accusantes, et indignationem ejus et confidentiam paulo intemperantius se efferentem vehementius exagitantes. Intercedit Elihuus, controversiæ Arbiter: Amicorum acerbitatem, et inique conceptas suspicione, Jobi audaciam et nimium elatos sui fiducia spiritus, castigat. Jobus monentem æquo animo fert, ejus nimirum reprehensione sedatior factus, nec quanquam sæpius expectanti quidquam respondet: Deo autem, suam ipsi temeritatem, debilitatem, et ignorantiam oculos ponenti, semel atque iterum humillime se submittit, et pœnitentiam agit. Finitur hoc in loco, ut videtis, Jobi Tentatio, in qua periculum erat ne labetur; et Poemati simul finis necessario imponitur, manente adhuc eodem fine ulla mutatione rerum ac fortunarum ejus statu. Est sententiarum magna varietas, sunt morum pulchræ imitationes, sunt affectuum insignes motus; magna lis, controversia, disputatio; sed nulla rerum motio aut conversio, nulla Actio.

Vide autem annon ipsa Argumenti conditio omnem Actionem excludat. Ex hoc ipso enim rerum statu, ex cumulatissimis Jobi miseriis, nascitur de ejus integritate dubitatio, eaque suspiciones et criminationes, quibus Jobi indignatio exagitatur et incenditur, quibusque ad expostulandum cum Deo, deque sua virtute fidentius gloriandum, stimulatur; et par erat, ut manente eodem rerum statu ad humilitatem Deique re-

verentiam revocaretur. Fuisse enim valde παρεπονητικόν, si prius in integrum esset restitutus, quam animos submisisset et pœnitentiam egisset. Jobi autem Pœnitentia Poemati finem imponit. Neque vero erat necesse, ut quæstio de Dei Providentia et Justitia in ipso Poemate solveretur, vel felici rerum Jobi exitu, vel etiam inducta Divinorum consiliorum explicacione: non enim id primario agitur, neque Argumentum Poematis ipsa per se constituit isthac quæstio, sed ei potius deservit atque subjicitur. Est enim, ut ita dicam, Instrumentum Tentationis: infertur ea Disputatio ad explorandos intimos Jobi sensus, et nudandam latentem superbiciæ labem, quæ in ejus animo infederat. Quamobrem eo minime spectat, uti nec spectare debuit, Dei oratio; neque enim res ipsa aut Poematis ratio postulabat, ut Divinæ Providentiæ institueretur defensio, sed ut Jobi confidentia reprimeretur.

Porro si rerum statum mutas, mutabitur simul Argumenti ratio. Si priorem Historiæ partem, si posteriorem, si utramque includis; jam habes Patientiæ in miseriis omnibus externis ferendis spectatæ, et a Deo tandem amplissimis prœmiis affectæ, insigne documentum: a quo tamen haud paulum discrepat universa Poematis ratio, quod Jobi, Amicorum contumelias et probra intemperanter ferentis, Impatientiam potius exhibet: atque id quidem ex Argumenti necessitate; irritatur enim Jobus, excandescit, de sua sanctitate fidentius, de Dei justitia contentiosius, loquitur, Elihu nimirum monitis Deique castigatione corrigendus: ut hominibus etiam sanctissimis παπεινοφροσύνῃ, et fides in Deum cum summa reverentia conjuncta, commendaretur.

Quod

Quod si quis queratur, nos nimium curiosa vocabuli interpretatione calumniari; et hanc Jobi Tentationem, hanc ipsam Disputationem, Actionis cujusdam speciem habere contendat: alio sane rem deducamus, videamusque, si quis e Græcis Tragicus Poeta simile argumentum eodem modo tractavisset, quid fuisset consequeturum. Non est opus ut vobis notum faciam, quo artificio Sophocles Oedipi Tyranni Fabulam composuit; quanto cum ingenii et judicii acumine, paulatim ac per continuos gradus novorum eventuum, ex ipso rerum statu exsurgentium; horrendum illud arcanum retegitur, quo patefacto, sibi ipsi Oedipus ostenditur, et ex felici fit miserrimus. Ponamus jam Sophoclem alia plane ratione eandem rem tractavisse, et totum Poema eo argumento confecisse, quod nunc extremo Fabulæ Actu continetur. Exhibitetur hic Oedipus in ultimis malis constitutus: patent Affectionum loci pulcherrimi et πειθωτοι: infandi casus miserrima lamentatio; cæcitatis, dedecoris, exilii, calamitas; præsentis doloris acerbitas; præteriorum acerbior memoria; familiarum commiseratio; sui suorumque omnium detestatio, maxime eorum, qui expositum sustulerant, servaverant, eduxerant: quæ omnia poeta pro re attigit:

Iω Κιθαιρων, πι μ' εδεχε; τι μ' ε λαζων
Εκτενες ευθυς; —

quæque sequuntur παθητικατατα. Poterat hæc ipsa dilatare, et uberior fusiusque exornare: poterat adjicere, defervescente paulum primo luctus ardore, culpæ purgationem, innocentiae obtestationem, ignorantiae et fatalis necessitatis excusationem, in Deos et Fortunam

effusissimas querelas. Exsurgit, uti videtis, argumentum grande, splendidum, varium, copiosum, quæstioque gravissima a ratione Jobææ disputationis non valde disjuncta. Poterat eam ipsam forma dramatica iisdem inducitis personis exequi, et justam mensuram Dramatis, ejusque omnes ferme numeros et partes, explere ; una tamen Fabula excepta, qua maxime ipsa Dramatis essentia continetur, et sine qua reliquæ omnes in legitimo Dramate constituendo nihil valuisse : nam ejusmodi Poema Græci *ερνηον* fortasse, aut *κομμων*, aut quidvis potius quam Tragediam appellavissent.

Quod ipsum magis adhuc confirmatur ejusdem Sophoclis exemplo atque auctoritate : nam cum Oedipum denuo in scenam proferret, et eodem fere in loco, quem modo proposui, argumenti sedem poneret, longe tamen alia ratione rem tractavit. Oedipi Colonei nomen habet isthæc Fabula ; estque Simplex, ne videar Jobum voluisse obruere iniqua et invidiosa comparatione cum pulcherrima Implexarum. Inducitur Oedipus cæcus, exul, miseriis confectus : in promptu sunt omnes ii loci, quos indicavi ; fortis suæ lamentatio, Numinum ac Fati accusatio, purgatio criminis, cæterique ; quorum nullum prætermisit, nullum non egrege exornavit poeta : nec tamen hos morum, affectuum, sententiarum locos ipsum Poematis argumentum constituit, sed argumento superinduxit ; seu potius ex ipsa Actione depromxit, quam invenit et contextuit pulcherrimam. Oedipus a filia manu ductus Colonum venit, ibi moritus et sepeliendus, Oraculi monitu ; ita enim fore, ut Athenienses Thebanis bello superiores evaderent. Cum locus facer esset, ægre eum illic consistere patiuntur Athenienses ; Theseus tamen eum

eum in hospitium ac tutelam recipit. Advenit altera filiarum fratrum discordias nuncians ; item adfuturum jam Creontem, ut ex decreto Thebanorum eum in patriam reducat. Adeat Creon ; Oedipo suadet, ut Thebas redeat ; recusanti vim intentat : Theseus Oedipum protegit : intervenit Polynices, ut in bello contra Thebanos Patrem sibi socium adjungat, quæ erat victoriae conditio : abnuit Oedipus, filiumque diris execratur : postremo communicatis cum Theseo Deorum responsis, mortem obit, et ibidem secreto sepelitur. Instruitur hoc modo Actio justa, integra, maximique momenti ; cuius omnes partes eodem spectant, et ad eundem finem perpetuo diriguntur, in quo posita sunt Thebarum et Athenarum fata. Mores, affectus, sententiæ exornant non sustinent Fabulam : ista si tollantur omnia, Actio nihilominus restabit, seque Tragœdia sustentabit ; sublata autem Actione, cætera utcunque restent, una tollitur et omnino extinguitur Tragœdia.

Satis ex jam dictis constare existimo Jobi Poema cum utrovis Oedipo Sophoclis, vel cum alia quavis Græcorum Tragœdia, recte componi non posse, ita ut ad eandem speciem referatur, nisi vel Hebræi vel Græci Poematis constitutio funditus mutetur, nisi vel illuc accedit, vel hinc detrahatur Actio : quod autem ea parte omnino destituitur, qua maxime continetur Dramatis essentia, id pro justo Dramate falso haberi.

Quanquam autem huic Poemati legitimi Dramatis titulum abjudicem, nihil de ejus pretio derogatum eo ; quod ii potius faciunt, qui ad alienam normam id iniuste exigere voluerunt ; unde necesse est vitiosum et inancum videri, quod sane in suo genere est pulcherissimum et perfectissimum. Quæ enim potest concipi in

ejusmodi argumento, difficii et recondito et ab omni actione abstracto, elegantior œconomia? quæ distributio ordinatior? quæ, quantum in tantis vetustatis tenebris cernere possumus, accuratior et subtilior et ad finem consequendum aptior rerum deducatio? Profecto qui reputabit modo, quam parva habuerit initia, quam tarda incrementa ceperit, Græcorum Tragœdia; is nunquam poterit sine summa admiratione intueri tot ante saeculis natum Poema, tam pulchre inventum, tam solerter dispositum, tam perfecte expletum, tam singularis exempli; quod similitudinem atque imaginem quandam Dramatis statim arripuit, unde posteris non difficile fuisset ad ipsum absoluti operis exemplar ascedere; quem certe gradum in hoc genere Græca Poesis multorum annorum studio atque usu ante Æschylum nondum erat adsecuta. Verum utcunque ea res habeat, quicunque tandem Jobo assignandus esset in Græcorum Poetarum choro locus, quibus dispositionis et artificij laudem facile concedimus, apud suos certe principem in hoc genere obtinet: nec refert quo appelletur nomine, sive Didaëticum, sive Ethicum, sive Patheticum, Forma Dramatica Poema, modo in summo Hebrææ Poeeos fastigio et culmine, singulari ac sibi propria fede, collocetur.

PRÆLECTIO TRICESIMA QUARTA:

DE POEMATIS JOBI MORIBUS,

C O N C E P T I B U S, E T S T Y L O.

CUM Poema Jobi pro vero ac legitimo Dramate, cuiusmodi sunt Græcorum Tragœdiæ, minime haberi posse contenderem, eidem tam non modo formam Dramaticam, et in universa dispositione quandam justi Dramatis imaginem ac quasi anticipationem attribui, sed ejus præcipuas etiam, Fabula duntaxat excepta, partes concessi : in his primum locum habet Morum Imitatio.

Mores sunt, secundum quos Tales quasdam esse Personas dicimus ; quibus declaratur, quale sit loquentis propositum, qualis vivendi, agendi, sentiendi ratio. Princeps est in hoc Poemate Jobi Persona, qua exhibetur Virtutis exemplar, quantum humana recipit debilitas, absolutæ ; quod indicat operis Argumentum, plenius autem et perfectius exprimunt ipsius Sermones. Sanctus est, pius, Dei reverentissimus ; integer, et confidens suæ integritatis ; patiens dolorum, sed Stoica ~~anæ~~, seu potius immanitate et stupore, haudquaquam præditus : gravissimis enim malis oppressus luget, queritur,

ritur, mortem exoptat, hoc est, naturæ cedit et obtemperat ; inquis autem Amicorum suspicionibus et acerbis accusationibus irritatus, vehementius excandescit, et in parum decoras cum Deo expostulationes nimia suæ virtutis fiducia abripitur.

Observandum est, primam Jobi orationem, quam ardenter affectuum impetu erumpentem, meras tamen querimonias continere ; esse solummodo **מָלֵיכָ וּלְרוֹחַ אָמָרִי נֹאשׁ**, “verba inania, et dicta desperati ad respirationem quærendam effusa ;” qua excusatione ipse mox utitur ; nullam habere cum Deo actionem, nullam de divina justitia quæstionem, nullam suæ integritatis commemorationem : nec video cur tam dure de hoc loco pronuntient quidam Interpretes. Mihi quidem videtur Poeta summo cum judicii acuminne pariter atque ingenii vi id ipsum effecisse, quod necessario postulabat poematis ratio : ita enim expressit Jobi mœrorem sane humanitus erumpentem, et habitare ratione condonabilem, et in summa carentem delicto, ut hucusque Virtus ejus illæsa constaret ; sed imaginibus adeo atrocibus amplificatum, sententiis tam crebris fervidisque exaggeratum, ut Censoribus non deesset occasio et materia calumniandi : adeoque nec occasione defunt Censores ; hanc enim ipsam doloris intemperantiam castigat Eliphazus, et Jobum solummodo ut parum fortè aperte corripit, graviora oblique significat. Porro Eliphazi increpatione semel etiam lacefitus Jobus, cum de Dei in se severitate jam queritur, adhuc tamen ab acrioribus illis cum Deo expostulationibus sese abstinet, lenioribus querimonij contentus, et peccatum simul ag-

noscens¹. Quocirca quæ in se postea admittit jam aliquantum labascens Viri virtus, duræ illæ et pervicaces integritatis suæ obtestationes, contraque divinam justitiam obmurmurationes, ea omnia sunt Affectus potius quam Morum: arguunt enim, non impium, sed conscientia quidem suæ integritatis, nimiumque confidentem, multo autem magis acerbissimis corporis animique cruciatibus oppressum, et vehementi doloris æstu longius æquo evectum. Cum autem causam suam veluti abjiciunt Triumviri, et ab importunis criminationibus tandem abstinent, quanquam nihil quidquam de sua pertinacia adhuc remittit Jobus, subsidente tamen aliquantum iracundiæ et doloris æstu, redit jam quodammodo ad se, atque animi sui sententiam sedatus paulo et apertius exponit: et profecto etsi erga Deum fortasse arrogantior, est tamen contra Eliphazi accusationes justa et vera pro se Viri defensio. Videte autem primo, quam mirifice exprimitur Jobi confidentia et perseverantia, in causa sua tuenda contra obtrectationes Amicorum:²

חִי אֶל הַסִּיר מְשֻׁפֵּט
וְשָׁדֵי הַמֶּר נְפָשֵׁי;
כִּי כָל עוֹד נְשָׁמָתִ בָּי
וּרוֹחַ אֱלֹהָ בָּאֲפִי;
אֲם תְּדַבֵּרְנָה שְׁפָתִי עֲוֹלָת
וּלְשׁוֹנִי אֲם יְהִנָּה רְמִיתָ;
חֲלִילָה לִי אֲם אַצְדִּיק אַתְּכָם
עַד אָנוּعַ לֹא אָסִיר תְּמִתִּי מִמְּנִי;

¹ Vide Cap. vii. 20.

² Cap. xxviii. 2, ————— 7.

בצדקה החזקתי ולא ארפָה
לא יחרף לבבי מימי;
יהי ברשע אייבָ
ומתקוממי בעול;

“ Ut vivit Deus, qui jus meum amovit ;
“ Et Omnipotens, qui amarore imbuit animam
“ meam ;
“ (Nam omnino adhuc mens mihi constat,
“ Et spiritus Dei est in naribus meis :)
“ Ita nunquam labia mea rem iniquam loquentur,
“ Nec lingua mea quod falsum est proferet :
“ Absit, ut a vobis jus stare pronunciem :
“ Donec expravero, non amovebo a me integrita-
“ tem meam.
“ Justitiam meam firmiter retineo, nec eam di-
“ mittam ;
“ In omni vita cor meum nunquam me probro
“ adficiet :
“ Fiat, sicut improbus, inimicus meus ;
“ Et qui se se incitat contra me, sicut injustus.

Quam autem magnifica, quam augusta, quam pulchra
atque amabilis jam effulget Imago Virtutis, cum vitæ
anteactæ memoriam omnem repetit ! Quæ Viri majestas
et auctoritas ! ¹

בצאתיו שער עלי קרת
ברחוב אכין מושבי :
ראוני נערים ונחברים
וישישם ² כמו עמדו ;

¹ Cap. xxix. 7, — 10.

² “ Elegantissimum loquendi genus ; quo graphice admodum
“ depin-

שְׁרִים עָצְרוּ בַּמְלִיכָה
וְכֹפֶר יִשְׂמַח לְפִיהֶם :
קוֹל נְגִידִים נְחַבָּאוּ
וְלְשׁוֹנָם לְחַנֵּס דְּבָקָה :

“ Cum egrederer ad portam, super urbe ;
“ Cum in foro tribunal constituerem :
“ Viderunt me juvenes, et sese occultarunt ;
“ Et senes assurrexerunt, steterunt :
“ Principes cohibuerunt sermonem,
“ Et ori suo manum imposuerunt :
“ Vox nobilium obmutuit ;
“ Et lingua eorum palato adhæsit :
Quæ beneficentia, liberalitas, in ope ferenda prompti-
tudo ! ”

כִּי אָזֶן שְׁמַעַת וְתַחֲשָׁרָנוּ
וְעַין רָאַתָּה וְתַעֲדָנוּ :
כִּי אִמְלָט עַנִּי מְשׁוֹעַ
וַיְתָהַס וְלֹא עֹזֶר לוֹ :
ברכת אֹבֵד עַלְיָתְבָא
וְלֹבֶן אַלְמָנָה אַרְנוּ :

“ Profecto auris audiebat, et beatum me prædi-
“ cabat ;
“ Et oculus videbat, et testimonium mihi perhi-
“ bebat :

“ depingitur summa illa reverentia, quam imbecilles illi et decre-
“ piti seniores των Μαρκουσιτην, vel transeunti, vel in publico sedenti,
“ præstabant. Non surgebant solum, quod tamen in viris tam pro-
“ vectæ ætatis tamque infirmis permagnum esset, sed et stabant :
“ pergebant continuo id facere, quod vel semel tentasse iis erat
“ difficillimum.” H.

^z Cap. xxix. 11, ——— 13.

“ Quoniam

“ Quoniam statim vindicabam inopem vociferantur;
 “ tem;
 “ Et pupillum, et cui nullus opitulator:
 “ Benedictio pereuntis super me semper descendebat;
 “ debat;
 “ Et cor viduae ut caneret efficiebam.

Quæ Judicis sanctitas et integritas ! ¹

צדק ללבשתי וילבשתי
 במעיל וצניף משפטיך :
 אב אני לאבינוים
 ורב לא ידעת אחקרתך :
 ואשברת מתלוות עול
 ומণינו אשלייך טרף :

“ Justitiam indui, et ipsa me vestivit ;
 “ Instar pallii et tiaræ judicium meum : —
 “ Pater eram egenis ;
 “ Et in causam etiam ignoti solebam inquirere :
 “ Confringebam molares oppressoris ;
 “ Et e dentibus ejus excutiebam prædam.

Quæ puritas et firmissimis principiis fundata Numinis reverentia ! quæ benevolentia denique et humanitas ! ²

ומה חלק אלה ממעל
 ונהלה שדי ממורים :
 הלא איד לעול
 ונבר ³ לפعلي און :

¹ Cap. xxix. 14, 16, 17.

² Cap. xxxi. 2, — 4, 13, — 15.

³ “ נבר, Abalienatio . vel reprobatio, repudiatio : ita enim significat ista vox in Arabica Dialecto. Sed abalienatio nuditur auctoritate LXX Interpretum ; et sensum Hebrææ vocis fatis exprimit.” H.

הלא

חָלָא הוּא יְרַאֲהָ דָרְכֵי
וְכָל צָעְדִי יְסָפֹר :
אָם אָמָאָס מִשְׁפָט עֲבָדִי
וְאֶתְהָי בְּרַבְמָס עַמְדִי :
וְמָה אָעַשָּׂה כִּי יְקֻם אֶל
וְכִי יְפָקֵד מָה אֲשִׁיבָנוּ :
הָלָא בְּבָטָן עָשָׂנִי עָשָׂהוּ
וַיְכֹונְנוּ בְּרַחֲמָת אֶחָד :

“Quæ enim portio a Deo destinata desuper ;
“Et hæreditas ab Omnipotente de excelsis ?
“Annon excidium injusto ?
“Et abalienatio operantibus iniquitatem ?
“Nonne Ille semper videt vias meas ?
“Et omnes gressus meos dinumerat ? —
“Si sprevi causam servi mei,
“Et ancillæ meæ, cum tecum lite contenderent,
“Quid tum facerem, cum surgeret Deus ;
“Et cum visitaret, quid illi responderem ?
“Nonne in ventre, qui me fecit, idem illum fecit ?
“Nonne formavit nos in utero Unus ?

Animadvertis Aristoteles,¹ Exemplum viri egregie Probi ex rebus prosperis in adversas incidentis Tragœdiæ minime convenire ; cum sit μαρτυρ, foedum potius et plane indignum, quam vel miserabile vel terribile : quod quanquam Græcorum scenæ et Ethnicorum hominum sensui valde accommodatum, apud nos tamen semper locum habere, aut in Jobi Poema transferri, vix potest. “Miseratio oritur, inquit Ille, cum immerenti

¹ Vide de Poet. Cap. xiii.

“res adversæ eveniunt :” itaque egregia Virtus in infelicitatem incidens tantum abest ut sit a miseratione aliena, ut potius ad eam commovendam sit imprimis comparata. “Metum incutunt ejus miseriæ, qui nobis est “similis :” unde efficitur, terrorem non habere valde improborum quidem infortunia ; idem vero de eximie bonorum miseriis haud æque consequitur : nam si nobis timemus, cum virtus mediocris affligitur ; multo sane magis, cum egregia. ¹ Ea itaque mihi videtur esse mens Aristotelis, non ut prorsus existimet, Viri egregie Probi valdeque infelicis exemplum sua natura male comparatum esse ad commovendum vel miserationem vel terrorem, sed potius Virtutem Infelicem esse rem in se ipsa indignam planeque detestabilem, et quæ in Scenam proferri non debet : quæ Philosophi sententia oritur ex infana illa humanæ Virtutis æstimatione, in qua eximenda Jobi Poema potissimum occupatur. Sane Persona Jobi, quanquam ad Virtutis consummationem tam prope accedens, satis tamen in se humanæ debilitatis admixtum habere videtur, ut nec probabilitate careat, neque certe in Terrore commovendo suo effectu destituatur. Etenim si mortalium integerrimo in gravissimas miserias incidenti divinæ justitiae omnino obmurmurare sit nefas, quis est, qui coram Deo consistet ? quis, qui se malorum immunem et exortem fore confidet ? Minime au-

I Καὶ τὰς ὄμοιους εἰλεγοτ, καὶ τὸν λίκην, καὶ τὸν ἡγέτην, καὶ τὸν αξιωματάρχην· εὐ πάσοις γαρ τούτοις μάκλιν φαινεται καὶ αὐτῷ αὐτῷ τοις. Εἴ τοις δὲς λαζαρίν, ὅπις δές εφ' αὐτῶν φορεύνται, τοις τοις μάκλιν γιγνομέναις εἰλεγοτ. —— Καὶ μάκλιν τοις απεδαιτες είναι, εὐ τοις τοιουτοῖς κατέροις οὐθεῖς, εἰλεγον· αἴπαντα γαρ ταῦτα, οὐδὲ τοις εγένεται φαινεσθαι, μάκλιν πάσει τοις εἰλεον· καὶ αἱ αναζήσεις τε οὐτόθ, καὶ εὐ οφειλόμεναις ταῦτα πάντας. ARISTOT. Rhet. II. 10.

tem alienus est Terror a fine Poematis, siquidem hoc præcipue inculcatur Documentum, μη ὑπέλασθαι τις φύεται. Et suorum malorum exemplum quam vim habere deberet, præclare docuit ipse Jobus :¹

שְׁמוּ יִשְׂרָאֵל זֶה
וְנַקְיָה עַל חַנְפָּה יִתְעַרְּרָה:
וַיֹּאמֶר צְדִיקָה דַּרְכָּךְ
וְתַהֲרֵךְ יְדֵיכֶם יִסְפֵּף אַמְץָה:

“ Super hoc ipsum attoniti stupebunt integri ;
“ Et innocens adversus hypocritam zelo flagrabit :
“ Sed obstinate persistet in via sua justus ;
“ Et puro manuum augebitur constantia.

Triumviri tales omnino exhibentur, quales Poematis ratio postulabat ; Censores acerbi, severi, irritabiles, a pio solandi proposito in objurgationes et contumelias facile abrepti. Statim ab initio την περιεργείαν μηλεσσήν, et quid ab iis expectandum sit fatis clare indicant : primus quidem sub ipso ingressu aliquam præ se fert lenitatem ;²

הַנְּסָה דָּבָר אֱלֹהִים תְּלַאֲדֵה

“ Si tentemus te adloqui, an ægre latus es ? —
Sed vincit protinus indignatio ;

וְעַצְר בְּמַלְיָן מַי יוּכָל :

“ At cohibere sermones quis valeat ?
Alter subito excandescit :³

עַד אֵן תִּמְלַל אֱלֹהִים
וְרוֹחַ כְּבִיר אָמְרֵי פִּיר :

¹ Cap. xvii. 8, 9.

² Cap. iv. 2.

³ Cap. viii. 2.

“ Quousque

“ Quousque proloqueris ista,

“ Et verba oris tui erunt instar venti vehementis ?

Audi vero Tertium :¹

הַרְבָּ דְּבָרִים לֹא יַעֲנֶה
וְאַם אִישׁ שְׁפָטִים יַצְדָּקָה:
בְּרִיךְ מַתִּים יְחִרְיָשׁוּ
וְתַלְעֵג וְאֵין מַכְלָם :

“ Annon multitudini verborum respondebitur ?

“ Numquid vir loquax habebitur justus ?

“ An mendacia tua hominibus silentium impo-
“ nent ?

“ Et cum irriferis, nemo tibi pudorem incutiet ?

Iniqui, contentiosi, omnia in pejorem partem rapientes :²

הָאֵל יְעוֹת מִשְׁפָּט
וְאַם שְׂדֵי יְעוֹת צְדָקָה :

“ An Deus pervertet jus ?

“ Anrie Omnipotens distorquebit justitiam ?

ubi nota, Jobum nihil quicquam adhuc de divina justi-
tia intemperantius effudisse. ³

אֵף אַתָּה תִּפְרֹאֵת
וְתַגְרַעַ שִׁיחָה לְפָנֵי אֵל :

“ Quin Tu irritam facis Religionem,

“ Et minuis precationem coram Deo :

invidiosum habes alterius confectarium. Superbi, fastuosi,
suæ sapientiæ plurimum tribuentes :⁴

¹ Cap. xi. 2, 3.

² Cap. viii. 3.

³ Cap. xv. 4.

⁴ Cap. xviii. 3, — 5.

מדוע נחשבנו כבاهמה
נטמינו בעיניכם :
טרף נפשו באפו
הלםען ר' חעוב ארץ
ויעתק צור ממוקמו :
גַּת אָרֶר רְשִׁיעִים יְדֻעָּךְ

“Quamobrem reputamur instar bruti pecoris ;
“Impuri habemur in oculis vestris ?
“O lanians seipsum in ira sua !
“Ergone propter Te derelinquetur tellus ?
“Et revelletur rupes e loco suo ?
“Imo vero improborum lumen extinguetur. —

I “Sic LXX. Τι γέρε; εάν συ αποδινύσ, αοιχητός εγείρεται ονπ' ουρανούς;
“Quæ versio, seu potius paraphrasis, et in se venustissima est, et
“Sacri Scriptoris menti, maxime, ut puto, accommodata. Orientales enim, cum superbi alicujus arrogantium retundere volunt,
“in memoriam eum jubent revocare, quam parvi, aut nullius potius momenti, sit ejus, vel alias cujuslibet mortalis, in rerum natura existentia : hæc vel similia usurpantes apophthegmata ;

ما مات محمد قد بورت الامة

“Quid si mortuus est Mohammedes ?

“Erant, qui res administrarent, Imámi (i. e. affecclæ ejus.)

“Et,

ما يعطى الكون لاجلة

“Non deficit rerum natura illius ergo.

“Et,

الرذيا ما دامت لاجد

“Mundus non subsistit propter unum.

Porro ipsissima hæc phrasis adhuc in usu est apud Arabas, qui dicunt, עזבת אל-ארץ, *Defituta incolis, prosperis miserisve, viduata fuit, terra.* Col. 1570.” H.

F f

Nec

Nec verecundior Bildado succinens Zopharus :¹

לֹכַן שְׁעֵפִי יְשִׁיבּוֹנִי

וּבְעָבוֹר חֹשֶׁי בִּי :

מוֹסֵר כְּלָמָתִי אַשְׁמָע

וּרוֹחַ מִבִּנְתִּי יְעֻנְנִי :

“ Profecto cogitationes meæ ad respondendum me
“ stimulant,

“ Et propterea festinus me impellit impetus :

“ Castigationem mihi ignominiosam audiero ?

“ Ergo spiritus intelligentiæ meæ me cogit re-
“ spondere.

Censores autem eandem causam eodem fere modo omnes agunt : Eliphazus quidem, qui lenissime omnium inceperat, in acerbissima descendit convicia, et gravissimas accusationes directe et speciatim Jobo intentat, a quibus cæteri sibi temperant : nam Bildadus locum de Dei majestate et sanctitate bis antea ab altero ornatum, ne nihil diceret, breviter tantum retractans, et Zopharus ad silentium confugiens, socium pariter destituere, et Jobo causam cedere videntur. Satis commode Tribus committuntur obtrectandi partes : nimis angustum fuisset et exile, Persona singularis ; confusum plane et importunum, Cenorum turba. Cæterum Triumvirorum Mores, quantum quidem video, parum inter se discriminantur : Affectuum fane gradationi, quam Morum diversitati, impensius studetur. Quod si aliquam hac in parte varietatem desideret delicata et fastidiosa recentiorum Critica, excusanda est nascentis Poeticæ simplicitas, rerumque gravitate et sententiarum pondere compensanda.

¹ Cap. xx. 2, 3.

Veruntamen Censorum asperitati et intemperantiæ pulchre opponitur et adversatur Elihui lenitas et moderatio: mitis est, pius, æquus, ab acerbitate et adulatione pariter alienus, singulari sapientia præditus, quam Dei gratiæ unice tribuit; quæ omnia multum insuper commendat ætas juvenilis. Ut vero præclare comparati erant Censorum Mores ad irritandum Jobi animum, ita ad eundem sedandum pulcherrime accommodatur Persona Arbitri: in hoc ipso autem posita est Argumenti sedes; in hoc veluti cardine totius Poematis consilium et finis vertitur.

Quem finem haberet Dei Actio, quam consentaneum universæ Poematis rationi et proposito, antea notavi: id modo jam addam, quanquam plurimis tota oratio incongrua, et a re de qua agitur plane aliena, temere visa fit; nemo tamen sententiarum gravitatem a Persona abhorrere, aut tanta majestate ullo modo indignam esse, unquam existimavit.

Altera pars quæ in hujusmodi Poemate præcipue spectari debet est Sententia; quam oportet argumento convenire et apta dictione explicari: *diavolus* vocat Aristoteles, et in Dramatis partibus recenset; non quidem, quasi ejus speciei propriam, sed ut omni Poemati communem, et in omnibus maximi momenti. Mores sunt solummodo Personarum, et Poema omne, quod Personas habet, habere etiam debet Mores: Sententia autem est et Poematis omnis, et Orationis. Habet rationem cum Personarum tum Rerum: quod ad Personas attinet, potissimum versatur in Moribus et Affectionibus exprimendis: quæ jam protuli sunt Sensuum exempla, quoad Mores exprimunt. Restant itaque Affectionum Imitationes, et Rerum Descriptiones: de qui-

bus cum generatim antehac differerem, fieri non potuit quin aliqua ex hoc ipso Poemate proferrem; Diction autem Poetica quam vim haberet in animi motibus citandis, non aliunde melius demonstrare valui, quam petitis ibidem exemplis: quocirca quod superest expediam breviter.

In vehementioribus Affectibus maxime versatur Jobi Poema, dolore, iracundia, indignatione, acerrimisque concertationibus, ad Terrorem concitandum potissimum comparatum, et Sublimitatem imprimis spirans: quo in genere sufficient exempla antehac allata. Nec tamen defunt leniores animorum motus; Luctus et Querimonia ad miserationem commovendam:

אדם ילוד אשר;
קצר ימים ושבוע-רנו:
כzieן יצא וימל
ויברח כצל ולא יumor:
אף על זה פקחת עניך
ואתִי תביה במשפט עמד:
שעה מעליו ויהدل
עד ירצה² כשביר יומו;

“Homo natus de muliere,
“Brevis est dierum, et satur tumultus:
“Ut Flos emicat, et languescit;
“Fugitque ut umbra, et non subsistit,

¹ Cap. XIV. 1, 2, 3, 6.

² “רצח” *Acquiescat*: vel, Donec *satisficerit*; ista enim vox in Dialecto Arabica interdum significat, *Fecit seu præbuit alteri, quod ille gratum habuit*. Sed perinde est altera illa, quæ hic exhibetur, “versio, et vocem Hebræam æque bene exprimit.” H.

“Etiamne

“ Etiamne super hunc oculos tuos aperuisti ?

“ Et Me adduces in judicium Tecum ? —

“ Remove conspectum [ab eo, ut remissionis ali-
“ quid habeat ;

“ Et acquiescat diei suo sicut mercenarius :

totusque ille locus pulcherrimis imaginibus depictus, et
in genere Elegiaco perfectissimus. Acrius postea in-
surgit dolor, sed flebilis identidem et queribundus :¹

עד אתה חניון נפש'

וחדכאונני במלים :

זה עשר פעים חכלימוני

לא תבשו החכרו ל' :

חנני חנני אתם רע'

כי יד אלה נגעה ב' :

למה תרדפני כמו אל

ומבשרי לא תשבעו :

¹ Cap. xix. 2, 3, 21, 22.

2 “ Verbum arbitror esse ἀπαρχὴ λεγομένων, deque eo (ut
“ soleo, cum istiusmodi voces occurrent) Lexicographos Arabicos
“ consului, si quæ forte lux inde effulgeret. Atque illi quidem
“ duobus verbis id explicant; quorum alterum est עגב, *miratus*
“ fuit; alterum חאר, *obstupuit, attonitus fuit*. Unde notabit,
“ *cum stupore miratus est*; (*attonitus fuit*, ut explicat GIGGEIUS;)
“ et loci sensus erit, *Non vos pudet, vestrum in me stuporem testari.*
“ Ait κιμchi affirmaſſe Patrem suum, verbum Arabice fig-
“ nificare עזות פנים, *obdurationem facie*, i. e. *impudentiam*, seu pro-
“ teriam; hoc autem Lexicis, quæ mihi inspicere contigit, con-
“ firmatum non reperio. Quod si ponamus, verbum deduci
“ a, Kimchianæ explicationi utraque lingua, et Hebræa et
“ Arabica, adſtipulabitur; sed verbi forma erit Anomala. Verum
“ tutius fortaffſe erit interpretationi superius posita (obfirmati estis)
“ adhærere.” H.

“ Quousque vexabitis animam meam,
 “ Et conteretis me sermonibus?
 “ Jam decem vicibus me contumelia affecisti;
 “ Non erubescitis, in me usque obfirmati estis. —
 “ Miseremini mei, miseremini mei, O vos amici
 “ mei!
 “ Nam Dei manus me plaga affecit,
 “ Quianam infectamini me, ut Deus;
 “ Neque carne mea satiati estis.

Quantum sibi indulget Spes, in posteræ felicitatis imaginibus formandis quam ingeniosa sit, in fovendis quam credula, in ornandis describendisque quam læta et gestiens, perfecte expressit Jobus post vitæ anteaclæ commemorationem : ¹

וְאָמַר עַם קְנִי אֲגֹעַ
 וּכְחֹלֶל אַרְבָּה יְמִים:
 יְשָׁרֵשׁ פָּתֹוח אַלְיִ מִסּוּ
 וּטָלֵל יְלִין בְּקָצִירִי:
 כְּבָדֵרֶי חֲדֵשׁ עַמְּדִי:
 וּקְשַׁתִּי בְּיָדֵי תְּחִלָּפָה:
 לֵי שְׁמַעוּ וַיְחַלּוּ
 וַיְדַמּוּ לְמוֹעֵצָתִי:
 אַחֲרֵי דְבָרֵי לֹא יְשַׁנוּ
 וְעַלְמָמוֹתָפָמְלָתִי:
 וַיְחַלּוּ כְּמַטְרָר לֵי
 וּפְיהַם פָּעָרוּ לְמַלְקוּשָׁה:

“ Proinde dicebam, In nido meo expirabo;
 “ Et ut arenam multiplicabo dies:

¹ Cap. xxix, 18, — 23.

“ Radix

“ Radix mea fese dilatabit ad aquas ;
 “ Et ros commorabitur in ramo meo :
 “ Gloria mea semper erit mecum recens ;
 “ Et arcus meus in manu mea renovabitur :
 “ Me audient, et expectabunt ;
 “ Et ad consilium meum intenti tacebunt :
 “ Postquam locutus fuero, nihil iterabunt ;
 “ Et super eos stillabit oratio mea :
 “ Et expectabunt me, ut pluviam ;
 “ Et os suum diducent ad imbre ferotinum.

Referri possunt etiam ad Imitationem Affectuum adjuncta quædam, ex intima natura verisque humanæ animæ motibus deprompta, quibus quævis illustratur Descriptio : uno ex multis exemplo contentus ero. Ita à natura comparatum est, ut quæ maxime ex votis, sed præter spem, eveniunt, ea videntes et sentientes vix credamus : de Deo Jobus ;¹

אָמַר קְرָאתִי וַיַּעֲנָנִי
לَا אֶאמְרֵן כִּי יָזֹן קָוְלִי :

“ Si invocavero, et mihi responderit,
 “ Non crederem, quod exaudiverit vocem meam :
 quo egregie expressit cum Dei majestatem et severitatem, tum suam humilitatem et desperationem. ²

אָשַׁחֲק אֱלֹהִים לֹא יָאַמְּנוּ

“ Adridebo eis, non credent :
 inquit Jobus de suis Clientibus ; quo amplificatur ipsius summa gravitas dignitasque cum facilitate conjuncta, simul horum erga ipsum intemerata veneratio.

¹ Cap. ix. 16.

² Cap. xxix. 24.

Uno denique atque eodem adjuncto ad Equum Bellatorem translato mirifice depingitur ardor ejus atque alacritas, pugnæque arrecta cupido :

ברעש ורנו גמא ארץ
ולא יאמין כי קול שופר :
בדי שפר יאמר האח
ומרחוק ריח מלחהה'
רעם שרים ותרועה :

“ Cum trepidatione et fremitu vorat terram ;
“ Nec credit, quod tubæ sit sonitus :
“ Pergente jam tuba, dicit, Euge ;
“ Et a longinquo odoratur prælum,
“ Tonitru principum et clangorem.

Quo ex loco omnium admiratione celebratissimo abunde cernitur, quantum etiam valet in Rerum descriptionibus hoc Poema: simul existimare licet in aliis non nullis non minus evidentem fore sensuum cum rebus convenientiam et proprietatem, si de ipsis Animalibus eorumque natura æque constiterit. Ut de Descriptione aliqua recte judicetur, æque claram ac plane eandem atque ipse scriptor Rei ipsius notionem habere oportet. Omnibus fane mortalibus communis est tonitrus perceptio; videamus quomodo eam expressit Elihuus :

¹ Cap. xxxix. 24, 25.

² Cap. xxxvii. 1, —— 4. In ultima linea legendum videtur **בְּגַעַת**, cum **VULGATO** et **SYMMACHO**: quam emendationem proposuit Vir Doctissimus **RICHARDUS GREY**, de hoc Poemate præclare meritus.

“ Sensus fortasse est, *Neque per vices, aut intervalla, facit ea; nimis mirum tonitrua, et cætera modo memorata; sed continuo, et incessanter:* quæ inter alias notio est verbi in Dialecto Arabicæ.

“ Et

אֶפְלֹזָת יָחֵד לִבִּי
 וַיַּתְרֵךְ מָמָקָמוֹ :
 שָׁמְעוּ שְׁמוֹעַ בְּרָגָן קָלוּ
 וְהַגָּה מְפִיו יָצָא :
 תְּחַת כָּל הַשָּׁמִים יְשָׁרוּ
 וְאוֹרוֹ עַל כְּנָפוֹת הָאָרֶץ :
 אַחֲרֵיו יִשְׁאָגְן קוֹלִי
 יַרְעֵם בְּקוֹל גָּאוֹנוֹ
 וְלֹא יַעֲקֹבָם כִּי יִשְׁמַע קוֹלוֹ :

“ Ob hoc etiam expavescit cor meum,
 “ Et subsultim trepidat e sede sua :
 “ Attente audite vocis ejus fremitum,
 “ Et murmur quod ex ore ejus egreditur !
 “ Sub omne cœlum rectus ejus impetus,
 “ Et lumen ejus in extremas oras terræ.
 “ Post illud rugit vox :
 “ Intonat voce Majestatis suæ ;
 “ Neque investigari poterit, cum audita fuerit,
 “ vox ejus .

“ Et huic notioni congruit expositio R. L. B. G E R S H O M ,
 “ לא יאחרם non differt ea, non moratur ; quicum consentit nostra
 “ Vernacula ; quæ Vulgati et Symmachi interpretationi hoc præ-
 “ stat, quod nullam inducit textus mutationem. Hic etiam for-
 “ san est sensus versionis LXX, οὐκ ἀλλαξάει αὐτές : quanquam id
 “ audientibus tribuere videatur, quod revera est rei auditio.” H.

i “ Vide, an verbum γένεσις unquam construatur cum τοι, nisi in
 “ sensu obsequendi ; quem hic locus non admittit. Satius itaque vi-
 “ detur verbum cum τοι construere, et sententiam hoc modo redi-
 “ dere, Attente audite cum tremore vocem ejus. Tum etiam recte se
 “ habebit in proximo membro vox חגה ; quæ aliter, opinor, esset
 “ constructione plane parallelâ בְּרָגָן τְּאָגָן .” H.

Non

Non est necesse ut in singulis diutius immoremur, cum in hoc Poemate abunde suppetant, et passim occurrant, in omni virtutis atque elegantiæ genere, sensuum, imaginum, ac dictionis pulcherrima exempla. Ut verbo dicam, styli majestas Argumenti granditati, vis atque impetus Affectuum incitationi, respondet; utque cæteris omnibus Hæbrææ Poeseos monumentis facile antecellit hoc Poema rerum dispositione et Oeconomia, ita sublimitate elocutionis totiusque scriptioris elegantia nulli concedit. Imprimis autem, ut nec illud omittam, accurata est et perfecta Constructio Poetica, quod in antiquissimis fere Hebræorum monumentis maxime cernitur: ejus vero rei artificium, uti convenerat Poematis cum dignitati tum etiam longitudini, situm est potius in justa totius periodi conformatione, et accurata distributione membrorum, quam in contrapositione vocum, aut nimium elaborata Parallelismi concinnitate.

Hæc erant, quæ de Sacra Hebræorum Poesi differenda proposueram: quibus exequendis si quid industria consecutus sum, id Vobis, Academici, imprimis deberi profiteor, qui conatus meos boni consulere, et studium meum vestro etiam studio et favore sustentare dignati estis. Profecto cum tecum reputarem argumenti hujuscem magnitudinem et difficultatem, quam et ante prævideram, et magis etiam indies expertus sensi; in quo antecessorum vestigia, et doctorum etiam monita, persæpe deficerent; recondita esset vel in se, vel propter vetustatem, rerum natura, investigatio ardua, subtilis explicatio, anceps assertio, periculosus error: ne conciderem plane animo, Vestra fecit humana-

nitas,

nitas. Intelligebam enim Viris gravissimis atque eruditissimis probari institutum meum, ut neque ab hujusce Disciplinæ consilio, neque a loci dignitate, neque a studioræ juventutis utilitate, alienum: inter Auditores meos eos sæpe numerabam, unde potius et in hoc et in omni literarum genere præcepta petere decuisset: Juvenes autem, ad quos unice pertinebat hujusce muneris ac præceptionis ratio, semper habebam meis consiliis studio suo et frequentia faventes: quæ mihi impertita vestræ voluntatis testimonia nisi in beneficii loco ponerem, fane de me arroganter, de Vobis contumeliose sentirem. Vobis itaque omnibus, Academici, maximas et ago gratias et habeo: semper mihi jucundissima erit vestræ erga me benevolentiae recordatio; neque verendum est, ne id patiar ex animo meo excidere, quod mihi præcipuo honori semper ducam.

Ut autem isthuc revertar, quo maxime spectavit universum præceptionis meæ consilium, Vos, Juvenes Ornatisissimi, mihi jam postremo manendos atque hor-tandos arbitrarer, nisi laudandi potius essetis. Nam Linguam Hebræam, nimium diu neglectam et pene obsoletam, his proximis aliquot annis ita sedulo coluistis, et in cæterarum literarum societatem et communionem tanto studio et consensu revocastis, ut jam iterum summo in honore et celebritate versetur; ut vestro beneficio post longum exilium, statum, existimationem, dignitatem, quasi postliminio recepisse videatur. Pergite itaque his studiis eadem qua cœpistis diligentia, eadem ingenii felicitate, incumbere; nihilque prius habete, quam ut illustretis porro atque propagetis has literas; cum suavेः, elegantes, jucundas, tum summe

summe utiles et fructuosas ; rerum copia locupletes, gravitate admirabiles, sanctitate venerandas ; homine ingenuo et liberali imprimis dignas, ad Theologiæ scientiam adspiranti omnino necessarias ; Vobis ipsis laudi, Academiæ honori, Ecclesiæ emolumento, futuras. Habetis Ducem, ⁱ qui auctoritate, exemplo, præceptis, assiduitate, nunquam vestris commodis atque utilitati deerit ; cum excellenti ingenio Virum, et singulari eruditione, tum summo morum candore, summa facilitate atque humanitate præditum. Vobis Ille immenses Orientis thesauros, amplissimumque scientiæ campum, cursumque ad laudem patefaciet : mihi sufficerit, Hebrææ Poeseos copiam et divitias aliquantum indicasse, et amœniora quædam hujusce Paradisi spatia aperuisse, si forte illuc studia vestra allicere atque excitare possem : quod si intelligerem, Vos in hoc literarum curriculum meo hortatu promptiores unquam descendisse, uberrimum me laboris mei fructum perceperisse existimarem,

ⁱ Virum Cl. THOMAM HUNT, S. T. P. Linguæ Hebrææ Regium, et Arabicæ Laudianum, Professorem.

M E T R I C A E H A R I A N A E

B R E V I S C O N F U T A T I O :

E T

O R A T I O C R E W I A N A.

M E T R I C Æ H A R I A N Æ

B R E V I S C O N F U T A T I O.

CUM Viri admodum Reverendi FRANCISCI HARRI, nuper Episcopi CICESTRENSIS, de Metrica Hebræa Hypothesis ita se doctis quibusdam probaverit, ut persuasum habent, Præfulem eruditissimum germanam veterum Hebræorum poesin, ab annis plus bis mille intermortuam, feliciter jam instaurasse; suamque de hac re sententiam rationibus tam validis firmavisse, ut plane extra omnem controversiam posita sit: profecto qui eam ita adoriri velit, ut solummodo de parte aliqua quæstionem inferat, dubitationem ac scrupulum subinde iniciat, aut unum atque alterum ejus argumentum convellat, “frustraⁱ speraverit se opinionem eorum animis tam alte infixam, tantique Viri auctoritate munimat, exempturum: nedum is fidem impetrabit, qui affirmet se reperisse quod doctissimum Præfulem latuit, nisi validissimis rationibus illius Hypothesin evèrtat, suam confirmet. Missis igitur ambagibus ad rem illico deveniam, et exemplo, quod unum probacionis genus incredulis hac in causa assensum extorquere possit, clarissimo et certissimo ostendam, me jam primum de facto deprehendisse poeseos hujus na-

ⁱ Vide HARRI Prolegomena in Psalmos sub initio.

“ turam

“turam et regulas, easque plane contrarias et pugnantates iis quás ille constituit. Exemplum quo utar erit Psalmus cxr, is ipse quo utitur Harius; qui probe expensus nostram sententiam satis aperiet et probabit, simulque illius rationes omnes funditus evertet.

P S A L M U S C X I .

V E R S .

P E R I O D .

- | | |
|-----------------------------------|-------|
| 1. odéh javóh becól lebáb, | I: |
| 2. besód jesárim véyedáh. | |
| 3. gédolím mayasé javóh, | II. |
| 4. dérusim lecól chephzéhem. | |
| 5. hód vehádar pójaló, | III. |
| 6. vezídkathó yomédeth láyad. | |
| 7. zecér yasáh leníphlotháv ; | IV. |
| 8. chánun vérachúm javóh. | |
| 9. téreph náthan líréáv, | V. |
| 10. jízcor léylám berítho. | |
| 11. coách mayasáv higíd leyámo, | VI. |
| 12. lathéth lahém nachálath góim. | |
| 13. mayasé jadáv eméth umíspat ; | VII. |
| 14. neemánim cól pikúdav : | |
| 15. semúcim láyad léylám, | VIII. |
| 16. yásuím beeméth vejásar. | |
| 17. pedúth | |

17. pedúth salách leyámo; ix.
 18. zívah léyolám berítho.
19. kádof vénorá semó; x.
 20. resíth choćmáh jiráth jávoh.
21. fécel tób lécól yoséhem, xi.
 22. tehilathó yomédeth láyad.

Ex hoc Psalmo Alphabetico secundum literas initiales in suos versiculos distincto, et numeris suis, sine ulla textus emendatione, sine ulla etiam Masoreticarum vocalium mutatione, (nisi quod cum Hario *yavoh* legam,) restituto, colligendi sunt ac statuendi canones Hebraici Carminis.

i. ¹ Primo igitur in Hebræa Poesi pedes non sunt omnes diffyllabi: nam in versibus, 3, 11, 16. — lím

i Præcipui Canones Hariani:

1. "Primo in poesi Hebræa pedes sunt omnes diffyllabi.
- ii. "Quantitatis syllabarum nulla ratio habetur.
- iii. "Ubi par est syllabarum numerus, ejus generis versiculi "Trochaici sunt, in prima syllaba acuendi.
- iv. "Si impar sit syllabarum numerus, pro Iambicis censendi "sunt, et syllaba secunda, ut rhythmus servetur, acuenda.
- v. "Periodi plerumque constant duobus versiculis, saepè tribus "quatuorve, aliquando pluribus.
- vi. "Versiculi ejusdem Periodi, exceptis perpaucis, sunt ejus- "dem generis.
- vii. "Versus Trochaici plerumque pedum numero conveniunt, "sed saepè etiam discrepant.
- viii. "Versus Iambici plerumque discrepant, sed saepè etiam "conveniunt.
- ix. "Singuli versiculi singulos sensus non exponunt.

Vide HARII Prolegom. pag. 27, &c.

G g

maya —,

maya—, cóach maya—, ím bee—, sunt Dactyli; in versibus 13, 14, mayafé, neemá— sunt Anapæsti: contra Harii Canonem 1.

ii. Quantitatis syllabarum semper habetur ratio: nam eadem vox, quotiescumque recurrit, semper est ejusdem quantitatis; exempli gratia, javóh, lecól, semper sunt Iambi, láyad semper Trochæus, mayafé Anapæstus; léyolám perpetuo est Amphimacer: berítho, yomédeth Amphibrachæs: contra Canonem 11.

iii. Versiculi sunt vel Trochaici, qui admittunt Dactylum, vel Iambici, qui Anapæstum: sed neutiquam colligi potest versum ex hoc vel illo genere esse, eo quod impari vel pari numero syllabarum constet: nimirum qui pari syllabarum numero constant, sunt sæpius quidem Iambici, vers. 1, 2, 7, 13, 14, 15, 20; sed interdum Trochaici, vers. 3, 4, 10, 18, 21; et qui impari, sæpius quidem sunt Trochaici, vers. 5, 8, 9, 11, 16, 19; sed interdum Iambici, vers. 6, 12, 17, 22: contra III, et IV.

iv. Versiculi ejusdem Periodi sunt diversi generis, Period. III, IV, VI, VIII, IX, X, XI; paucis exceptis, Period. I, II, V, VII: et qui genere convenient, raro convenient numero syllabarum et pedum; nimirum in Periodo II, et V, primus versus est Trochaicus Dimeter Catalecticus, secundus vero Trochaicus Dimeter Catalecticus; in Periodo VII, primus est Iambicus Dimeter Hypercatalecticus, secundus vero Iambicus Dimeter Catalecticus: unicum datur exemplum, ubi versus genere convenientes syllabarum etiam et pedum numero convenient, in Periodo I; iique sunt Iambici: contra VI, VII, VIII.

v. Periodi omnes duobus tantum versiculis constant: nam rectius *koph* et *reſb* penultimam, *ſhin* et *tau* ultimam, Periodum constituunt; quod vedit Doc-tissimus Cappellus: ¹ contra v.

vi. Singuli versiculi singulos sensus semper exponunt: contra ix.

“ Hæc autem quæ dixi vera esse, ut sunt verissima,
“ constat exemplis hic adductis, et cuivis Psalmos in-
“ spicienti facile liquebit, cum quavis fere pagina ex-
“ empla legenti in oculos incurrent.” ²

¹ Vide C A P P E L L I Crit. Sacr. Lib. i. Cap. xii. ii.

² Vide H A R I I Prolegom. pag. 31. Animadvertisit proculdubio Lector, ad constituerdos duos ultimos Canones nostros, ut et reliquos fortasse plerosque, Propositionem Universalem ex Particulari deduci: nimirum, sic se res habet in hoc Psalmo, ergo sic habet in omnibus Hebraicis Carminibus quibuscumque; in quo Harium sequor; nam ut quod res est plane dicam, ex hac argumentandi ratione, simulque ex Petitione Principii, tota pendet illius Hypothesis.

Valde hæc displicere video Viro Docto T H O M A E E D W A R D S, strenuo Metricæ Harianæ proguegnatori. Is, suæ Dissertationi nuper editæ finem faciens, ait me non satis intellexisse quod oppugnaueram: in quo me habet confitentem reum. Nam quid sit Metrum sine discrimine syllabarum longarum breviumque; quid versus Iambici et Trochaici, Anacreontici, aut quid pedes Iambici et Trochaici, ubi nulla habetur ratio quantitatis syllabarum; hæc me nec tum satis intellexisse, neque adhuc intelligere, plane profiteor. Neque vero magis intelligo, quorsum pertineat Confutatio meæ Hypotheseos, quam ipse ut futilem falsamque dedi; cujusque ipsa futilitas maximo erat contra Harianam Hypothesin arguento. Id argumentum ea sola ratione dilui posse arbitror, si quis ostendat, nostram Hypothesin non iisdem, aut æque claris et certis principiis fundari, ac Harianam: hoc nec fecit Metricæ Harianæ Defensor, neque sane potest facere.

Quæ cum ita sint; cum reconditas Metricæ Hebrææ regulas ex hoc Psalmo feliciter eruerim, vel potius ultra fese offerentes luculenter exposuerim, easque ad Artem facilem, perfectam, sibiique constantem redegerim; principiis æque claris et certis innixus, sed minime mihi eam licentiam permittens, quam sibi prolixe indulget Harius, ut unam eandemque vocem nunc Trochæum, nunc Iambum, nunc dissyllabam, nunc trif syllabam faciat; id jam meo jure ab æquo lectore postulaturus video, ut meam Hypothesin Harianæ præferat: hoc certe me facile impetraturum confido, ut utramque eodem in loco habeat, utriusque parem tribuat auctoritatem; hoc est, omnino N U L L A M.

Quod autem ait, me ἀγαπήσεις egisse, ac pro mea auctoritate, sine ratione, affirmasse, Harianam Hypothesin ex petitione principii omnino pendere: hac invidia ut me liberem, rationibus et exemplis jam paulisper agendum, atque id, quod dixi, breviter confirmandum.

Proponitur Psalmus cxI, in versiculos distributus, et accentibus notatus, unde deducendæ sunt leges Metricæ Hebrææ. Concedamus in hoc Psalmo Versiculos inter se recte distingui; cum sit Alphabeticus, et Periodorum membra sint inter se fere æqualia. Quid autem hoc facit, ad constituendam regulam certam, secundum quam alii permulti dividantur, qui nec sunt Alphabetici, nec satis ordinatam habent et æqualem sententiarum et membrorum inter se distributionem? Adeoque hæc in parte valde laborat isthæc Hypothesis; et multi ex Psalmis Harianis in versiculos distribuuntur, non modo pro arbitrio, ac sine ratione, sed inveniente, imperite, invito Hebrææ Poeseos genio, et contra omnem similitudinem veri. Exemplo sit vel Psalmus I, in quo Auctor tantopere gloriatur. Sed versiculis constitutis, quo jure apponuntur Accentus? cur hoc potius, quam alio modo? unde constat, cum par sit syllabarum numerus, versum esse Trochaicum; cum impar, Iambicum? an ex natura et necessitate versus Trochaici et Iambici? minime; (nam in versibus Trochaicis et Iambicis apud Græcos et Latinos

con-

Simili quodam modo omnem, quæcunque ea fuerit, Hypothesin, quæ Metricæ Hebrææ leges tradere, et Versuum numeros, pedes, et scansionem definire, aggredietur, facile everti posse existimo: nam ei Hypothesi aliam contrariam et omnino repugnantem, sed æque validis argumentis confirmatam, opponi posse persuasum habeo.

Quod ad eorum attinet sententiam, qui Hebraici Carminis artificium in ἐμοιοτελευτοῖς unice ponunt, sive in versuum clausulis similiter d̄finientibus; eam, quam multos habuerit fautores, et eruditos propugnatores, Clericum, Garofalum, Fourmontium, multo tamen esse arbitror omnium vanissimam, quippe cuius

contrarium potius obtinet) sed ex mero arbitrio et decreto Auctoris? Cur itaque non mihi, vel cuilibet alii, æque licet, ut in hoc Psalmo cxi, ita in aliis quibuscumque, contrario plane modo accentus apponere, et ex Trochæis Hærianis Iambos efficere, et contra ex Iambis Trochæos? Qua autem lege numerantur Syllabæ? an secundum Punctationem Masoreticam? minime vero: nam mutatur syllabarum numerus Masoreticus in antecessum: atque id jubente metro, quasi jam ante reperto et legitime constituto; ut ex hoc Psalmo, probe adornato et composito, metri, tum postea reperiendi et constituendi, Canones colligantur. “Sed non recedo a “Punctione Masoretica, nisi cum prava punctione metro offi-“ citur.” Recte quidem, si modo quid sit illud metrum prius pro certo compertum habuisses. Qua autem de causa pedes Trisyllabi ex hoc metro penitus exterminantur? Nimirum, quia, “si qui “tribus syllabis constarent, brevium et longarum discrimen, ra-“tione mediae syllabæ, in Hebræa Poesi necessario locum habe-“ret.” Quidni autem habeat? “At in Hebræa Poesi quantitatis “syllabarum nulla omnino ratio habetur.”

Mirum narras, vix credibile.

“Atqui sic habet; auribus tuis atque oculis crede. Nam ex “hoc Psalmo clare constat, nullam in Poesi Hebræa quantitatis “syllabarum rationem haberet: in quarto enim et quinto versiculo,

vanitas tam manifesto deprehenditur. Nam cum in Carminibus Alphabeticis nonnullis certo definiuntur versuum clausulæ, cumque in iis plane apparet versuum clausulas non esse similiter desinentes, nullam adhibitam fuisse circa ὀμοιοτελευτα curam aut cogitationem; clare id vincitur, Hebraici Carminis artificium in ὀμοιοτελευταις positum non esse.

“ ut alia exempla mittam, brevissimæ syllabæ *le* et *ve* locum obtinent longis debitum. Contra in decimo quinto et vicesimo secundo, *mu* in *semucim*, et *hil* in *tebillato*, brevium vices implet.” Hoc est; ita edicit Harius, licere syllabis brevibus, immo etiam brevissimis, (tales enim eas revera esse ipse agnoscit) in suis Iambicis et Trochaicis metris, passim ubicunque opus est, longarum vice fungi, et longis breviam: ejus rei exemplum in hoc Psalmo primum constituit et sanctit; deinde hujus exempli auctoritate eandem legem ad reliquos transfert: tum autem, cum hic et alibi rei factique rationem poscimus, ad factum ipsum, suum edictum, suaque exempla, provocat. Verumenimvero (instat Ille) ita plane se res habet; “hæc, cæteraque omnia, quæ dixi, vera esse, ut sunt verisimilis, constat exemplis hic adductis; et cuivis Psalmos inspicienti quavis fere pagina exempla in oculos incurrent.” Fateor equidem, Præful Doctissime, Psalmos inspicienti Tuos: sed nihilo proficimus magis; rursum id sumitur, quod est adhuc in quæstione; nam Psalmos Tuos recte vereque in versus, pedes, syllabas, distribui, nondum conceditur.

ORATIO ANNIVERSARIA
IN MEMORIAM PUBLICORUM BENEFACTORUM
ACADEMIÆ OXONIENSIS,
EX INSTITUTO
HONORATISSIMI DOMINI
ET PATRIS ADMODUM REVERENDI
NATHANIELIS DOMINI CREWE,
NUPER BARONIS DE STENE
ET EPISCOPI DUNELMENSIS,
HABITA IN THEATRO SHELDONIANO
VI. NONAS JULII A.D. MDCCL.
A ROBERTO LOWTH A.M. E COLL. NOV.
POETICÆ EXPRÆLECTORE,
ARCHIDIACONO WINTONIENSI.

O R A T I O C R E W I A N A,

Q uod pie ac prudenter a majoribus nostris olim provisum est, Academici, ut in singulis Collegiis Virorum de unoquoque privatim bene meritorum annua fieret recordatio, id jam tandem Viri Illustrissimi Sanctissimique Praefulsi auctoritate atque instituto in Academia pariter obtinet, ut eorum omnium, quorum munificentia res nostra communis in hunc amplitudinis gradum pervenit, grata ac solennis commemoratione communiter et publice concelebretur. Sensit profecto Vir ille sapientissimus, nostrique tum commodi tum dignitatis studiosissimus, non modo ad Academiæ pietatem impri- mis pertinere, ut officii hujuscce religioni quoad posset sancte augusteque satisfaceret, sed et ejusdem plurimum interesse, ut per quos potissimum profecerit quasi praeconis alicujus voce palam testaretur; neque plus gloriæ in illustrissimos hujus Academiæ Patronos ex ipso- rum liberalitate, quam honoris in ipsam Academiam ex tot tantorumque Virorum patrocinio, redundaturum. Hoc vero Illum vel praecipue in animo habuisse arbitror, quod Vos ut ex animis vestris excidat nunquam commissuros esse confido; nimirum omnem magni alicujus beneficij commemorationem simul in se continere admonitionem officii, acerrimosque ingenuorum hominum mentibus admovere laboris, industriæ, virtutis stimulos: ita fore, ut quoties fieret tot tantorumque erga vos meritorum enumeratio, toties attentius cogita,

cogitaretis, quid horum auctòribus, quid Academiæ, quid patriæ, quid humano denique generi, eo nomine debeatis; toties animi vestri gratiæ, non verbis, sed re factisque, referendæ, flagrantiore quadam cupiditate ac desiderio incenderentur.

Cujus ego ut paream voluntati auctoritate vestra ex ipso discessu huc revocatus, post missionem, quam mihi lætiorem dubito an acerbiorem reddiderit vestra, Academici, erga me perspecta benevolentia, et si nihil aliud, hoc certe, quod non ultimum est in hoc negotio, et in quo nemini facile concesserim, affero, animum huic Academiæ longo usu, suavissimo commercio, sanctissima necessitudine, multis magnisque beneficiis cum privatim tum publice acceptis, meritissimo devinctum atque deditum; ejusque salutis, existimationis, famæ, conservandæ, tuendæ, propagandæ, incredibili quadam studio ardenter. Neque porro defuturam mihi in hoc argumento orationem vererer, si rei ipsius amplitudinem ac dignitatem, quantam mente et cogitatione complector, tantam verbis exprimere et dicendo consequi possem.

Equidem cum ex ultima memoria Academiæ nostræ origines atque incrementa repeto, video ejus initia ipsis hujuscæ nationis primordiis ætate finitima, res ejus cum ipsius reipublicæ fortunis fere conjunctas: in difficillimis temporibus maximisque rerum conversionibus, hanc summis hominibus atque potentissimis non parvi æstimatam, hanc optimis præcipuæ curæ habitam: hanc semper primarios in Ecclesia et in Republica viros, hanc Præfules, Optimates, Principes, Reges, ut quisque de patria bene mereri voluit, ita Academiam propensissimo quemque animo amplexum fuisse, eique servandæ,

servandæ, augendæ, amplificandæ, consilia, officia, operas, liberalitatem, promptissime studiosissimeque contulisse. Hanc enim studiorum fuisse domicilium, hanc literarum sedem, hanc fontem scientiæ atque virtutis ; hujus præcipue salute totius regni salutem contineri, unde humanitas, doctrina, religio, in omnes reipublicæ partes derivarentur.

Quod si usque a magno illo ALFREDO, Academiæ nostræ vel conditore vel certe instauratore, initium ducamus, quod fuisse unquam tempus reperiemus, quo non REGUM potissimum nostrorum in eadem vel sublevanda, vel tutanda, vel ornanda, eximiam quandam curam ac solitudinem, favorem etiam et propensissimam voluntatem, testatam fuisse videbimus ? Hi Academiam barbarorum populorum incursionibus afflictam erexerunt ; hi civilibus discordiis concussam stabiliverunt ; hi intestinis dissidiis distractam atque dilaceratam auctoritate, consilio, intercessione, præsentia, compo-suerunt : ab his concessæ immunitates, leges constitutæ, præmia proposita, factæ donationes : hi Collegiorum partim conditoribus præsidio fuerunt, partim ipsi condiderunt. Quid dicam, qui disciplinas constituere, constitutas amplioribus stipendiis augere ; qui exercitatiōnibus nostris coram interesse, et labores nostros atque diligentiam monitis, hortationibus, præmiis, multoque magis oculis atque aspectu ipso, incitare dignati sunt : quid, qui literis ipsis favendo, nostræ simul industriae et honori verissime faverunt ? Quos omnes si singulatim recensere vellem, annales nostros ab ultima memoria ad hunc usque diem percurrere, fastorumque codicillos ordinatim vobis recitare, necesse habereim. Hæc autem quorūsum

quorum pertinent, nisi ut cogitemus, isthac omnia, quae videmus quibusque fruimur, ex eodem sancto augustoque fonte et manasse primum, et perpetuo profluxisse: hanc Academiam Regiae auctoritatis veluti fundamento conditam esse, ejusque praesidio etiamnum niti atque consistere; Regii favoris aura ad hunc dignitatis atque opulentiae portum pervenisse, ejusdemque custodia tutam et securam stationem obtinere: his non modo ejus decus, existimationem, felicitatem, sed salutem, sed vitam ipsam atque spiritum contineri? Neque immerito majores nostri hanc sibi primam laudem et quasi propriam vendicaverunt, ut singulari pietate tantis beneficiis responderent; utque erga Regiam Majestatem fidei, honoris, observantiæ gloria ceteris omnibus antecellerent, suæque nationi perfectum quodam proponerent documentum atque exemplar. Tuemini itaque, Academici, per famam atque fortunas vestras vos obtestor, tuemini hanc laudem illibatam atque illæsam; atque providete, ne ulla unquam hac in parte labes, quam ab animis vestris longissime abesse certo scio, ne vel tenuissima suspicionis macula, nomini vestro inhærescat,

Proxime ab Regibus nostris COLLEGIORUM FUNDATORIBUS, inter quos sunt et Regii nominis, Academicæ grates debentur; qui beneficiis privatim collatis, incredibile dictu est, quantum rem ejus communem atque dignitatem publicam amplificaverunt. Revocate enim animos vestros, Academici, ad illorum temporum memoriam, cum fine certa sede, fine lari bus propriis, homines hic loci literis operam dantes fusi per urbem ac dispersi licenter vagabantur: tabernarum potius

potius ac popinarum inquilini, quam Musarum hospites aut Academiæ cives. Ut commorandi, perinde erat vivendi ratio; neque habitatio, quam mores, solutior. Piget pudetque referre, quæ tum sæpe dominabatur in hoc disciplinæ atque humanitatis domicilio libido atque immanitas; quæ factionum barbaries, qui discordiarum furor, quæ pugnarum atque etiam cædum rabies et licentia: cum in confusa et infinita multitudine, nec satis noti, neque in certos ordines descripti, neque ulli regimini domestico obnoxii, effrenate passim grassarentur. Jam si temporum notis institerimus, reperiemus hanc feritatem tum demum mitescere atque obsolescere cœpisse, cum magni illi literarum patroni vel potius parentes, quorum laudes ad sempiternam memoriam ipsorum in patriam merita propagaverunt, ædes hic complures condidissent ac sodalitia constituisserunt, ubi doctrinarum studiis dediti, non modo sumptibus necessariis atque etiam honestis sustentarentur, sed publicis Academiæ institutis non minus utentes, privata tamen et sua interea disciplinæ descriptione et certa vivendi ratione continerentur; atque in sui Moderatoris quasi patrisfamilias tutelam traditi, propriosque habentes artium non magis quam morum Præceptores, ad omnem humanitatem, virtutem, et pietatem attentius sanctiusque informarentur. His itaque Viris non modo debemus magna ex parte Academiæ nostræ amplitudinem et splendorem, sed quæ Academiam multo magis decorant, vitæ civilioris atque humanioris cultum, tranquillitatem, concordiam, ordinem, moderationem, totiusque institutionis liberalis accuratiorem normam; his debemus peculiarem illam Academiæ Reipublicæ formam, quæ ad gentis etiam

Angl-

Anglicanæ gloriæ pertinet, quamque cum una florentissima Academia Cantabrigiensi, dilectissima nostra Socia atque Compare, communem habemus. Utramque fane Academiam Anglicanam intuens, quot video Collegia, tot numero justas et perfectas Academias, quasi plures civitates uno communis fœderis et societatis vinculo conjunctas; quarum plurimæ multis non minimi nominis apud exterias nationes integris Academiis, ædificiorum splendore, possessionum amplitudine, literariæ supellectilis copia, et, quod maximum est, graviter sancteque constituta institutionis disciplina, singulæ antecedunt. Cogitate modo, Academicæ, quos ex tot tantisque, quibus præter cæteros fruimini, commodis et facultatibus, industriæ, honestatis, atque virtutis fructus, non modo patria vestra, sed universus etiam orbis expectat atque efflagitat. Animadvertisse autem atque tenete eam potissimum boni regiminis rationem et viam, quam vobis aperit ipsa reipublicæ vestræ forma, vobisque præcipue facilem et proclivem reddit. Inde nimurum repetenda est, vel conservatio, vel si qua est opus, emendatio disciplinæ, unde primum instituendæ data est facultas; a singulis in universos, ex familiis in civitatem, ex Collegiis in Academiam, necesse est emanent boni mores. In Vos itaque, Viri Venerabiles, Collegiorum Præfecti, quibus eo nomine primæ etiam regiminis publici partes dantur, in Vos omnium conversi sunt oculi, in Vos ipsa spectat Academia: Vobis se suam integritatem et salutem imprimis debere profitetur; malevolorum convitiis vexata ad vestram fidem et vigilantiam confugit: cum Academiacæ fama vestra conjuncta est existimatio; ad Vos præcipue pertinet disciplinæ Academicæ bene administratæ gloria,

ria, neglectæ atque jacentis in Vos potissimum redundabit dedecus.

Plurimis jam constitutis amplissimeque constructis Collegiis, atque hoc modo a privatis mœnibus in publicum inducta saniore disciplina, privatam etiam magnificentiam similiter consecutus est **P U B L I C O R U M** **Æ D I F I C I O R U M** splendor. Qui quidem inde primum, unde decuit maxime, initium habuit, atque a rebus sacris et ad religionem pertinentibus quasi auspicato incepit. Primum enim ædificium quod sumptuosius et augustius molita est Academia, Schola erat Theologica; in quo opere egregiam experta est munificentiam singularis sui patroni, Celsissimi Principis **H U M F R E D I** **D U C I S G L O C E S T R I A E**, Regis Henrici Quinti Fratris, cui a moribus et naturæ benignitate cognomen Bono vulgo erat inditum. In eodem postea perficiendo larga uia est liberalitate Utriusque **K E M P I**, alterius Archiepiscopi Cantuariensis, alterius Londinensis Episcopi. Ad Scholam facta est accessio Bibliothecæ, quæ ejusdem optimi Principis beneficio superstructa est, et libris pro ea ætate magnifice ornata; accepit enim codices manu exaratos sexcentos, quos ipse in hunc usum ex diversis orbis partibus conquisiverat, ingenti pecunia, uti facile computare possitis ex eo, quod ex illorum numero foli Centum viginti novem, quos primos donaverat, mille librarum pretio æstimarentur. Eidem Bibliothecæ haud multo postea Codices plus centum manu scriptos contulit **R I C H A R D U S L I T C H F E L D U S** Archidiaconus Midlesexiæ: præterea autem idem grandem nummorum summam dedit reparando atque ornando Beatæ Mariæ Templo, uti honestius,

et

et pro sua proque rei dignitate, rem divinam faceret Academia.

Hæc initia optimis auspiciis facta magnis postea incrementis aucta sunt. Nam occasione Reformatæ Religionis cum Bibliothecam Humfredinam qui vehementiore, uti fit, studio purgare aggressi sunt, vastassent potius, suoque instrumento prope omni orbatam reliquissent, huic tandem reficiendæ intentus Illustrissimus **BODLEIUS** ea iniit consilia, quæ exitus habuerunt supra quam ipse sibi primo proposuerat, vel quisquam tum sperare ausus esset, felices. Instaurata enim suis impensis antiqua Bibliotheca, librisque impressis per totam Europam coempts abunde instructa, suadere cœpit Bodleius multis Viris primariis, literatis et literarum fautoribus, uti, si quos haberent libros rariores et Codices manu exaratos, huc eos in publicam utilitatem et fidelem custodiam reponerent. Tantum effecit cum apud amicos suos viri auctoritas, tum ipsius perpetua in conquirendis libris diligentia, in donandis liberalitas, ut brevi opus esset novis ad vetus ædificium accessionibus. Quas cum ipse ample fieri curasset, ejusdem porro consiliis, præsidio, benignitate adjuta Academia magnum insuper molita est opus: inchoatæ sunt Scholæ Publicæ; pecuniæ a Præfulibus et Optimatibus large collatæ. Bodleius interea moriens hæredem testamento instituit Academiam, operique fastigium imposuit; nam tertiam contignationem adjiciendam curavit in perpetuam crescentis Bibliothecæ suæ accessionem. Ita Unius Viri studio, auctoritate, consiliis, eximia liberalitate, paratum est Academiæ nostræ domicilium, ædesque instructæ, quibus commoditatum amplitudine, ædificiorum magnificentia, literarii instrumenti copia, vix alia habet

habet, aut sane unquam habuit, pares. Neque immemrito is Bodleio proprius ac singularis honos tribuitur, ut illius egregia erga Academiam merita anniversaria oratione celebrentur; utque eosⁱ potissimum habeat laudum suarum præcones, qui ingenio, eruditione, copia, usu, facultate, ei officio ornatissime cumulatissimeque satisfacere possint.

Quid ego vobis singula enumerem splendoris incrementa, quæ plurima ex illo tempore Academia accepit; quæ vobis ante oculos versantur, quæque ipsa, me tacente, et loci majestatem prædicant, et patronorum nostrorum munificentiam veluti clarissima voce testantur? Quid vobis Museum Ashmolianum commemorem, ipsius Academiæ impensis pulcherrime ædificatum, Scientiæ Physicæ promovendæ commode ad ornatum, amplissima Officina Chymica instructum, ingentique copia rerum rariorum ad Naturalem Historiam pertinentium a Viro clarissimo **E L I A A S H M O L I O** potissimum dotatum? Quid Hortum Botanicum Illusterrissimi **H E N R I C I C O M I T I S D A N B I E N S I S** sumptibus extructum, Clarissimi **S H E R R A R D I** beneficio, atque ipsius Academiæ larga liberalitate, haud ita pri dem eousque auctum, ut celeberrimorum hortorum Leydensis atque Patavini cæterorumque omnium plane obscureret splendorem, utque nulla in toto orbe Academia quidquam habeat in eo genere simile aut secundum? Quid Typographum Clarendonianum, a Magno **C L A R E N D O N I O** conscriptæ, emissæque in publicum Academiæ cura, immortalis Historiæ fructum; ab Academia Illustrissimo **H Y D I O R U M** nomini merito dicatum; ex qua familia nec adhuc defuerunt Viri

ⁱ **Ædis Christi Alumnos.**

H h

specta-

spectatissimi, quos sibi inter præcipuos Patronos semper adoptaret, neque, uti augurari libet, unquam defuturi sunt, quos porro adoptabit? Quid splendidissimam Bibliothecam RADCLIVIANAM, quam, nequid aliud jam dicam, Vos ipſi nuperrime summa hominum celebritate, summa amplissimorum Virorum frequentia, apparatu in omni genere eleganti atque magnifico, hoc ipso in loco dedicavistis? Quid denique hoc ipsum Theatrum, Viri gravissimi atque sanctissimi GILBERTI SHELDONI Cantuariensis Archiepiscopi singulari constructum munificentia? munus dignum Auctore, dignum Academia; dignum his comitiis celebrioribus, hac ipſa solennitate, hac amplissima atque ornatissima spectantium corona; dignum his auditoribus, alio dicente: quod cum intueor et circumspicio, videor mihi in ipſa Roma, vel in mediis Athenis, antiquis illis et cum maxime florentibus, versari; nisi quod, fidenter hoc dico, neque Roma neque Athenæ tale tantumque Gymnasium Musis et Apollini suo consecratum unquam habuerunt.

Quibus etsi diutius libuiffet immorari, alio tamen me revocaret illorum eximia liberalitas, qui L E C T I O N E S P U B L I C A S instituendo, studentium commodis ipsarumque literarum saluti consuluerunt atque incremento. Quod ne altius repetam, neve ab Alfredo deducam, aut a Lectionibus Linguarum Orientalium Clementis Quinti Romani Pontificis auctoritate fancitis; aut Artium Scientiarumque universarum ab Illustrissimo Principe Johanne Bedfordiæ Duce, Humfredi illius Glocestriensis, et natura et animo in literas benevolo, germano Fratre; aut Sacrae Theologiæ ab Edvardo

Quarto

Quarto Rege, constitutis : quæ omnes jampridem ætate obsoleverunt atque perierunt : primum sane quod extat hujusmodi institutum debemus pietati Illustrissimæ Fœminæ, MARGARETÆ RICHMONDIÆ COMITISSÆ Regis Henrici Septimi Matris, quæ in utraque suæ nationis Academia Lectionem Theologicam dotavit : munus pro illis quidem temporibus satis amplum, sed postea CAROLI I. REGIS pientissimi benignitate auctius redditum, et cum in se, tum exemplo suo, utilissimum ; cuius forte imitatione Prælectiones suas publicas septem instituit postea WOLSEY : elati Vir animi summeque excelsi, nihil non magnificentum cogitantis ; quod cogitaverat, nihil non exequi audentis ; cuius infra gloriam consistere vel Reges, qui maxime æmulari vellent, facile patiebantur. Verum hac quidem ex parte HENRICUS VIII. REX, cum Wolseii omnia fisco addicerentur, caducam laudis hæreditatem et libenter adiit, et procurando auxit : nam etsi ex eo numero quinque tantum Cathedras hic loci instituerit, totidem tamen alteri Academiæ dedit ; omnibusque honoraria pro ea ætate ampla assignavit, quanquam postea earum plerasque Reges JACOBUS et CAROLUS I. pro sua in literas benevolentia liberalius et honorificenter dotandas censuerunt. Quæ deinde amplissimorum Virorum in promovendis Scientiis æmulatio et pene certamen ? cum prope uno atque eodem tempore Philosophiam Naturalem educandam atque alendam suscipieret SEDLEIUS, Moralem WHITUS : cum CAMDENUS Historiam, quam ipse immortalibus scriptis illustravit, prædiis perpetuis donaret ; cumque SAVILIUS, quam ipse Geometriæ Cathedram magna cum laude impleverat, eandem cum altera Astronomiæ summis

viris in posterum implendam curaret. Qui Viri, Academic! quanta in Matheſi nomina! Savilio debemus Briggium, Wallisium, Halleum; eidem Savilio, Greavium, Wardum, Wrennum, Gregorium, Keilum; ne nominem, quem posteri nunquam tacebunt. Nec multo post Lectionem Arabicam fundavit LAUDUS, nunquam hoc in loco fine eximio præconio memorandus: magnus Vir, ad literas ornandas et propagandas natus; omniq[ue] invidia major, si ex civilibus turbis, ad quas minus erat a natura comparatus, et ex istis infelicissimorum temporum procellis in otium et tranquillitatem Academicam veluti in portum configisset: ad Academicæ salutem promovendam unice compositus, studiorum fautor, disciplinæ stator, legum et lator et vindex; qui ita Cancellariatum gessit, ut simul gravissimi Censoris severitatem, Parentis amantissimi pietatem, præstaret. Quæ et quanta erat perpetua ejus erga eandem munificentia, testantur insuper Mille trecenti Codices manu exarati, variis Linguis, sed præsertim Arabica, Persica, cæterisque Orientalibus conscripti, ingenti studio et pretio undique conquisiti, et Bibliothecæ Bodleianæ donati: quo in genere nulla alia Bibliotheca Europæa parem thesaurum jactat.

Magna equidem sunt hæc, sed alterius saeculi; — verum bonas literas etiamnum summis uti fautoribus, neque res nostras Augustissimo Patrocinio carere, nuper indicavit amplissimum in eodem liberalitatis genere GEORGII REGIS munus; honorarium Historiæ Recentiori ex fisco assignatum. Neque mihi sane hoc in loco prætereundum est, Illustrissimum CREWIUM, in distribuendis, uti maxime opus esse existimavit, legatis; quibus suam in Academiam voluntatem testataam fecit,

fecit, aliquos ex Publicis Lectoribus suæ munificentiaæ magna ex parte participes esse voluisse.

Quod si rem recte æstimemus, cur alio jamdudum fere deflexit beneficiorum in nos collatorum cursus, hæc maxime in causa fuisse reperiemus; partim Scientiarum docendarum præmia satis ample antehac constituta, partim ipsius Academicæ disciplinæ conditio, studiorumque ratio (dicam quod verum est) in melius mutata. Nam cum primum institui cœperunt hæ ipsæ quas memoravi Lectiones Publicæ, non erat, uti bene noſtis, adeo communis et pervulgata Scientiarum interior et perfectior cognitio, neque ubivis occurrebat qui Artium elementa paulo ſubtilius et copiosius explicare poffet: accedebat bonorum librorum magna paucitas: cogebantur igitur foris quærere quod non habebant domi. Itaque boni adolescentes turmatim itabant ad Scholas; Publicum Professorem quaſi oraculum quoddam audiebant, “intentique ora tenebant:” elapsa propemodum hora, ad alium ac deinde alium ſursum deorū protinus curſitandum erat, hunc e Dialecticæ spinetis ſeſe explicantem, illum fortasse Rheticæ floſculos legentem: tandem aliquando domum ſe conferebant plenos reportantes codicillos, unde, nescio quomodo, magno certe cum labore ex magna rerum farragine, pauxillum tamen quiddam extricabant, quod eſſet ex uſu. Alia autem hodie rerum eſt facies, longe major ſtudiorum commoditas: vigint literæ variæ, multiplices, pervagatores, latiusque diffuſæ; ſuppetit in omni genere librorum copia, cum in Collegiorum Bibliothecis, tum in privatis ſtudentium ſcriniis; non defunt multi in ſingulis Collegijs Præceptores omni eruditioñis laude florentes, quibus

juvenes domi commodius, constantius, diligentius, ordinatius, multo majore denique cum fructu, operam dant: ita ut jamdudum Publici Professoris munus merito plerumque habeatur eximiæ potius eruditioñis insigniumque in literas meritorum præmium, quam magni aut affidui laboris merces. Faciunt itaque perverse et inique, qui ab illis veteres istas elementarias et pene quotidianas præceptiunculas reposcunt; cum nos in studiorum rationem et viam minus utilem minusque expeditam revocatum eunt, vel id ab iis postulant, quod, cum revera maxime volunt, non tamen possunt, non datur exequi. Id potius agant Viri omni ingenii et doctrinæ gloria cumulatissimi, nec suorum Antecelsorum vel clarissimis quicquam inferiores, ut curent, quod nunquam desinunt curare: teneant in literis principatum; studiis nostris præsint; juventuti Academicæ exemplo, auctoritate, hortatu, monitis, ad omnem eruditioñis laudem se se duces præbeant; si quibus major quædam atque eminentior inesse videatur ingenii et virtutis indoles, hos alant, foveant, incitent, præceptis atque institutis, cum publice tum præcipue privatim, adjuvent; edant in publicum egregia suorum studiorum monumenta; proferant interdum in scholas pro sua quisque disciplina aliquid de meliore nota, accuratius et perfectius elaboratum, quod sine graduum aetogulæ discrimine communiter omnes audiamus. Istud quidem ordinare et lege constituere haud scio a Vobis, Academicæ, usquequaque sit liberum; in eorum certe situm est potestate, qui, si ipsi velitis, neque vobis defueritis, omni modo huic Academiæ benefacere, cum possunt, tum maxime etiam volunt.

Hæc idcirco liberius et fidentius dixi, quia, cum Vos omnes eadem mecum privatim sentire persuasum habeo, tum video idem esse Academiæ ipsius de hac re judicium non obscure significatum. Nam cum haud ita pridem Vir Ornatissimus HENRICUS BIRKHEADUS, quem honoris causa nomino, prædia quædam Lectioni Poeticæ hic loci instituendæ liberaliter assignavisset, cumque ea de re legem ferret Academia, totumque hujus institutionis negotium ordinaret, quid quæso fecit? Num ita tulit, uti more illo antiquo atque obsoleto, altero quoque die, Prælector Poetam aliquem, Ovidium puta aut Phædrum, sumeret tyronibus infimæ classis in scholis prælegendum atque interpretandum; quem singulos versiculos grammaticæ résolventem, et digitis dimetientem, circulus omnis, siquem forte convocare unquam potuisset, e vestigio reliquisset? Minime: sed cavit, uti commodis intervallis solenniores quasdam haberet Lectiones; et relicto argumenti delectu libero, libera tractandi ratione, satis ei suum officium commendavit, monuitque, sedulo daret operam, ut quoad posset aliquod vestris omnium auribus dignum promeret. Quod cum Vir summo ingenio et doctrina præditus, qui primus ei muneri præpositus est, ita exequutus esset, ut omnium votis faceret fatis, neque vel ab adolescentium utilitate, vel ab eruditissimorum hominum judicio et comprobatione abhorrerent ejus præceptiones; id, credo, advertens Nobilissimus C R E W I U S, et institutionis hujuscce opportunitatem, quique inde in literas fructus redire posset, experimento edoctus, inter cætera, quæ multis Acade-

I Vir Clarissimus JOSEPHUS TRAPP, S. T. P.

miæ

miæ munia obœuntibus consilio summe prudenti præmia distribuit, huic quoque negotio ampliorem mercedem proponendam censuit.

Ea profecto Summi Viri gravissimique Præfuslis in Academiam nostram supremis tabulis testata benignitas spectatae ejus per omnem vitam munificentiae, perpetuoque in literas favori, omnino consentiebat. Erat illi animus excelsus, liberalis, et imprimis beneficus, cum generis nobilitate, munerumque, quæ in Republica et in Ecclesiâ sustinuit, dignitate, præclare congruens. Politiorem omnem humanitatem artesque elegantiores, quibus ipse abunde instructus erat, præcipue diligebat; severiorum literarum, quas interea diligentissime coluit, non minus fautor: cuius rei indicio sunt multæ atque honestæ pensiones studentibus in Collegio Lincolnensi, quod ipse aliquando rexerat, olim ab eo assignatae. Domus ejus antiqua erat hospitalitate, omnibus patens, egentibus juxta atque illuſtrissimis hospitibus referta: oderat privatam luxuriam, publicam magnificentiam unice amabat, non levitate atque inani ostentatione, sed generosa quadam animi elatione atque instinctu. Bene itaque et ad illius mentem et consilium valde accommodate facitis, Academici, qui hac frequentia, his lætitiæ gratæque voluntatis significationibus, hoc apparatus splendore et magnificencia, hunc ornatis atque celebratis diem: in quo honoris et gratiarum præcipua quædam pars Illi merito debetur, qui inter alia multa, quibus Academiæ prospexit, beneficia, hoc etiam providit, uti cæteris omnibus ejusdem munificentissimis Patronis debiti honores, gratesque persolverentur.

De me, post tantorum Virorum recordationem nihil
fane dicerem, nisi turpe et indignum esset, qui publi-
ca gratiarum actione fungatur, eum suo nomine in-
gratum videri. Ego vero, Academicus, importunus ha-
beri in hoc officio malim, quam negligens; neque fa-
cile ullum unquam aut locum aut tempus alienum pu-
tabo, quo testari possim, quantum Vobis atque huic
Academiæ debeam. Nunc certe, cum Vos postremum
publice alloquor, non possum facere, quin pro vestra
perpetua erga me humanitate atque benevolentia, pro
favore etiam et studio vestro, quod sæpius compertum
habui, gratias quas possum maximas agam, majores
etiam habiturus; meque huic Academiæ sanctissimis
fidei, amoris, observantiæ, pietatis vinculis, magnoru-
mque beneficiorum gratissima memoria, obstrictum
esse suprema voce palam profitear. Hanc ex animo
meo religionem nulla unquam delebit oblivio; et quan-
quam inter vos versari, vestrumque numero adscribi
desinam, non minus tamen voluntate atque animo et
Vester ero et Academicus. Vos itaque, Academicici,
valere, plurimumque salvere jubeo, vobisque omnibus
fausta omnia et felicia comprecor; Deumque Opti-
mum, Maximum, sanctissime veneror, ut hanc Acade-
miam salvam, florentem, perpetuam præstare velit; ut-
que ita ei bene prospereque omnia eveniant, ut ea de
literis, de religione, de Republica, de Ecclesia, de pa-
tria, deque humano genere, et merita est, et meretur.

PRÆLECTIONUM ARGUMENTA.

PRÆLECTIO I.

DE POETICÆ FINE ET UTILITATE.

POETICÆ Proposítum, Prodeſſe Delectando; ut Finis fit Utilitas, Medium Delectatio. Quod illuſtratur exemplis petitis ex diuersis Poefeos generibus; Didaætica, Epopœia, Tragœdia, Oda, Elegia; ex Poefi leviore, quæ vel ad otii oblectamentum, vel ad literarum ornementum, comparata eſt. Attingitur Poefis Sacra; unde ad Argumentum ſpeciatim tractandum aditus aperitur.

Pag. 1, — 22.

PRÆLECTIO II.

ARGUMENTI PROPOSITIO ET DISTRIBUTIO.

Argumenti dignitas, utilitas, et cum Instituti ratione convenientia. Poefin divinitus inspiratam non positam eſſe extra provinciam Criticæ. Hinc petendam eſſe Artis ipfius originem; hinc æſtimandam ejus dignitatem; hinc ortum duxiffe, quæ apud Græcos de Poefeos divinitate opinio percrebuit. Critice agendum: vitandæ diſquifitiones Theologicæ. Argumenti Distributio generalis in Tres partes, ratione Metrorum, Styli, et Dispositionis.

Pag. 23, — 30.

f

P A R S

P A R S P R I M A.

מִזְמֹר

S I V E D E M E T R I S H E B R A E I S.

P R A E L E C T I O III.

P O E S I N H E B R A E A M M E T R I C A M E S S E.

De natura Hebræi Carminis disquirendi necessitas. Poesis Hebræa Metrica esse probatur, ex Carminibus Alphabeticis, versuumque hoc modo definitorum æqualitate et congruentia: ex Dialecto Poetica. Horum versuum proprietates quædam maxime obviæ. Rhythmus autem et Scansio omnino ignota penitusque deperdita: quod ex rei natura evincitur. Poetica Sententiarum conformatio. Græca et Latina Poesis hac in parte ab Hebræa multum discrepat, ex Linguarum natura. Hinc oritur peculiaris conditio Versionum ex Hebræo Carmine oratione soluta quacunque, vel Græcis Latinisque versibus, expressarum. Pag. 31,— 42.

P A R S S E C U N D A.

ל ש

S I V E D E S T Y L O P A R A B O L I C O.

P R A E L E C T I O IV.

S T Y L I P A R A B O L I C I
O R I G O , U S U S , C H A R A C T E R E S ;
A C D E S E N T E N T I O S O G E N E R E .

Stylus Poeticus Hebræis ל ש, sive Parabola, dicitur. Ejus partes, Sententiosum, Figuratum, et Sublime.

me. Styli Parabolici origo, ususque primævus: apud exterios; apud Hebræos. Ejus exempla quædam antiquissima in Mosis scriptis conservata. I. Genus Sententiosum; ejusque ratio et effectus. Pag. 43, — 56.

P R A E L E C T I O V.

D E G E N E R E F I G U R A T O;

E J U S Q U E P A R T I T I O.

II. Genus Figuratum: ejus tractandi ratio, ad mentem Hebræorum potius quam Rhetorum formulas accommodata. Ejus Definitio: præcipuæ partes, Metaphora, Allegoria, Comparatio, Prosopopœia. Hujus tractationis consilium: Hebræorum poesin legentibus quæ ex hac parte incommoda obveniunt; quomodo tollenda. 1. De Metaphora agetur generali disquisitione de Poeticis Imaginibus: quarum natura explicatur; et Quatuor præcipui fontes statuuntur: Natura, Vita Communis, Religio, Historia. Pag. 57, — 64.

P R A E L E C T I O VI.

D E I M A G I N I B U S P O E T I C I S,

E X R E B U S N A T U R A L I B U S.

Frequens usus Metaphoræ dictionem grandem reddit, sed sæpe obscuram: Hebræi Vates frequenti ejus usu sublimitati consulunt sine imminutione perspicuitatis. Cujus rei Tres causæ statuuntur: primo, Imagines transferunt notissimas; tum in earum accommodazione consuetudinem et analogiam sequuntur; postremo iis præcipue licentius utuntur, quæ maxime sunt familiares,

liares, et notissimæ potestatis. Confirmantur hæc exemplis Imaginum (1.) ex Rebus Naturalibus : quæ sunt omnibus hominibus communes ; quæ sunt Hebræis magis quam cæteris familiares ; quæque sunt iisdem propriæ.

Pag. 65, — 76.

P R Æ L E C T I O V I I .

D E I M A G I N I B U S E X C O M M U N I V I T A .

Eadem illustrantur exemplis Imaginum (2.) ex Communi Vita. Ea apud Hebræos admodum simplex erat, qui in agricultura et pecuaria potissimum occupabantur. Harum Artium dignitas ; et Imaginum exinde desumptarum splendor : Tritura, Torcular. Imaginum maxime vulgarium ex ipsa proprietate sublimitas. Explicatur Hebræorum Infernum Poeticum, cuius Imaginem ex Conditoriis sive Cryptis sepulchralibus, quarum aliquæ in Oriente adhuc visuntur, petitam fuisse, ostenditur.

Pag. 77, — 89.

P R Æ L E C T I O V I I I .

D E I M A G I N I B U S E X R E B U S S A C R I S .

Imagines (3.) ex Religione offensioni et obscuritati præcipue obnoxiae. Exempla quarundam, quæ valde deformes haberi possent, tum aliarum, quarum præcipua lateret elegantia, nisi ex suis Sacris illustrarentur. Exponitur P S A L M I C I V . Exordium. Interpretationibus vel accuratissimis parum fidendum : ipsi sunt fontes ad-eundi.

Pag. 90, — 99.

P R A E L E C T I O IX.

D E I M A G I N I B U S E X H I S T O R I A S A C R A.

Imagines (4.) ex Historia Sacra sunt plerumque omnium maxime perspicuae et illustres. Hujusmodi translationum ratio exponitur; quae Hebræis Vatibus est propria. Quocirca earum loci præcipui ordine recententur: Chaos et Creatio; Diluvium; Sodomorum Excidium; Exitus Israelitarum ex Ægypto; Dei in Sinam Descensus. Hoc genus translationis Poesi Sacræ, maximeque Propheticæ, sua natura præcipue accommodatum esse; Poesi Profanæ haud facile competere.

Pag. 100, — 115.

P R A E L E C T I O X.

D E A L L E G O R I A.

II. Allegoriæ Tres formæ: 1. Continuata Metaphora; quam vix est operæ pretium a simplici Metaphora sejungere. Sed notatur licentia Hebræorum in miscendis inter se Metaphoræ, Allegoriæ, et Comparationis formis: item hujusmodi Allegoriæ forma quædam perfectior uno alteroque exemplo proponitur. 2. Parabola: ejus præcipuae conditiones: ut fiat ex Imagine nota, apta, et apertæ definitæque significacionis; ut ex Imagine eleganti et venusta; ut ejus partes omnes et adjuncta perspicua sint et proposito conductant; ut sibi constet, nec translati propria admisceat. Parabolæ Prophetarum, maximeque Ezekielis, ad has leges exiguntur.

Pag. 116, — 128.

P R Æ L E C T I O X I.

D E A L L E G O R I A M Y S T I C A.

3. Allegoriæ Mysticæ Definitio. Ejus fundamen-tum; in Allegoria Judaicæ Religionis positum. Quid inter hanc et duas priores Allegoriæ formas interest; ratione materiæ: illæ quovis Imaginum genere utun-tur, hæc unice locum habet in iis, quæ Hebræorum Sacris aut conjuncta sunt, aut opposita: in illis Imago Proximæ nullam per se habet veritatem; in hac et Proxi-mæ et Remotiori æque competit veritas. In modo trac-tandi quid interest. Pulcherrimus tractandi modus, cum geminæ Imagines per totum Poema deducuntur, sibi invicem perpetuo respondentes, et sese mutuo illustran tes. Cujus generis exempla sunt PSALMI II, et LXXII. Styli Parabolici natura huic generi Allegoriæ valde ac-commodata: hujus Allegoriæ ratio enuntiandis Vatici-niis aptissima. In se valde obscuram esse; sed rerum prædictarum eventu, et uberiore Divinæ Revelationis luce inducta, temporis longinquitate semper clariorem effici.

Pag. 129, — 136.

P R Æ L E C T I O X I I.

D E C O M P A R A T I O N E.

III. Comparationum Tres causæ: Illustratio, Am-plificatio, Varietas. Prima postulat Imaginem notam, perspicuam, accurate congruentem; an grandis sit aut venuusta, parum sollicita: hinc Comparationibus humilibus et folidis parata defensio. Altera Imaginem gran-dem aut venustam, et si minus accurate congruat: unde ab aliis obscuritatis et dissimilitudinis crimen amovetur.

Tertia

Tertia sectatur Imaginem splendidam, venustam, elegantem, cum re cui componitur apte congruentem in Adjunctis, Genere autem ipso ab eadem plane diversam. Perfectissimum Comparationis genus in quo harum Trium permista est virtus. Comparationum forma peculiaris apud Hebræos Vates; ex natura Styli Sententiosi. Sunt frequentes, breves, simplices, in uno plurumque adjuncto insistentes. Diversæ Imagines parallelis sententiis expositæ plura Comparationum paria simul efficiunt: vel diversa ejusdem Imaginis adjuncta in una Comparatione per plura sententiarum paria distribuuntur.

Pag. 137, — 152.

P R A E L E C T I O X I I I .

D E P R O S O P O P O E I A.

iv. Prosopopœiæ duo genera: cum rebus inanimis vel fictis Persona datur; cum veræ Personæ probabilis Oratio tribuitur. De Personis fictis et inanimis: de veris Personis. Explicatur Prosopopœia Matris Siferæ ex Deborahæ Cantico: item, Israelitarum *Empytor* in occasum Regis Babylonii, apud Isaiam, Prosopopœiis unice constans, et omnia Personarum exempla exhibens.

Pag. 153, — 163.

P R A E L E C T I O X I V .

D E S U B L I M I G E N E R E ;

A C D E S U B L I M I T A T E D I C T I O N I S .

III. Quomodo **לְשׁוֹן** continet in se notionem Sublimitatis. Sublimitas Dictionis et Conceptuum. Quid habet Dic̄tio Poetica apud Hebræos, cum in se spectata, tum cum soluta oratione collata, quo mereatur nomen a

I i

Subli-

Sublimitate impositum. Sublimitas Dictionis Poeticæ oritur ex Affectibus. Quantum discrepet Dic̄tio Poetica a soluta oratione apud Hebræos. Singulares quædam Poeticæ Dictionis ac Constructionis formæ ex JOBI Cap. III. exhibentur. Pag. 164, — 176.

P R A E L E C T I O X V.

D E S U B L I M I T A T E D I C T I O N I S.

Poeticæ Dictionis Character porro illustratus diversi generis exemplis petitis ex Cantico Mosis DEUT. XXXII. Personarum frequens et subita mutatio; ejusque causa et effectus. Temporum ratio a vulgari usu sæpe abhorrens: ejus finis Evidentia. Linguæ Hebrææ in hac parte natura quædam peculiaris. Futura sæpe efferuntur in tempore Præsenti Perfecto; et Præterita in Futuro: quorum alterum facile explicatur; alterius magna est difficultas, quam nec Interpretes, nec Grammatici expediunt. Ejus rei exempla quædam proferuntur, et tentatur explicatio. Hujuscē Constructionis frequens usus pro certa Poeticæ Dictionis nota haberi potest.

Pag. 177, — 189.

P R A E L E C T I O X VI.

D E S U B L I M I T A T E C O N C E P T U M.

Sublimitas Conceptuum oritur, vel ex animi elatione, vel ex vehementi affectu; utroque, sive naturali, sive divinitus infuso. Animi elatio cernitur in Rerum, Adjunctorum, Imaginum, magnificentia. Exempla proferruntur ex Descriptionibus Divinæ Majestatis; Operum et Attributorum Dei; cum Dei Potentia per Interrogationem et Ironiam exprimitur. Anthropopatheia ab Hebræis Vatibus ita tractata, ut sit plerumque valde sublimis;

mis; ac tum maxime, cum Imagines in se spectatæ a Dei majestate alienissimæ videri possint: ejus rei causa investigatur.

Pag. 190, — 203.

P R A E L E C T I O XVII.

D E S U B L I M I T A T E A F F E C T U M.

Conceptum Sublimitas ex vehementi Affectu. Quod vulgo dicitur Enthusiasmus, est motus Affectionis naturalis: verus Enthusiasmus est ex impulsu Divino, et Vatum Sacrorum proprius. In Affectionibus exprimendis maxime cernitur Poeseos vis: Affactus concitando Poesis finem suum optime consequitur; sive is sit Utilitas, sive Delectatio. Quomodo fit utilis Affectionis Concitatio; quomodo jucunda, etiam eorum, qui dolorem secum habent conjunctum. Sublimis et Pathetici differentia et cognatio. Sacræ Poeseos Sublimitas orta ex Imitatione Affectionis, Admiratiois, Gaudii, Indignationis, Mœroris, Terroris, exemplis illustratur.

Pag. 204, — 218.

P A R S T E R T I A.

POEMATUM HEBRAEORVM VARIAE SPECIES.

נְבּוֹאָת

S I V E P O E S I S P R O P H E T I C A.

P R A E L E C T I O XVIII.

P R O P H E T A R U M S C R I P T A P L E R A Q U E
E S S E P O E T I C A.

Hebræorum Poemata, argumenti accuratius tractandi causa, in suas Species tribuenda sunt; ex rei potius ratione, quam ex ipsorum Hebræorum sensu. Poësis Prophetica. Prophetarum scripta pleraque vere poëtica esse et metriça. Judæorum recentiorum et Hiero-

nymi in hac quæstione auctoritas elevatur. In Prophe-
tarum Vaticiniis eadem cernuntur metrorum indicia,
quæ in Libris Poeticis : Dialectus, Stylus, Constructio
Poetica. Quorum satis apparent duo priores ; posterior
fusius explicanda, et exemplis illustranda. Præmittitur
Poeſeos et Prophetiæ cognatio. Prophetarum Colle-
gia ; quorum ex disciplina erat Hymnos canere cum
fidium symphonia ; quod Vaticinari dicitur : adeoque
eadem vox Prophetam et Poetam five Musicum æque
denotat. Elifæus oraculum editurus fidicinem fibi ad-
duci postulat. Poesis ad usum Prophetiæ valde accom-
modata. Recensentur Oracula antiquioria in Libris his-
toricis extantia, quæ vere esse poetica ostenduntur.

Pag. 219, — 232.

P R A E L E C T I O X I X.

P O E S I N P R O P H E T I C A M
E S S E S E N T E N T I O S A M.

Hebræorum Hymnodia. Hymnos alternis choris ca-
nendi ratio : unde deducitur origo Poeticæ Constructio-
nis ; qua Hebræorum Carmina formam Amœbæam
fere induunt, in disticha et versiculos parallelos ple-
rumque distributa. Explicatur Sententiarum Parallelismus : cuius Tres statuuntur Species ; Parallelæ Syno-
nyma, Antitheta, Synthetica : quorum exempla profe-
runtur, primum ex Libris qui Poetici habentur, deinde
similia et paria ex scriptis Prophetarum. Azariæ Judæi
sententia proponitur et expenditur : mensuras scilicet Can-
ticorum Hebraicorum non syllabis aut pedibus constare,
sed partibus propositionis et sensuum. Magni momenti
esse accuratam Poeticæ Sententiarum Compositionis ob-
servationem.

Pag. 233, — 260.

P R A E -

P R A E L E C T I O N E X X.

P O E S E O S P R O P H E T I C A E
G E N E R A L I S C H A R A C T E R .

Ex Vaticiniis Poeticis excipiuntur Libri integri Danielis et Jónæ; et in cæteris Prophetarum scriptis partes quædam Historicæ; et quæ ibidem occurrunt Poemata nonnulla diversi generis. Reliqua constituunt corpus quoddam Poeseos Propheticæ. Hujus speciei Character ex ipsius Prophetiæ natura et fine investigatur. Justi Poematis Prophetici exemplum ex Isaia profertur et explicatur: item aliud ex Balaami Vaticiniis Latino Carmine conversum exhibetur. Pag. 261, — 275.

Pag. 261, — 275.


P R A E L E C T I O X X I .

PROPHETARUM SINGULORUM

PROPRII CHARACTERES.

Singulorum Prophetarum peculiaris Character et Stylus notatur: quæque eorum partes Poeticæ sint, quæ fecus. Græcorum Poesin in hoc genere nihil habere dignum mentione. Apud Latinos valde notabilis est Virgilii Ecloga iv; quæ multo obscurior est quam vulgo habetur, et a nemine hactenus satis intellecta.

Pag. 276, — 287.



S I V E E L E G I A

P R A E L E C T I O N X X I I .

DE ELEGIÆ HEBRÆÆ ORIGINE ET FORMA;
AC DE THRENIS JEREMIAE.

Elegiæ Hebrææ origo et ratio investigatur ex folen-
Li 2 nibus

nibus luctus significationibus in exequiis defunctorum, cum naturalibus, tum artificiosis. Præficæ in funeribus mercede conductæ : earum Næniæ breves, numerosæ, singulis sententiis enuntiatæ ; in quarum imitationem confictæ Lamentationes, quæ apud Prophetas sæpe eduntur. Jeremiæ Threni ad eandem formam compositi. De ejus Poematis universa natura et forma; de metrorum ratione; deque argumento et stylo.

Pag. 288, — 299.

P R A E L E C T I O X X I I I .

D E R E L I Q U I S H E B R A E O R U M E L E G I I S .

Multa adhuc supereffie in hoc genere Hebræorum Carmina. Threnorum Sylloge quædam deperdita. Elegiæ apud Ezekielem. Multi ex Jobi sermonibus pro Elegiis haberi possent. Psalmorum pars circiter septima Elegiis constat. Profertur perfectum Elegiæ exemplum ex Psalmis. Exponitur Davidis in Saulum et Jonathänum Threnus : qui item versibus Elegiacis Latine exprimitur.

Pag. 300, — 311,

P R A E L E C T I O X X I V .

מ ש ל י ב

S I V E C A R M I N A D I D A C T I C A .

Antiquissimum docendi genus per Parabolas. Parabolæ Salomonis : duæ ejus Libri partes ; prima, Novem Capita continens, vere poetica, et in eo genere elegantissima : altera, inde ad finem Voluminis, singulis tantum sententiis constans. Parabolæ præcipui Charakteres ; Breve, Subobscurum, Elegans. Ecclesiastes : ejus Libri Argumentum, Dispositio, et Stylus. Ex eodem

dem sunt genere Psalmi Alphabetici omnes; aliique nonnulli. Sirachidis Sapientia; in imitationem Paraboliarum Salomonis Hebraice scripta. Græci Interpretis fides; et Libri ipsius elegantia. Sapientia Salomonis; in imitationem item Salomonis Græce scripta: ejus Libri Stylus, et Oeconomia. Ecclesiastici Caput xxiv Hebraice redditum.

Pag. 312, — 326.

שׁוֹרֵשׁ

S I V E O D E .

P R A E L E C T I O X X V .

O D A E H E B R A E A E P R I M U S C H A R A C T E R .

Odæ origo ex lætissimis animæ affectionibus. Antiquissima Poeseos Species, et humano generi coæva. Hebræis præcipue exculta. Odarum canendarum apparatus a Davide magnifice institutus. Hujusc Poematis Idea generalis: præcipui Characteres, et communes affectiones. Primus Odæ Character, Suavitas. Quibus affectibus exprimendis accommodatus: ejus exempla ex Psalmis varia indicantur. P S A L M U S CXXXIII. metris Latinis adumbratus.

Pag. 327, — 336.

P R A E L E C T I O X X VI .

O D A E H E B R A E A E M E D I U S C H A R A C T E R .

Odæ Medius Character, ex Suavitate et Sublimitate temperatus; easque vel inter se miscens, vel simul connectens. Illustrantur P S A L M I XCI, et LXXXI. De Vatum Hebræorum deque Pindari Digressionibus; earumque ratione dissimili. Exponitur P S A L M U S LXXVII. P S A L M U S XIX metris Latinis conversus exhibetur.

Pag. 337, — 351.

P R A E L E C T I O X X V I I .

O D A E H E B R A E A E T E R T I U S C H A R A C T E R .

Tertius Odæ Character, Sublimitas. Ejus ratio triplex. Ex ipsa Poematis forma et dispositione. Illustratur PSALMUS L; item PSALMUS XXIV. Ex Conceptuum magnitudine et vi dictionis. Exponitur Mosis Ode post Transitum Maris Rubri. Hebræorum Brevitas. PSALMUS XXIX Latinis versibus exprimitur.

Pag. 352, — 364.

P R A E L E C T I O X X V I I I .

O D A E H E B R A E A E T E R T I U S C H A R A C T E R .

Odæ Sublimitas summa ex omnibus causis consurgens. Proponitur Mosis Ode Prophetica DEUT. XXXII: Deboræ Ἐπηκυον: Habbaccuchi Oratio: et Isaiæ Ἐπηκυον in occasum Babylonis Latine tentatur.

Pag. 365, — 373.

P R A E L E C T I O X X I X .



S I V E H Y M N U S .

D E I D Y L L I O H E B R A E O .

Præter Odas, sub communi vocabulo, quo apud Hebræos Cantica appellantur, continetur alia Species, similis Græcorum Idyllio. Ejus nominis ratio, et Speciei descriptio. Psalmi Historici omnes in hanc classem referuntur: mirifice congruunt cum Hymnis Græcorum, qui ipsi sunt Idyllia. Versus Intercalaris, ejusque ratio; hujuscce Poematis pene proprius. PSALMI CVII elegantissima dispositio explicatur: item ISAIÆ Cap. IX. 8, —

x. 4. Hæc formam Idyllii perfectam exhibent: profertur alia quoad stylum et charactera non minus absolute Idyllii exempla. Cleanthis Stoici Hymnus laudatur. **PSALMUS CXXXIX** versibus Hexametris Latine exprimitur.

Pag. 374, — 385.

P O E M A T A D R A M A T I C A .

שִׁיר הַשִּׁירִים

C A N T I C U M C A N T I C O R U M .

P R A E L E C T I O X X X .

C A N T I C U M S A L O M O N I S

N O N E S S E J U S T U M D R A M A .

Poëeos distributio Platonica in narrativam, dramatricam, et mixtam, non magnæ utilitatis; sed hoc loço notanda, ut Dramaticæ Poëeos ratio accuratius definatur, et appellationis ambiguitas a recentioribus inducta tollatur. Constituuntur duæ ejus Species: una minor, quæ formam tantum habet imitativam, et in qua personæ loquentes inducuntur sine poetæ interlocutione; altera major, quæ Fabulam insuper continet. Prioris exempla quædam apud Hebræos: ad posteriorem nulla Hebræorum poemata aspirare possunt, nisi fortasse duo; Canticum Salomonis, et Poema Jobi. Quæritur, an Canticum Salomonis Fabulam in se contineat. Est Epithalamium: ejus Personæ: fundamentum Poematis positum in Hebræorum ritibus nuptialibus. Proponitur et explicatur Bossueti sententia: Poematis nimirum Constitutionem sumptam esse ex Hebræorum Nuptiali Convicio per septem dies celebrato, totumque in totidem partes seu dies distribuendum. Hæc sententia maxime omnium

omnium iis favet, qui hoc Poema pro justo Dramate habent: nec tamen inde sequitur, eo contineri Fabulam. Fabulæ Definitio. Nihil justæ Fabulæ simile in Cantico Salomonis; non est itaque legitimum Drama, sed ad minorem Dramaticæ Poeseos Speciem referendum. Chorus Puellarum cum Græcorum Choro Tragico valde congruit; cui tamen originem præbere nullo modo potuit.

Pag. 386, — 397.

P R A E L E C T I O X X I .

D E C A N T I C I S A L O M O N I S

A R G U M E N T O E T S T Y L O .

De Cantico Salomonis dubitatur, ex sensu Proprio an Allegorico intelli^{re} debat: defenditur Sensus Allegoricus ex Analogia Parabolicae Dictionis. Fundamentum et ratio hujus Allegoriæ explicatur. Diluuntur offensiones ex Imaginis indignitate exortæ, auctoritate sacrorum Scriptorum ferme omnium cum Veteris tum Novi Testamenti. Interpretatio Allegorica satis confirmatur Analogiæ argumento: ex interna operis structura haud æque facile probatur. Allegoriam hanc Tertiæ esse Speciei, nimirum Mysticam; deque veris Salomonis nuptiis agi. Eam explicantibus duæ adhibendæ cautio-nes. Stylus Poematis est Pastoralis: Personæ Pastores esse finguntur; quam accommodate ad sensum Hebræorum. Locorum elegantium, Descriptionum, Comparsationum exempla quædam proferuntur.

Pag. 398, — 412.

אִוֶּב

P O E M A J O B I .

P R A E L E C T I O X X X I I .

D E P O E M A T I S J O B I

A R G U M E N T O E T F I N E .

Ut de natura hujus Poematis satis clare disputare quispiam possit, inter tot discrepantes sententias quænam sit sua de universo opere opinio exponenda est. Librum Jobi inter sacra monumenta singularem esse, neque ullam habere cum Hæbræorum rebus necessitudinem. Historiæ sedem esse Idumæam; qui loquuntur plerosque esse Idumæos ex Abrahami familia; Auctorem Idumæum esse videri, cui vernaculus sermo Hæbræus. Nec Elihuum fuisse, nec Mosem; sed Jobum ipsum, vel aliquem ei ætate supparem. Omnia Librorum qui extant hunc esse antiquissimum: in vera Historia fundari, neque ullam in se Allegoriam continere. Quanquam sit valde obscurus, tamen universi Poematis Argumentum et Finis satis clare percipi potest. Exponitur Totius brevis quædam Analysis; in qua, quantum fieri potest, loca obscuriora minime urgentur. Unde deducitur, 1. Argumentum controversiæ inter Jobum et Amicos. 2. Argumentum universi Poematis simul sumpti. 3. Ejusdem consilium et finis. Vitantur aliæ quæstiones quæ ad hanc rem necessario non pertinent.

Pag. 413, — 428.

PRÆLECTIO XXXIII.

POEMA JOBI

NON ESSE JUSTUM DRAMA.

Poema Jobi vulgo appellatur Dramaticum; et multis censetur ejusdem esse generis cum Græcorum Tragœdia: quæ sententia expenditur. Fabula sine Actio ex essentia legitimi Dramatis: ejus Definitio et conditiones necessariæ ex mente Aristotelis. Demonstratur Poema Jobi nullam in se continere Fabulam: ejusque Constitutio et Finis amplius explicatur. Comparatur cum Oedipo Tyranno Sophoclis; item cum ejusdem Oedipo Coloneo: a quibus ratione Constitutionis omnino discrepare ostenditur. Est tamen in suo genere pulcherrimum et perfectissimum: prope accedit ad formam et naturam legitimi Dramatis; et dispositionis nomine inter Hebræorum Poemata principem et singularē locum obtinet.

Pag. 429, — 438.

PRÆLECTIO XXXIV.

DE POEMATIS JOBI

MORIBUS, CONCEPTIBUS, ET STYLO.

Quanquam Poema Jobi Fabulam in se non continet, alia tamen aliqua habet sibi cum justo Dramate communia. Mores. Jobi Mores; ab Affectuum motibus distinguendi. Expenditur et explicatur Aristotelis sententia, Viri egregie probi personam Tragœdiæ minime convenire: quod nec in Jobo locum habere, neque de Tragœdia in universum verum esse, ostenditur.

tur. Finis Poematis. Trium Amicorum Mores : affectuum gradationi quam Morum diversitati magis studetur. Elihuus. Dei Sermo. Sensus : in Moribus et Rebus exprimendis versantur ; quorum de altero jam actum est ; alterum continet in se Affectus et Descriptiones. Vehementiorum Affectuum exempla in hoc Poemate superius prolata : Affectuum leniorum unum atque alterum exemplum exhibetur : uti Descriptionum. Stylus hujus Poematis summe elegans et sublimis ; et Poetica Constructio accuratissima. Peroratio : Juventuti Academicæ literarum Hebraicarum studium commendatur.

Pag. 439, — 460.

INDEX LOCORUM
VETERIS TESTAMENTI,
qui in Prælectionibus citantur, explicantur, illustrantur.

Litera n. numero Paginæ præfixa Notas significat. Si cubi variatur in Capitum aut Versiculorum distributio[n]e, adeundus est Codex Hebræus.

G E N E S I S.		E X O D U S.
	P a g .	
I. 3.	192.	II. 15.
5.	393.	18.
24.	n. 35.	III. 1.
IV. 23, 24.	50.	VIII. 14.
IX. 25, —— 27.	51.	IX. 8.
27.	n. 183.	XV. 1, —— 21.
XIV. 6.	n. 414.	
XXIII.	84.	
XXIV. 2.	n. 45.	
XXV. 2, 3.	n. 416.	1.
6.	n. 415.	5.
15, et 18.	n. 417.	6.
XXVII. 27, —— 29.	52.	9, 10.
39, 40.	52.	11, 12.
XXIX. 27.	n. 393.	20, 21.
XXXI. 39.	n. 35.	XIX. 16, et 18.
XXXVI. 10, 11.	n. 416.	XXIII. 17.
20, et 28.	n. 414.	31.
XLVI. 32, —— 34.	n. 406.	XXVI. 7, &c.
XLIX. 2, —— 27.	52.	36.
8.	231.	XXVII. 16.
9.	n. 183.	XXVIII. 2.
11.	117.	39.
16, et 19.	n. 34.	XXXII. 6, et 19.
21.	n. 183.	18.
	n. 364.	XXXV. 30, —— 35.

INDEX LOCORUM.

L E V I T I C U S .		I.	156.
XIX. 32.	n. 119.	1.	n. 354.
XXIII. 24.	342.	2.	149.
XXV. 9, 10.	342.		259.
13, —— 16.	n. 78.	5.	182.
23, 24.	n. 78.	5, 6.	179.
		10.	186.
N U M B E R I .		II.	151.
X. 35.	n. 359.		188.
XIII. 29.	n. 415.	15.	179.
XXI. 14, 15.	52.	40, —— 42.	210.
17.	236.	42.	247.
27.	45.	XXXIII.	231.
27, —— 30.	52.	2, 3.	n. 36.
XXII. 32, et 34.	n. 213.	21.	n. 36.
XXIII, XXIV.	45.		
	53.		
	229.	III. 15.	71.
	265.	X. 12, 13.	n. 306.
	272.	27.	84.
	417.	XV. 1, et 21.	n. 414.
XXIII. 1, &c.	418.	21, et 41.	n. 416.
7, —— 10.	164.		
19.	199.		
XXIV. 3.	n. 34.	II. 1.	n. 189.
5, —— 9.	273.	III. 31.	n. 78.
6.	140.	V.	209.
XXIX. 1.	342.		359.
XXXIV. 3.	n. 414.		366, &c.
	n. 415.	1.	n. 307.
		28, —— 30.	158, &c.
D E U T E R O N O M I U M .		29.	188.
II. 12.	n. 414.	VI. 3.	n. 415.
IV. 11, 12.	n. 110.	II.	n. 78.
VIII. 7.	71.	IX. 7, —— 15.	125.
X. 14, —— 16.	356.	XIV. 11.	392.
XI. 10, 11.	71.	12.	393.
XXIV. 15.	n. 356.	14.	250.
XXVIII, —— XXXI.	177.	XV. 16.	243.
XXVIII. 2, &c.	n. 336.	XXI. 25.	n. 189.
XXXI. 19, —— 21.	228.		
XXXII.	177, &c.		
	210.	II. 4.	n. 148.
	n. 222.	III. 3.	n. 35.
	223.		
	228.		
	365.	I. S A M U E L I S .	
	II. 4, —— 7.		251.
			IX. 3.

VETERIS TESTAMENTI.

I. R E G U M.	II. R E G U M.	III. R E G U M.
IX. 3.	n. 78.	xxi. 13.
X. 5, —— 10.	225.	
XI. 5.	n. 78.	I. PARALIPOMENON.
XIV. 39, et 44.	n. 338.	i. 38, et 42.
XV. 7.	n. 417.	ii. 6.
22, 23.	231.	xi. 8.
XVI. 12.	n. 409.	xii. 15.
XVIII. 7.	225.	xv.
XIX. 13, et 16.	n. 409.	22, et 27.
20, —— 24.	225.	xvi. 31.
XXIV. 14.	n. 45.	xxiii. 5.
	318.	xxv. 1, —— 3.
XXVII. 8, et 10.	n. 415.	i, —— 7.
9, et 11.	n. 189.	xxviii. 18.
XXXI. 3.	n. 307.	
		II. PARALIPOMENON.
		III. I.
II. S A M U E L I S.	306, &c.	vii. 14.
I. 17, —— 27.	n. 307.	xvi. 14.
18.		310.
19, —— 27.		xxix. 30.
III. 33, 34.	291.	xxxv. 25.
VI.	n. 355.	
VII. 8.	n. 78.	
XII. 1, —— 4.	125.	III. IO, II.
31.	n. 189.	ii.
XVII. 11, 12.	n. 119.	vii. 9.
XVIII. 9, 10, et 14.	n. 363.	
XIX. 4.	289.	
XXI. 1.	n. 357.	IX. II.
XXII. 13, 14.	n. 111.	xii. 24, 31, 38, et 40.
XXIII. 1, —— 7.	233.	
		E Z R A.
		III. IO, II.
		11.
		vii. 9.
		N E H E M I A S.
		IX. II.
		n. 34.
		xii. 24, 31, 38, et 40.
		J O B U S.
	Vide	
IV. 30.	n. 415.	215.
31.	n. 47.	221.
XII. 27, 28.	335.	302.
XIII. 30.	290.	391.
XIX. 19, 20.	n. 78.	Analyfis Libti
	n. 78.	413, —— 458.
XXI. 3.	i, II.	421, —— 427.
6.	n. 189.	170.
XXII. 19, —— 22.	i. 6, &c.	419.
	22.	421.
II. R E G U M.	II. I, &c.	419.
III. 15.	227.	421.
IV. 23.	n. 35.	170, &c.
XIII. 21.	84.	302.
XIX. 21, —— 34.	232.	440.
		K k
		3.

INDEX LOCORUM

3.	171.	XXVII. I.	45.
4, —— 7.	172.	2, —— 7.	441.
7.	174.	20.	72.
10.	174.	23.	n. 34.
14.	87.	XXVIII. 22.	155.
17.	n. 251.	XXIX.	302.
20, —— 24.	174.	I.	45.
IV. 2.	n. 37.	7, —— 10.	442.
	447.	11, —— 13.	443.
V. 19.	256.	14, 16, et 17.	444.
VI.	302.	18, —— 23.	454.
2, 3, 4, 8, et 9.	215.	24.	455.
15, —— 20.	72.	XXX.	302.
	147.	XXXI. 2, —— 4.	444.
	151.	4.	n. 213.
19.	n. 417.	10.	n. 37.
26.	440.	13, —— 15.	444.
VII.	302.	28.	n. 418.
20.	441.	XXXII. I.	425.
VIII. 2.	447.	2.	425.
3.	448.		n. 118.
IX. 16.	455.	3.	425.
X.	302.	15, 16.	416.
22.	87.	XXXIII. 18.	87.
XI. 2, 3.	448.	XXXV. 2.	n. 118.
7, —— 9.	196.		425.
XIV.	302.	4.	426.
I, —— 3, et 6.	452.	XXXVII. I, —— 4.	456.
XV. 4.	448.	XXXVIII, —— XL.	426.
XVI. 9, —— 14.	213.		434.
XVII.	302.		451.
8, 9.	447.	XXXVIII. 4, —— II.	193.
16.	87.	17.	87.
XVIII. 3, —— 5.	448.	35.	157.
13.	156.	XXXIX. 24, 25.	456.
XIX.	302.	XL, XLI.	456.
2, 3.	453.	XL. 8.	425.
21, 22.	453.		n. 118.
XX. 2, 3.	450.	10, —— 14.	199.
23.	n. 34.	XL. 2, 3.	427.
XXI.	n. 423.	19.	156.
19.	n. 420.	XLII. 7, —— 17.	419.
XXII. 2.	n. 34.	8.	418.
II.	72.		
XXIV.	n. 423.		P S A L M I.
22.	n. 37.	Vide	54.
XXVI. 12.	n. 104.		221.
			302.

VETERIS TESTAMENTI.

	302.	XXXVIII.	32.
	310.		319.
	319.	XXXVIII.	93.
	375.	XLII.	303.
	380.		309.
II.	132.	8.	71.
3, 4, 5.	n. 34.	XLIII.	305.
6.	257.	XLV.	403.
IV. 8.	n. 118.	I.	392.
IX. 14.	87.	15.	392.
XI. 6.	106.	XLVI. 6, et 10.	255.
7.	n. 34.	XLVII. 4.	n. 295.
XVI. 2.	n. 341.	XLIX. 5.	45.
XVII. 7.	n. 258.	L.	353, &c.
XVIII. I.	n. 307.	10.	n. 34.
8, —— 15.	III.	LXII. 12.	256.
13, 14.	n. 106.	LXIII.	333.
	n. 111.	LXV.	334.
16.	113.	7.	94.
48.	n. 295.	LXVII. I.	n. 40.
XIX.	349, &c.	LXVIII.	359.
8, —— 11.	253.	31.	n. 73.
XXII. 3, et 8.	n. 241.	LXIX. 16.	87.
13.	73.	22.	135.
17, —— 19.	135.	LXXII.	134.
17.	n. 373.		334.
XXIII.	333.	LXXVII.	346, &c.
XXIV.	355, &c.	12.	n. 338.
	388.	17.	157.
5.	n. 336.	18, 19.	254.
4, 6, et 9.	n. 356.	LXXVIII.	375.
XXV.	32.	2.	45.
	319.	38, et 40.	186.
I.	n. 356.	59.	202.
XXVII. 8.	n. 357.	61.	n. 357.
XXVIII. I.	87.	65.	202.
XXIX.	362, &c.	69.	98.
3, 4.	209.	72, 73.	n. 78.
9.	n. 363.	LXXIX. 2.	n. 34.
XXXI. 15.	n. 341.	LXXX.	333.
XXXII. 3.	n. 258.	9, 12, et 14.	188.
XXXIII. 9.	192.	9, —— 18.	125, &c.
13, 14.	247.	16.	n. 126.
14.	n. 258.	LXXXI.	342, &c.
XXXIV.	32.	LXXXIII. 14, et 16.	79.
	319.	14, —— 16.	150.
XXXVI. 6, 7.	195.	LXXXV.	333.
		K k 2	11.

INDEX LOCORUM

II.	155.	cxx, —— cxxxiv.	335.
LXXXVI. 4.	n. 356.	cxxi.	390.
LXXXVIII. I.	234.	cxxxii.	n. 335.
7.	87.	cxxxviii. I, 2,	n. 338.
LXXXIX. 3.	n. 34.	cxxix. I, 2.	242.
XCI.	337, &c.	6, —— 8.	148.
I, 2, 3, 5, et 6.	n. 337.	cxxxii. 8.	n. 357.
9.	n. 340.	13, et 15.	n. 335.
XCII.	333.	cxxxxiii.	335.
13.	140.	2, 3.	141.
XCIII. I.	94.	3.	n. 148.
3, 4.	245.	cxxxvi.	235.
XCIV. I, et 3.	242.		377.
9.	317.	cxxxvii. 2.	n. 258.
XCVI. 10, —— 13.	210.	3.	n. 37.
13.	156.	cxxxix.	382, &c.
XCVII. I.	244.	7, —— 10.	197.
XCVIII. 7, 8.	156.	15.	95.
7, —— 9.	210.	cxl. 7.	n. 341.
XCIX. I.	208.	cxl. 7.	87.
CI. 5.	n. 34.	cxlii. 6.	n. 341.
CII. 8.	n. 258.	cxlili. 8.	n. 356.
CIII. 3, —— 5.	n. 37.	cxliv. 2.	n. 295.
CIV.	187.	cxlv.	32.
I, —— 5.	381, &c.		319.
II.	96, &c.	cxlvii. 7.	236.
14.	n. 34.	cxlviii.	328.
20.	n. 120.		192.
CV.	n. 34.	5.	n. 356.
4.	376.		
20.	n. 357.	Vide	p. 45.
CVI.	244.		221.
13:	376.		250.
CVII.	n. 402.		
	378, &c.		313, &c.
CX. 3.	117.	I, —— IX.	313.
CXI.	32.	x, &c.	313.
	319.	I. 6.	53.
CXII.	32.	VI. 3.	n. 75.
	319.	VII. 27.	87.
CXIII. 5, 6,	248.	VIII. 27, —— 31.	154.
CXIV.	237.	X. 12.	318.
8.	n. 34.	XIII. 7.	249.
CXVI. 7, et 19.	n. 37.	XX. 12.	317.
12.	n. 37.	15.	316.
CXIX.	32.	XXV. II.	313.
	319.	I.	315.
			16.

VETERIS TESTAMENTI.

16.	316.	VII. 1.	405.
XXVII. 6, 7.	249.	2, et 4.	147.
19.	316.	5.	73.
27.	n. 336.		n. 409.
XXVIII. 11.	249.	VIII. 3.	394.
16.	n. 34.	4.	393.
XXIX. 8.	n. 107.	5.	394.
XXX. 1.	226.		395.
XXXI. 1.	226.	6, 7. *	397.
3.	n. 37.	13.	392.
10, —— 31.	32.		
		I S A I A S.	
		Vide	215.
ECCLESIASTES.			261.
Vide	318, &c.		262.
XI. 1.	n. 120.		265.
XII. 2, —— 6.	119.		276.
11.	315.		279.
CANTICUM		I. 2.	156.
SALOMONIS,			n. 354.
Vide	66.	5, 6, et 16.	93.
I. 5.	11. 7.		248.
7, 8.	124.	13.	73.
9.	222.	V. 1, —— 7.	123.
II. 6.	391, —— 412.		127.
7.	250.	7.	n. 183.
10, —— 13.	406.	14.	87.
III. 1.	397.		155.
5.	394.	24.	n. 150.
6.	393.	VI. 3.	235.
7, —— 11.	393.	VII. 2.	145.
IV. 1, —— 5.	407.	IX. 8, —— x. 4.	380, &c.
I.	396.	x. 10.	n. 118.
5.	394.	14.	138.
6.	393.	18.	73.
7.	392.	28, —— 32.	183.
II.	147.	34.	73.
IO, II.	409, &c.	XI. 14.	n. 415.
V.	397.	XIII. 6.	n. 183.
I.	408.	6, —— 13.	215.
2.	396.	XIV. 4, —— 27.	88.
15.	392.		161, &c.
VI. 4.	394.		370, &c.
10.	73.	4.	n. 37.
12.	n. 409.		45.
	394.	4, —— 9.	253.
	397.	9, et 18.	88.
	405.	15.	87.
			194.

INDEX LOCORUM

19.	87.	9, 10.	109.
23.	n. 372.	15, 16.	104.
26, 27.	198.	LIII. 1, — 5.	239.
XVII. 12, 13.	141.	8.	n. 34.
13.	79.	LIV. 5.	247.
XXI. 10.	79.		401.
XXII. 16.	84.	7, 8.	252.
XXIV. 1, et 18, — 20.	105.	LV. 10, II.	146.
17.	n. 183.	LVI. 9.	n. 34.
23.	69.	LVII. 2.	88.
XXVIII. 7.	n. 183.	6.	n. 183.
XXVIII. 17.	120.	LIX. 10.	87.
23, — 29.	119.	LX. 1.	245.
28.	n. 120.	1, — 3.	238.
XXX. 26.	69.	6.	n. 416.
XXXI. 4.	246.	19, 20.	69.
XXXIII. 1.	n. 213.	LXI. 3.	n. 183.
9.	n. 183.	10.	94.
XXXIV.	246.	LXII. 5.	401.
	n. 113.	LXIII. 1.	n. 269.
266, &c.		1, — 3.	81.
4.	103.	1, — 6.	388.
8, — 10.	107.	4, — 6.	211.
11.	102.	8.	n. 35.
14.	n. 104.	LXIV. 6.	93.
XXXV.	270, &c.	LXV, II, 12.	n. 183.
	n. 273.	13, 14.	252.
2.	73.		
8.	n. 272.	J E R E M I A S.	
XXXVII. 22, — 35.	n. 275.	Vide	172.
24.	232.		217.
XXXVIII. 10.	73.		276.
14.	87.		278.
XL, — LXVI.	n. 336.		279.
XL. 12, et 26.	277.	III, I, &c.	402.
XLI. 15, 16.	194.	IV. 7.	n. 74.
XLIII. 2.	79.	19, 23.	217.
16, — 19.	256.	23, — 26.	102.
	108.	26.	73.
XLIV. 15.	n. 34.	VI. 29.	n. 107.
XLVII. I, &c.	155.	IX.	278.
XLIX. 7.	244.	17, — 22.	293.
17.	n. 402.	XI. 15.	n. 37.
14, 15.	139.	XIII. 21.	n. 34.
24.	n. 119.	XIV. 17, &c.	278.
LII. 3.	105.	XV. 9.	n. 251.
9.	n. 363.	XVIII. 15.	n. 356.
			xx.

VETERIS TESTAMENTI.

XX. 14, 15.	171.	IV. 3.	n. 37.
14, — 18.	278.	15.	n. 296.
XXII. 6, et 23.	73.	21.	n. 414.
18.	290.		
23.	n. 34.		
27.	n. 356.	Vide	E Z E K I E L.
XXIII. 9.	227.		215.
XXV. 20.	n. 414.		261.
23.	n. 416.		262.
30.	202.		276.
XXX. 21.	n. 402.	III. 14, 15.	227.
XXXI. 21.	n. 34.	VII. 6.	n. 183.
35.	n. 104.	XV.	123.
XLVI, — L.	n. 414.	XVI.	n. 34.
XLVI, — LI. — 59.	278.		124.
XLVIII. 6, 7.	157.		403.
XLVIII, 45, 46.	n. 52.	10, 13, et 18.	n. 95.
XLIX; 7.	415.	XIX.	301.
7, 9, et 10.	n. 416.	1, — 9.	123.
8.	n. 416.	10, — 14.	123.
14, — 16.	282.	XXI. 31.	n. 107.
16.	n. 34.	XXII. 21.	n. 107.
19.	n. 74.	XXIII.	124.
20.	n. 416.	XXIV. 3, — 13.	403.
28.	n. 415.	25.	124.
L. 2.	n. 183.	XXV. 13.	n. 356.
13.	n. 34.	XXVI. 18.	n. 416.
33.	79.	20.	n. 37.
LII.	n. 278.	XXVII.	87.
		3.	301.
			n. 34.
T H R E N I.		XXVIII. 12.	277.
Vide	32.	12, — 19.	301.
	222.	XXXI.	73.
	294, &c.		123.
I. 1, 2, et 17.	156.		127.
7.	296.	10.	n. 123.
8, 9, et 17.	93.	11, et 14, — 17.	128.
12, et 16.	298.	14.	87.
21.	307.	XXXII.	301.
II. 2.	93.	2.	n. 74.
4.	212.	7, 8.	70.
19.	296.	18.	87.
III. 13.	156.	18, — 32.	89.
14.	n. 295.	19, &c.	88.
14, et 66.	n. 160.	23.	87.
53.	84.	XXXIV. 18, 19.	n. 74.
			XXXVI.

INDEX LOCORUM

		A B D I A S.
XXXVI. 17.	93.	
XXXIX. 18.	73. Vide	282.
	I. —— 9.	282.
D A N I E L.	8.	415.
Vide	261. 8, 9.	n. 416.
	282.	
VII. 19.	n. 74.	
28.	227. Vide	261.
X. 8.	227.	282.
XII. 2.	n. 336.	
H O S E A S.		M I C H A S.
Vide	Vide	281.
I. —— III.	279. I. 3, 4.	110.
II. 15.	403. 10, —— 15.	n. 183.
VI. 1, 2.	236. II. 4.	45.
IX. 15.	245. III. 12.	n. 37.
X. 14.	n. 183.	n. 150.
XI. 8, 9.	373. IV. 13.	79.
XIII. 7, 8.	241. V. 7.	n. 119.
XIV. 6, —— 8.	203. VI. 1.	156.
6, 7.	140. 5, —— 8.	229.
	254. 16.	n. 160.
	VII. 14.	73.
J O E L.		
Vide	280.	
I.	280. Vide	281.
6, 7, et 10.	184. I. 2.	243.
II.	184. I. 1.	n. 402.
	280. III. 12.	138.
III. 14.	79.	
15, 16.	103. H A B B A C C U C U S.	
	Vide	262.
A M O S.		282.
Vide	281. III.	368, &c.
I. 1.	n. 78. 2.	227.
3.	257.	n. 368.
II, 12.	n. 416. 5.	155.
III. 9.	140. 10.	157.
IV. 1.	73. 12.	79.
V. 1, 2.	292. 16.	227.
5.	n. 183.	
16.	293. Z E P H A N I A S.	
VII. 14, 15.	n. 78. Vide	282.
VIII. 8.	n. 325. II. 4.	n. 183.
IX. 5.	n. 325. 14.	n. 34.
H A G G A E U S.		

H A G G A E U S.

VETERIS TESTAMENTI.

	H A G G A E U S.		I. 25.	53.
Vide		282.	VI. 35.	53.
			XVIII. 29.	53.
	Z E C H A R I A S.		XXIV.	321.
Vide		282.		323.
IX. 5.		246.	26,	n. 71.
XI. 4.		73.	27.	n. 325.
3.		n. 74.	XXXIX. 1, —— 3.	53.
XIV. 10.		n. 373.	XLIV. 4.	n. 47.
			XLIX. 8.	n. 97.
	M A L A C H I A S.			
Vide		282.	S A P I E N T I A.	
			Vide	321.
	E C C L E S I A S T I C U S.		VIII. 8.	53.
Vide		320.		

F I N I S.

E R R A T A.

In Textu : Pag. 32. lin. 15. *lege*, in usū. p. 51. 17. *l.* ver-
siculo cum. p. 95. 24. *pro* proprium et singularem, *l.* præcipuum.
p. 131. 23. *l.* etiam in. p. 143. 17. *l.* referuntur. p. 159.
24. *l.* virtutem. p. 218. 19. vacua est et informis. 223. 6.
l. Minerva. p. 279. penult. *l.* vetustatem. p. 333. 25. *l.* ut aiunt.
334. 8. *l.* quantam habet. p. 352. 3. *l.* ea ex. p. 354. 8. *l.*
vehemens turbo. p. 360. 21. *l.* quia magnifice. 373. II. *l.* ex-
tendit: 381. 10. *l.* qua significatur. p. 394. 7. *l.* neve exp.
p. 421. 26. *pro* fuos, *l.* nos. p. 440. 26. *l.* significans. p. 459. 5.
l. unde me. p. 481. 30. *l.* illustraverat. 484. 14. *l.* id curent.

In Notis : Pag. 34. not. *l.* 27. *lege*, Præt. addito. p. 49. 9.
l. Poeticæ usū. p. 74. 13. *l.* 31. p. 94. 2. *l.* LXI. p. 105. 1.
De phrasī &c. transfer ad Notam præcedentem. p. 107. lin. 14.
transfer ad imam paginam. p. 273. 16. *l.* extorquetur. p. 295. 2.
l. p. 160. p. 335. 4. *l.* cum e. p. 357. II. *l.* esse et. p. 409. 6.
l. απτερωλυφθνοσα. p. 414. 2. *l.* recentioris scriptoribus. p. 465.
15. *l.* Trochaici et. penult. *l.* Hariana.

Pag. 305. not. *l.* 5. *pro* sex *lege* septem: et MSS. ibi citatis adde,
“MS. SORBONN. № 32.” K.

Pag. 405. ad not. adde: “Utrobique legitur נִמְלָשׁ, sine י, in
“MS. Dni. EDWARDI WORTLEY MOUNTAGUE: item in loco
“priore in COLL. TRIN. DUBLIN.” K.

